



NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
14
23 I
8



SIBRANDI LVBBERTI DE PRINCIPIIS CHRISTIANORVM DOGMATVM LIBRI SEPTEM,

Scholasticè & Theologicè collati cum disputationibus Roberti Bellarmini Iesuitæ Romani,

ad

Iohannem Iacobum Grynæum Theologum & Philosophum.



FRANEKERAE.

APVD AEGIDIVM RADAEVM

ORDINVM FRISIÆ TYPOGRAPHVM

in Academia Franekerana.

CIↃ. IↃ. XCI.

PHILIPPVS MARNIXIVS
Lectori S.

Veritatis simplex est oratio, inuestigatio ardua. Sed procliuiorem reddit diuinum illud ratiocinationis Organū, quod Analytica methodo & Sophistarum fucos abstergit, & illius nudam faciem coram spectandam exhibet. Id cùm alijs omnibus in rebus præclarum est & laude dignum, tum certè in Theologia diuinum, quippe quę summos bonorum fines, gloriam nempe Dei & hominum salutem attingit.

Laudandum itaq; Sibrandi Lub. studium qui Analyticè eam proponit, vt vel à rudioribus, & minus exercitatis non cerni modò, sed propè manibus possit contrectari.

Quare quisquis es lector veritatis cupidus, si te nuda orationis simplicitate, quæ proprius est, & γνήσιος eius cultus contentum hos libros euoluere non pigebit, haud magno certè negotio illam & ex abditis Democriti Cryptis erueris, & à Sophistarum anfractuosis paralogismorum pedicis vindicàris. Vale.

PRÆFATIO
SIBRANDI LVBBERTI
AD IOHANNEM IACOBVM
GRYNÆVM Theologum & Philoſophum.

MVLTI viri docti, Iohannes Iacobe Grynæe, papiſtica dogmata ſcribendo propugnarũt. Tandẽ exortus eſt Robertus Bellarminus, qui ex ijs omnibus, qui ante eum ſcripſerũt, corraſit, quod Papatui ſtabiliendo eſſe iudicauit, idq́ in vnum volumen congeſtum tanta calliditate concinnauit, vt papiſtis ſuum ſtudium, nobis ſophiſticam probarit. Nam quod eſt Sophiſtarum proprium, quas præmiſſas controuerſas eſſe ſciuit, eas magno ſilentio præteriit, & quas vt extra controuerſiam poſitas concedimus, eas innumeris immenſisq́ allegationibus confirmauit, atq; ita vno eodemq́ labore ſuis admirationem, indoctis ſtuporem, nobis riſum concitauit. Exemplo vno atq; altero hoc lectori oſtendam. Primo libro docet libros apocryphos eſſe Canonicos, quia in Eccleſia leguntur, & quia patres ex ijs teſtimonia citant. Vtrumque probat multis allegationib. At neutrum negamus. Verùm quod probari debuit, nempe eos omnes libros, qui in Eccleſia leguntur, & ex quibus patres teſtimonia citãt, eſſe canonicos, magno ſilentio occultatur. Libro ſecundo docet vulgatam verſionem eſſe authenticam, quia mille annis in Eccleſia vſurpata eſt. Hoc item ſolicitè probat. Sed neq́ hoc valde controuerſum eſt; & quod à nobis negatur, nem-

pe authenticum esse, quicquid Ecclesia mille annis vsurpauit, silentio præteritur. Libro tertio docet legitimā Scripturarum interpretationē à Papa Romano petendam esse, quia Christus pro Petro rogauit, ne ipsius fides deficeret, *idq; operosè probat. At hoc nemo negat. Verū quod controuersum est, nempe in Papam Romanum competere, quicquid de Petro rectè dici potest, magno cum silentio tegitur. Libro quarto docet* consuetudines Romanæ Synagogę esse principium Christianorūm dogmatum, quia Christus volebat multa dicere, sed discipuli non poterant ea portare. *Id etiam anxiè probat. Sed neq; hoc quisquam negat. Ac quod controuersum est, nempe papisticas Traditiones, siue consuetudines Romanæ synagogæ esse ea, quæ Christus dicere volebat, & quæ discipuli portare non poterant, ingenti silentio premitur. Deinde quod magis ridiculum est, disputat de principijs Christianæ Religionis, ac licet palam fateatur* non posse disputari, nisi priùs in aliquo communi principio cum aduersariis conueniat; *& res ipsa loquatur principia non debere vnius partis propria, sed vtriq; communia esse; neq; ignoret libros apocryphos, vulgatam versionem, Papæ interpretationem, & consuetudines Rom. Synagogæ à Protestantibus Ecclesijs multorum errorum accusari: tamen sui & Logicæ oblitus hæc ōnia pro principijs obtrudere, eaq; in tanta doctrinæ luce tam leuibus & futilibus coniecturis asserere non erubescit. Has ego impo-*

sturas

ſturas detegendas eſſe cenſui. Nam ſi quis contra Iudæos diſputaret, & eos Nouo Teſtamento vrgeret, inſanire iudicaretur. Item ſi quis Paganos Prophetica & Apoſtolica autoritate conuincere ſtuderet, is Anticyram ablegandus eſſet. Nemo igitur, qui mentis compos eſt, nos libris apocryphis, vulgata verſione, Papæ interpretatione, & Romanæ Synagogæ conſuetudinibus vrgebit. Ea enim omnia eſſe incerta, dubia, controuerſa, multis erroribus cōtaminata, & humana, non ignoramus. At quæ talia ſunt, illa utiq; non poſſunt iſtius Religionis, quæ certa, immutabiliter vera, & diuina eſt, principia eſſe. Equidem ſi quis Papiſtam Geneuenſis Eccleſiæ conſuetudinibus vrgeret, riſum ei meritò moueret. Quid igitur de huiuſmodi papiſticis diſputationibus poſteritas iudicaturã ſit, ipſi viderint. Vt autem has ſtrophas commodè detegerem, ſtatum controuerſiæ ante omnia diligenter indagaui. Deinde Bellarmini argumenta omni ſophiſtice nudata dialecticè propoſui, & refutaui. Refutationes ſæpe ab alijs mutuatus ſum, & cùm aliorũ reſponſiones mihi minus plenæ viderentur, excogitaui nouas. Poſt hæc Orthodoxæ Eccleſiæ ſententiã monſtraui, & argumentis firmaui. Omnia hæc feci ſtylo ſcholaſtico abſq; acerbitate & cõtumelia. Et ſi mihi imprudenti verbum vllum acerbũ, vel quod aduerſarius in ſuam contumeliam interpretari poteſt, excidit, idipſum ego damno, priusquam in vllas hominum manus perueniat. Non n. conuitiari, ſed ratiocinari; non litigare, ſed diſputare volui. Imò odi omnem caninam

facũdiam, eamq́ in nostris doctoribus defleo, in Papistis rideo. In illis defleo: sæpe n. lectorem, quem firmare debebant, per eam labefactãt. In his rideo: Nam cùm passim calumnias, conuitia & mendacia suis scriptis adspergunt, hoc efficiunt, vt lectores reliqua oĩa ex eodem fonte profecta esse iudicẽt, ex quo calumniæ, conuitia & mendacia manarunt. Quoniã verò non ita oculati sumus in rebus nostris, vt esse debebamus; ideo hos libros iam confectos ad D. Philippũ Marnixiũ omnium nobilium doctiss. mihi quidem Christiana amicitia iunctũ, sed de facie ignotũ misi, & ab eo petij, vt eos legere, ac cum Bellarmini libris conferre vellet, idq́; ea conditione, vt, si me alicubi à scopo aberrare, vel Bellarm. argumenta non candidè proponere, vel non rectè respondere, vel quicquã acerbius scribere animaduerteret, hoc candidè & liberè significaret. Atq; ille hæc omnia diligenter præstitit. Sæpe n. me reuocauit, aliquãdo confirmauit, interdũ etiam viã monstrauit. Quod propterea scribo, vt lector intelligat, nihil mihi fuisse propositũ, quàm veritatẽ modestè & candidè patefacere, & vt D. Sanct. Aldegundio, magna ex parte acceptum ferat, si aliquid commodi ex his libris perceperit.

Cæterùm aduersarij sibi & suis rebus malè consulũt. Dum n. hoc modo disputant, palam ostendunt se suam doctrinã legitima disputatiõe defendere nõ posse, ac circa controuersa principia languere, ne vnquã ad iustam disputationem adigi possint. Et quod turpius est, dum ita agunt, etiam omne iudicium sibi vendicãt, ac in propria causa Accusatores, Iudices, & Testes esse volũt. Hoc

autem

autem non tantùm Theologis & Iurisconsultis displicet; sed etiam à Politicis ridetur. Rectè Iustus Lipsius in epistola ad Esychium. Iidē quod mirere, in re sua Accusatores, Iudices, Testes. *Sed ne sic quidem suum regnum defendere possunt. Ideo in suos aduersarios instigant principes ciuiles, vt eos flammis & incendijs persequantur: Hinc illa calamitosa & funesta bella in Gallia & Belgica. Benè idē Lipsius* Toti in eo sunt, vt litem ex lite serant, ne coeat vnquā, & conspiret Christianū hoc corpus. *Sed Deus suæ Ecclesiæ misertus in Gallia excitauit Henricum quartū re & nomine Christianissimum. In Belgica Mauricium Principem Auraicæ, & Gulielmum Ludowicum Comitem Nassouiæ, vt per illum Galliam, per hos Belgicam à tam crudeli persecutione liberaret. Rex Galliæ Domini opus facit diligenter. Princeps Mauricius & Gulielmus Comes Nassouiæ propter ætatē hactenus ab hoste spreti, nuper, spatio duodecim dierum duas potentissimas vrbes Sutphaniam & Dauentriam, Deo duce & auspice, ex Papistica tyrannide in Christianam libertatē asseruerūt. Deinde exercitu in Frisiam Groningensem traducto, multa maximi momenti propugnacula, eaq; munitissima, pari celeritate Frisico imperio adiecerunt. Deus armipotens qui solus regna transfert, & stabilit, protegat hos principes suo Spiritu, & opus suum per eos feliciter inchoatū ad optatum exitū perducat. Sed iam ad ipsam disputationem de Principijs Christianorum Dogmatum accedamus.*

IN ἀκροβολισμὸν SIB. LVBBERTI Theol. Doctoris cum Papa Romano.

O ETHEVM *perhibent, post plurima monstra subacta,*
Tandem Hydram aggressum Sangarij ad latices.
Nam quum pestiferum ructasset in aera virus,
Perdidit hoc fruges, sustulit atq; homines.
Ergo nodosa tam noxia sibila flantem,
Hic claua, & ferro perdomuitq; face,
Crescentem per damna liçet Quo munere diva
Regina heroi munera magna dedit.
Quinetiam æterno'st affectus honore, deûmq;
In numero clarus ab Iove numen habet.
Quas igitur Sibrande tuis sudoribus auctas
Laudes, atq; decus nominis esse putas?
Qui monstrum horrendum, tricarenum, ad Tybridis vndam.
Quod multis seclis maxima damna dedit:
Atq; animas orco mersat, & dira vomentem
Excetram studio fascina contuderis?
Qui toties victa de Colchide ritè triumphas
Hesperia, excisa flamine & ore sacro?
Te reges igitur decorent, tibi præmia summus,
Convexa meritò donet ab arce Deus.

Ioannes Arcerius Th.
Græcæ linguæ professor.

Ad Sibrandum Lubbertum.

H OC *fera cessabunt certamine* BELLA *peracto*
Viribus ingenij culte Sibrande tui.
Nam sæva ARMA *tuo, queis sacrum est hostis adortus*
Ipse Dei verbum, robore fracta iacent.
Nilq; nocere MINÆ *poterunt tibi, strenuus ito,*
Quippe simul vinces BELLAQVE *&* ARMA, MINAS.
Nam sine BELLO ARMISQVE MINAE *sævi hostis amare*
Felle carent, vllum nec quoq; virus habent.
Quare de tanto BELLO *gratatur honore*
Christicolûm ipsa cohors, parta trophæa tuo.
ARMA *tibi ex alta figet testudine templi,*
Nec dabit hostis acres amplius ore MINAS.

Ioannes Arcerius, fil.



SIBRANDI LVBBERTI
liber primus
De
Principiis Christianorum dogmatum.
CAP. I.
Qualia principia esse debeant.



OMNES artes, omnesq́; disciplinæ & scientiæ habent quædam principia, ex quibus firmas rationes, & præceptiones deducũt. Geometria enim, Arithmetica, Physica, & reliquæ omnes artes ex certis quibusdam principijs totum opus suum exstruunt, & formant. Rectè igitur dixit Bellarminus & Theologiam habere sua principia, neq; posse in ea vllam disputationem de rebus controuersis rectè institui, nisi constet ex quibus principijs firma argumēta immotæq́; rationes duci posśint. *In præf. in fine.* Hoc quoniam ab illo verè dictum est, ostendam qualia principia in Theologia requiramus. Debent autem esse vera, immediata, i. summè necessaria, priora, notiora, & caussæ omnium dogmatum in christiana religione. Hæc etsi manifesta sunt, vno tamen

atq; altero argumento à me probabuntur. Et ne de re ignota disceptem, ostendam priùs quid per Principia intelligam. Alijs igitur significationibus posthabitis principium nobis est illud, per quod primò rem cum mentis discursu intelligimus, & in quod omnis mẽtis discursus vltimò resoluitur. *Metaphys. lib. 5. cap. 1.* Philosophis dicitur principium Essendi & cognoscendi. Iauellus definit illud esse in ordine primum, ante quod nihil tale est, & ad quod omnia principiata sequuntur. *Epitom. in libr. 5. Metaphys. Tract. 1. cap. 1.* Hæc principia asserimus esse vera. Nam si non sunt vera, falsa esse necesse est, ac proinde nil nisi falsum ex ijsdem efficietur. *Poster. Analyt. Lib. j. context. 10.* Nunquam enim ex falso verum, nisi per accidens colligi potest. *Prior. Analyt. lib. 2. cap. 2. de potest. 2.* Neq; hoc tantùm, sed & immutabiliter vera esse debent. Per quod enim illa, quæ immutabiliter vera sunt, cognoscimus, illud ipsum immutabiliter verum esse necesse est. Principia enim, quia per se talia esse cognoscũtur, magis vera, aut saltem æquè vera esse debent, atque illa, quæ per principia cognoscuntur. *Poster. Analyt. lib. j. cont. 17. & ibi Zabarella.* Sed christiana dogmata, quæ sunt immutabiliter vera, per principia Theologica cognoscuntur. Ergo ipsa principia debent immutabiliter vera esse. Deinde principia hęc asserimus esse immediata. Nam si medium habent, erunt alia principia priora, & illa rursus si medium habent, erunt alia priora, idque in infinitum. Sed hoc est absurdum. *Poster. Analyt. lib. 1. Cõtext. 10.* Ergo statuimus principia esse immediata & indemonstrabilia. Deinde si medium haberẽt,

non

non essent in ordine prima, neque verum esset, nihil ante ea esse tale, neq; omnia principiata ad ea reducerentur. Sunt igitur immediata, id est, prima, & Indemōstrabilia, ac proinde necessaria. Nulla est enim propositio immediata, quæ non sit necessaria, ac per se, & cuius termini non necessariò cohærcant. *Poster. Analyt. lib. 1. Con. 9. & ibi Zabarella.* Deniq; omnia dogmata in Theologia sunt necessaria. Ergo & ipsa principia sunt necessaria. Fieri enim non potest, vt necessitas principiorum sit minor necessitate conclusionis. Illa enim semper vel maior est, vel æqualis. *Poster. Analyt. lib. 1. Cont. 48.* Postremò quod non est necessarium, illud quandoq; est, & non est, & potest non esse. Sed dogmata Christiana necessaria semper sunt, & non possunt non esse. Si igitur principia in Christiana religione essent non necessaria, tum illud quod non est, posset eius quod necessarium est, causa esse. Sed hoc est absurdum. *Poster. Analyt. lib. 1. Cont. 18.* Quod enim non existit, haud sanè potest alterius, quod existat, causa esse. Relinquitur igitur principia esse necessaria. Tertiò dicimus Principia Theologica esse omniū dogmatū caussas. Nam propter principia dogmata sunt, & per Principia dogmata scimus. Nemo tamen hîc somniet caussas Physicas, per quas accidens subiecto inhæret, illas relinquimus Philosophis, & loquimur de ijs causis, per quas Christiana dogmata tum in se vera sunt, tum etiam nostris mentibus ita obsignantur, vt certò sciamus ea vera esse, & aliter se habere non posse. Porrò hæc Principia sunt caussæ Essendi, & Cognoscendi, vel, vt apertiùs dicam, sunt caussæ rei

& cognitionis. Rei, Nam propter hæc Principia, Christiana dogmata necessariò vera sunt. Cognitionis, Nam propter eadem Principia, scimus Christiana dogmata vera esse, & aliter se habere non posse. *Poster. Analyt. lib. 1. Context.* 11. Quartò dicimus eadem Principia esse notiora, & priora. Priora, Sunt enim causę Rei. Notiora, Sunt enim causæ Cognitionis. Deinde dogmata sunt, & noscuntur propter principia. Ergo hæc magis & sunt & noscuntur. *Post. Analyt. lib. 1. Cont. 18.* Neq; tantùm Principia antè cognosci debēt, quod sunt: sed quod vera sunt. Nam si principia incerta sunt, etiam dogmata incerta erūt. Non enim plus certitudinis habent, quàm à principijs acceperunt. *Post. Anal. lib. 1. Context. 11.* Vnde sequitur Principia debere esse certa, ante concessa, non ambigua, neque controuersa. Rectè Basil. in psalm. 115. *ἀνάγκη ἑκάστης μαθήσεως ἀνεξετάστους εἶναι τὰς ἀρχάς.* Nam quod ante non concessum, & adhuc controuersum est, illud non est notius: Sed principium est notius. Deinde principium est certum, & necessariū: Sed ambiguum & controversum neq; certum, neq; necessarium est. Denique principium est extra controuersiam positum: sed controuersum est illud, de quo contenditur. Postremò quod in controuersiam cadit, non potest eius, quod in controuersiam cadit, principium esse. Nihil n. est suiipsius Principiū, neq; ambiguum per ambiguum demonstrari potest. Hoc docet Augustinus *lib. 3. cap. 14. contra Maximinum.* Excipit enim contra concilium Ariminense. Nam erat sibi controuersum. Et promittit se Maximinum concilio Niceno vrgere nolle. Nam hoc illi contro-

uersum

uersum erat. Has esse veras caussas manifestum est. Disertè enim dicit, se illud facere, ne quis præiudicio prematur,& addit se velle auctoritatibus scripturarum certare. Illas enim non esse vnius partis proprias,sed vtriq; communes. Vnde sequitur,illa,quæ non sunt vtrique parti cõmunia, sed alterius, siue vnius partis propria, principia esse non posse. Id Tertullianns, Arnobius, & Lactantius,cùm contra gentes disputant, suo exemplo probant. Tantùm enim argumenta ducunt ex ijs principijs, quæ non erant apud gentes controuersa. Quin ipse Paulus, cùm *in principio ad Rom.* contra gentes disputat, affert argumenta ex ijs principijs,quæ vtriq; parti erant cognita, & iam ante concessa, *ad Rom. cap. I. vers. 20. et sequentibus.* Neq; est necesse, vt hoc multis argumentis probem. Nam ipsa ratio docet, eum ridiculum esse, qui id, quod incertum est, conatur probare per id, quod æquè incertum est. Qui verò non vult cum aduersario in disputationem descendere, nisi eum prius ad Controuersa, & iniqua Principia adegerit, eum cum ratione insanire testãtur omnes homines. Adde ipsum Bellarminum fateri, *non posse quenq̃ cum aduersario disputare, nisi in aliquo cõmuni Principio cõueniant.* In Pręfat. in fine. Sed quod cõtrouersum est, in eo nondum cõueniunt. Colligo igitur Principia debere esse certa, præcognita, vera, necessaria, antè concessa,& extra controuersiam posita. His addo Principia non debere εἰς τὸ ἄλλο γένος μεταβαίνειν. Nam vt inquit philosophus, ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἀνάγκη καὶ τὰ ἄκρα καὶ τὰ μέσα εἶναι. *Poster. Analyt. lib. 1. cont. 59.* Nam si dogmata erunt necessaria, termini erunt cum medio per

ſe coniuncti, ac proinde eiuſdem generis. Si verò media ſumuntur ex alio genere, termini non per ſe, ſed per accidens cohærebunt. Cùm igitur dogmata Theologiæ ſint diuina, ſequitur principia, ex quibus illa exſtruuntur, tantùm diuina eſſe poſſe.

Caput II.

Quodnam ſit ſecundum Bellarminum tale in Theologia principium?

SVperiore capite oſtẽdimus, qualia principia eſſe debeant; ſequitur vt videamus quodnam ſecundum papiſtas in Theologiâ ſit tale; Bellarminus dicit *libros Propheticos et Apoſtolicos ſecundum mentem Catholicæ Eccleſiæ, et in Concilio Carthag. tertio, Can. 47. et in Tridentino Seßione 4. explicatam, eſſe Verbum Dei, et certam ac ſtabilẽ regulam fidei, lib. 1. Cap. 1 de Verbo Dei.* Catholicam Eccleſiã accipit pro Romana. Hæc ſententia eſt ambigua, poteſt enim ſic accipi, *Prophetici & Apoſtolici libri ſecundum mentem Romanæ Eccleſiæ explicati ſunt verbum Dei et regula fidei.* Vel ſic, *Illi libri, qui ſunt in iſtis concilijs approbati, ſunt verbum Dei et regula fidei.* Nos vtramq; ſententiam repudiamus. Sed quoniam Bellarminus integrum librum conſcripſit de vera mente Canonicarum ſcripturarũ: Ideo priore ſententia hîc prætermiſſa in ſecundam inquiremus. Bellarmini igitur ſententia eſt, non tantùm eos libros Veteris Teſtamenti, qui reuera Canonici ſunt, et omnes libros Noui Teſtamenti: ſed præter eos etiam additiones Danielis et Eſther, libros item Baruch, Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, Eccleſiaſticum, & Machabæicos duos eſſe principium Chriſtianorũ dogmatum, vel quod idem eſt, eſſe certam ac ſtabilem

lem Regulam fidei.

CAPVT III.

Quodnam sit secundum Orthodoxos tale in Theologia principium.

ORthodoxi verò dicunt omnes & ſolos Propheticos & Apoſtolicos libros eſſe principium Chriſtianorum dogmatum, vel eſſe certam & ſtabilem regulam fidei. Vult enim Paulus ad Epheſ. cap. 2. verſ. 20. *Concines ſanctorum et Domeſticos Dei ædificatos eſſe ſuper doctrinam Prophetarum et Apoſtolorum.* Prophetici illis ſunt hi: *1, Geneſis. 2, Exod. 3, Leuiticus, 4, Numeri. 5, Deuteronomium. 6 Ioſua. 7, Iudicum cum Ruth. 8, Samuelis duo. 9, Regum duo. 10, Eſaias. 11, Ieremias cum lamentationibus. 12, Ezechiel. 13, Daniel. 14, Duodecim prophetæ minores vno libro comprehenſi. Ozeas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc. Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias. 15, Iob. 16, Pſalterium. 17, Proverbia. 18, Cantica. 19, Eccleſiaſtes. 20, Paralipomenon duo. 21, Eſdræ duo. 22, Eſther.* Non plures, neq; pauciores. Apoſtolici verò ſunt hi: *Euangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Iohannis, Acta Apoſtolorum, Epiſtola Pauli ad Romanos vna. Ad Corinthios duæ. Ad Galatas vna. Ad Epheſios vna. Ad Philippēſes vna. Ad Colloſſēſes vna. Ad Theſſalonicenſes duæ. Ad Timotheum duæ. Ad Titum, Ad Philemonem, ſingulæ. Deinde Epiſtola ad Hebræos. Epiſtola Iacobi. Petri duæ. Epiſtola Iudæ. Iohannis tres, eiuſdem Apocalypſis.* Non plures, neq; pauciores. Lyra Præfat. ad Tobiam. *Libri Sacræ Scripturæ, qui Canonici nuncupantur,* loquitur de ijs omnibus & ſolis, quos ſuprà poſui, *tantæ ſunt auctoritatis, quod, quicquid ibi continetur, verum te-*

netur firmiter et indiscussè, et per consequens illud, quod ex hoc concluditur manifestè. Nam sicut in Scripturis philosophicis veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota: sic in scripturis à Catholicis Doctoribus traditis veritas cognoscitur, quantum ad ea, quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad Scripturas sacras Canonicas: quæ sunt habita reuelatione diuina: cui nullo modo falsum potest subesse.

Capvt IIII.

Status Controuersiæ proponitur, & argumenta, quibus Bellarminus probare conatus est, Additiones Danielis, et Esther, libros item Baruch, Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiasticum & Macchabaicos esse principiū Christianorum dogmatum, siue regulam fidei, refutantur.

QVæstio igitur est, an hi sex libri (Machabæicos accipio pro vno) cum tribus istis additionibus sint principium Christianorum dogmatum, vel an sint regula fidei? Bellarminus ait, nos negamus. Hæ duæ sententię ex diametro pugnāt. Ergo simul veræ esse non possunt. Ille probat suam sentētiam septem argumentis, quæ ordine expēdemus. Primum, Quia ita statutum est in concilio Carthaginēsi tertio *Can. 47*. Priusquam ipsas rationes attingo, concedo quosdam ex his libris à Carthaginēsib. admissos esse. Sed nego eos propterea esse Verbū Dei, & regulam fidei. Nulla n. Cōcilia habent istam auctoritatem, vt ex libro non Canonico posśint facere Canonicum. Nam si oīa concilia, quæ à tempore Aaron, vsq; ad ætatem Papæ Sixti, in Ecclesia Christiana, & Iudaica habita

sunt

ſunt, ſtatuiſſent fabulas Æſopi eſſe Verbum Dei non tamen propterea eſſent Verbum Dei. Neq; igitur hi libri propterea ſunt Verbum Dei, quòd in eo Concilio ita ſtatutum eſt: ac proinde incertum probatur per incertum. Sed iam ipſas rationes analyticè excutiemus. Hi libri (inquit) ſunt Canonici. Quia ita conſtitutum eſt in Concilio Carthaginenſi tertio. Argumentum tale eſt.

Quicquid eſt decretum in Concilio Carthaginenſi tertio, hoc eſt verum. Sed in illo Concilio decretum eſt, hos ſex libros eſſe Regulam fidei. Ergo hi ſex libri ſunt Regula fidei.

Bellarminus in hoc, & in ſequentibus omnibus argumentis eas præmiſſas, quæ non ſunt controverſæ, immodicis allegationibus probat; & illas, in quibus κρινόμενον eſt, præterit. Sed nos, Bellarmine, negamus Maiorem, neq; ipſe eam concedere audes. In eodem enim concilio Can. 26. decretum eſt, *Nullum Epiſcopum vocandum eſſe principem ſacerdotum, aut ſummum ſacerdotem*. Si reſpondes in hoc Canone non valere concilij auctoritatem, colligis ex puris particularibus. Colligendum enim erat. Aliquod in eo Concilio decretum, eſt verum. Hoc autem in eo decretum eſt. Ergo verum. Quod vt eſt ineptum; ita ridiculum eſt, nos à vobis huius Concilij auctoritate vrgeri, qua ipſi teneri non vultis. Sed ad rem. Cõcilium Carthaginenſe tantùm eſt prouinciale. Ergo non poteſt totum mundum obligare. Aut ſi poteſt, ſic argumentor. Quicquid in prouinciali Synodo conſtitutum eſt, hoc eſt per totum mundum obſeruandum. Sed in Concilio Laodiceno *Can. 59.* ſta-

tutum eſt, nullum ex ijs ſex eſſe Canonicum. Ergo per vniuerſum mundum credendum eſt, eos non eſſe Canonicos. Præterea Laodicenum eſt approbatum à ſexto Oecumenico Conſtantinopolitano, *Diſtinct. 16. cap. Quoniam.* Et hoc approbatum eſt à Papa Adriano. *C. Sextam. Diſtinct. eadem.* Ergo Laodicenum eſt eiuſdem auctoritatis cum ſexto Oecumenico. Quod enim in prouinciali Synodo ſtatutum, & ab Oecumenico Concilio atque à Papa approbatum eſt, hoc habet eandem vim, quam illud, quod ab Oecumenico Concilio à Papa approbato decretum eſt. Vnde ſic argumentor: Quicquid in Oecumenico Concilio à Papa approbato conſtitutum eſt (diſputo ex hypotheſi) hoc eſt immutabiliter verum. Sed Laodicena Synodus, in qua ſtatutũ eſt, hos libros nõ eſſe Canonicos, eſt ab Oecumenico ſexto, & à Papa approbata. Ergo hos libros non eſſe Canonicos immutabiliter verũ eſt. Ratio eſt manifeſta. Cõciliũ n. vniuerſale à Papa approbatũ, iuxta veſtrã Theologiã, errare non poteſt. Et vt paulò propiùs accedam, ſic diſputo. Quicquid in Oecumenico Cõcilio à Papa approbato determinatum eſt, hoc ſecundũ eandẽ hypotheſin eſt immmutabiliter verũ. Sed Laodicena Synodus, in qua hi libri extra Canonem relicti ſunt, eſt à tali Concilio approbata, patet ex prioribus. Et Carthaginẽnſis Synodus, quæ hos libros in Canone ponit, ab eodem Concilio approbata eſt. *C. Quoniam. Diſtinct. 16.* Ergo ſi Oecumenicum Concilium à Papa approbatum errare nõ poteſt, ſequitur eoſdem libros eſſe Canonicos, & non eſſe Canonicos, hoc eſt, duo contradictoria eſſe ſimul

mul vera. Prætereà quicquid in Concilio Carthaginensi statutum est, hoc est verũ. Sed in Cõcilio Carthaginẽsi statutũ est 5. esse libros Salomonis Canonicos. Errat igit̃ vniuersa Ecclesia. Nam illa tantũ tres Salomonis libros agnoscit. Deniq; in Concilio Carthaginẽsi Baruch & Machabęici extra Canonẽ relicti sunt. Iidẽ à Tridẽtinis in Canone positi sunt. Si igit̃ verũ est, quod in vtroq; concilio decretũ est, sequit̃ rursus, eundẽ librũ esse Canonicũ, & nõ esse Canonicũ, hoc est, duo contradictoria esse simul vera. Postremò & minor nõ est simpliciter vera. Baruch n. & Machabęici in isto Canone ꝑtermisi sunt. Hinc apparet auctoritatẽ Concilij Carthaginensis non aptè cõtra nos allegari, neq; propter illius auctoritatẽ librum non Canonicum fieri Canonicũ. Altera ratio est auctoritas Concilij Tridentini. Argumentũ tale.

Quicquid decretum est in Concilio Tridentino, hoc est verum. Sed in eo Concilio decretũ est, hos 6. libros cum tribus istis additionibus esse Regulam fidei. Ergo hi sex libri cum tribus istis additionibus sunt Regula fidei.

Nos concessa Minore negamus Maiorem. Tridẽtinum enim Concilium contra omne ciuile & ecclesiasticum ius celebratum est. Neque vlla iustitię formula in eo obseruata est. Ac primùm non est legitimo loco celebratum. Est enim contra protestantes institutum. Cùm igitur Germani essent Rei, debuit in Germania celebrari. Reus enim extra prouinciam producendus non est. 3. *Q. 5. C. ibi.* Disertè enim Fabianus dicit, *Ibi esse caussam agendam, vbi crimen admißum est.* Crimen verò, quod protestantibus

tibus

tibus obijciebatur, in Germania admissum erat. Deinde, idem Fabianus statuit, *vt vltra prouinciam accusandi licentia non progrediatur: sed omnis accusatio intra prouinciam audiatur, & a comprouincialibus terminetur.* C. vltra. C. Peregrina. C. Leges. C. vbi crimen. C. qui crimen. Eadem. 3. Q. 9. C. Nec extra. Et 3. Q. 6. C. Neminem, disertè dicitur, *Actorem debere rei forum sequi.* Cùm igitur reus extra prouinciam trahendus non sit, & ibi debeat caussa agi, vbi crimen admissum est, & Actor debeat Rei forum sequi: Illa verò omnia in hac Synodo neglecta sint, manifestum est, eam legitimo loco celebratam non esse. Deinde in eo concilio sententia lata est aduersario non audito, vel non præsente. Protestantes enim ad audientiam admisi non sunt, neque potuerunt impetrare, vt suam sententiam in Concilio proponerent, multo minus vt eam legitima disputatione assererent. *Sleidanus lib.* 23. Et tamē condemnati sunt. Sed hoc diuino & humano iuri aduersatur. Vtroque enim iure vetatur *quenquam damnari, quin prius sui legitimam defendendi potestatem habuerit.* Damasus enim disertè iubet, *vt accusatores, et accusati æqua audiantur ratione.* 4. Q. 4. C. Nullus. Eleuttherius etiam iubet, *vt absente aduersario sententia non feratur,* 3. Q. 9. C. Caueat. Thelesphorus, & Calixtus decernunt, *vt reo absente accusator non audiatur.* C. Accusatorij, & C. absente, eadem. Et si quid in absentem gestum est, hoc Cornelius *euacuandum censet* C. omnia. Eadem. Quin & Marcellus & Damasus decernunt, *neminem damnandum vel iudicandum esse, antequam accusatores canonicè accusatos præsentes habeant, locumq́; defendendi*

sendendi accipiant, C. non oportet, &, C. non habetur. Eadem. Denique in eo Concilio vnus & idem accusator & Iudex fuit. Papa enim protestantes hæreseos accusabat, idem Papa hoc concilium conuocauit, Idem in eo per legatos suos præfuit, vel præsedit. Atq; ita simul accusator, Iudex, & Testis fuit. Cùm tamen Fabianus disertè dicat, *neminem simul accusatorem, Iudicem vel testem esse posse*, 4. Q. 4. C. Nullus. *In omni enim iudicio quatuor distincta personæ esse debent, Iudex, Accusator, Testis, Reus.* Si quis obijciat Pontificem non immediatè per se, sed per legatos concilio præfuisse. Respondeo hoc idem esse. Perinde enim est, siue per te, siue per alium agas. Deinde Vicarius in Episcopi caussa iudex esse non potest. *Episcopus enim, cuius vices gerit, potest ei imperare.* De Appellat. C. Postremo. Præterea, si contra venerandas leges est, de Iudicis domo testem, vel accusatorē producere. 4. *Q.* 4. *C. Contra.* Certè multo magis est contra venerandas leges, ex accusatoris & capitalis hostis domo testem, & iudicem producere. Huc accedit, Iudicem in hoc concilio fuisse Rei capitalē hostem. Iam sæpè enim illum condemnauerat, proscripserat, eius libros exusserat, eumque bello persequutus fuerat. Et hęc omnia indicta caussa. At canonica patrum decreta iubent, *vt accusatio vel testimonium eorum, qui vel inimici, vel suspecti sunt, nullo modo recipiantur*, 3. Q. 5. *C.* omnes. Quin etiam disertè docent, *Inimicos et suspectos Iudices esse non posse*, 3. Q. 5. *C.* Quod suspecti. Deinde qui Consultor, vel patronus alterius partis fuit, ille neque deliberatoriū, neque consultorium suffragium ea in caussa, cuius con-

consultor, vel patronus fuit, ferre potest. At omnes legati, Marias, Marcellus, & Polus alteram partẽ suis scriptis oppugnauerunt, alteram verò iisdem defenderunt, ob eamque caussam ab ea summa beneficia exspectabant. Duo etiam ex ijs pontificiam sedem, pro qua certabant, obtinuerunt. Theologi verò & Episcopi maxima ex parte Itali, & Hispani fuerunt, ijque omnes sua beneficia precariò obtinebant à Papa, cui & per iuramentum obstricti erant. Cùm tamen *Iudex è domo sua neque testem, neque accusatorem emittere debeat,* 4. Q. 4 C. Contra. Imò ferè nulla patrum congregatio fuit, in qua dicti Theologi, & Episcopi non acerbis, & virulentis concionibus protestantes perstrinxerint, vt palàm ostenderent, se nõ vtriusque partis iudices: sed vnius patronos, alterius hostes esse. Postremò oĩa concilia debent esse libera. In hoc verò non licuit protestantib. caussam suã proponere, neq; licuit caussam defendere, *Sleid. l. 23.* Deinde non licuit quicquam proponere, nisi ex legatorum voluntate, neq; licuit aliter proponere, quàm legati iussissent. Neq; quicquam in eo determinatũ est, nisi quod priùs Romæ à Papa in collegio Cardinalium cusum, & Roma Tridentum missum erat, adeò vt in prouerbium abierit, *Spiritum Sanctum Roma per bullam mitti Tridentum.* Deinde non licuit aliud suffragium ferre, quàm ad ista decreta, quæ Romæ à Papa cusa erant, & per bullam Tridentum mittebantur, dicere PLACET. Imò ne libera quidem vox in isto concilio ferri potuit. Iacobus enim Nachiantes Clodiæ fossæ Episcopus, cùm diceret se non probare decretum, quo statuebatur *Traditiones*

esse

esse cum verbo scripto eiusdem auctoritatis, per Marcellum ex concilio pulsus est. *Balaeus fol.* 422. Dominicus item Wilhelmus Venetus cùm diceret in concilio Basiliensi decretum esse, *Concilium esse supra Papam*, ex concilio pulsus est. *Balaeus fol.* 423. Imò cùm quidã Episcopus diceret sibi absurdum videri, *Deũ vocari Sanctum, Papã verò vocari Sanctißimum*, vocatus est à Papa Romam, & Episcopatu priuatus est, ideò quòd sanctissimae illius beatitudini conuiciatus fuerat. *Balaeus fol.* 423. Quin & Paulus Vergerius ex eo concilio pulsus est, nullam aliam ob caussam, quàm quòd quidam suspicabantur, eum non satis acrem fore in Lutheranos. Et quod omnium iniquissimũ est, ferri non potuit, vt Vida Cremonensis Episcopus pro eo apud Papam intercederet. *Balaeus ibidem*. Cùm igitur hoc concilium non sit habitum idoneo loco, & vnus atque idem in eo fuerit accusator, testis & Iudex, & reus non auditus condemnatus sit, Iudex etiam fuerit Rei capitalis hostis, omnes denique interlocutores & deliberatores fuerint vnius partis patroni, alterius hostes, neque vlla libera vox in eo audiri, vel tolerari potuerit: manifestum est, ne iustitiae quidem vmbram in eo obseruatam fuisse; ac proinde eius auctoritate neminem vrgeri debere.

Tertium argumentum. Quia Innocentius Papa eos *epist. ad Exuperium* approbat.

Quicquid statuit Innocentius Papa, hoc est verũ.
Sed Innocentius Papa dicit hos 6. libros esse
Canonicos, Ergo hi 6. libri sunt Canonici.

Respondeo Maiorem esse falsam. Idem enim Innocentius in eodem Canone numerat. 4. *epistolas Iohannis:*

Iohannis: Sed in Canone tantùm ſunt tres epiſtolæ Iohannis. Idem Innocentius numerat *quinque libros Salomonis:* Sed in Canone tantùm ſunt tres Salomonis. Verba Innocentij ſunt hæc, in primo Tomo Conciliorum, Anno 30. Coloniæ per Quentel. edito, fol. 173. in epiſtola ad Exuperium, cap. 7. *Qui verò libri recipiantur in Canone ſanctarum Scripturarum, breuis annexus oſtendit. Hac ſunt ergò, quæ deſiderata moneri voce voluiſti, Moſi libri quinque, id eſt Geneſis, Exodus. Leuiticus, Numeri et Deuteronomium, nec non et Ieſu Naue, et Iudicum, et Regnorum libri quatuor, ſimul & Ruth, Prophetarum libri ſedecim, Salomonis libri quinq;, Pſalterium, item hiſtoriarum Iob liber vnus, Heſther liber vnus, Iudith vnus, Machabaeorum duo, Eſdræ duo, Paralipomenon duo. Item Noui Teſtamenti Euangeliorum libri quatuor. Pauli Apoſtoli Epiſtolæ quatuordecim. Epiſtolæ Iohannis quatuor. Epiſtolæ Petri duæ, Epiſtola Iudæ, Epiſtola Iacobi, Actus Apoſtolorum, Apocalypſis Iohannis. Cætera non ſolùm adſpicienda, ſed etiam damnanda ſunt.* Deinde & Minor non eſt ſimpliciter vera. Innocentius enim *Baruch* prætermittit, *vt et Tobiam.* Si igitur quæcunque Innocentius reijcit, abijcienda & damnanda ſunt, tum & hi duo abijciendi ſunt, & damnandi. Quartum Argumentum, quia Gelaſius Papa ita ſtatuit.

Quicquid ſtatuit Gelaſius Papa, hoc eſt verum. Sed Gelaſius Papa, dicit hos ſex libros eſſe canonicos. ergo hi 6. libri ſunt canonici.

Reſpondeo. Maiorem eſſe falſam. Idem n. Gelaſius numerat tantùm *vnum librum regnorum*, & Samuelē preterit. At vniuerſa Eccleſia, Samuelis libros inter

Canonicos

canonicos numerat. Deinde & Minor non est simpliciter vera. Gelasius n. vnum *Machabaorũ, et Baruch* extra Canonem relinquit. Deniq; omnia hæc argumenta sunt ridicula. Nulli enim libri propter Papæ auctoritatem sunt Canonici. postremò hi duo Papæ ex diametro inter se pugnant. Innocentius enim numerat *Quinque libros Salomonis* : Gelasius tantùm *tres*. Innocentius numerat *duos libros Machabaorum*, Gelasius non nisi *vnum*. Innocentius numerat *quatuor libros Regnorum*, Gelasius non nisi *vnum*. Innocentius numerat *duos Esdræ*, Gelasius non nisi *vnum*. Innocentius *Tobiam* reprobat, Gelasius eum approbat. Innocentius numerat *quatuor Epistolas Iohannis*, Gelasius non nisi *tres*. Quæ omnia si simul vera esse possunt, tum Papa efficere potest, vt duo contradictoria sint simul vera. Deinde si hæc omnia vera sunt, tum Papa potest librum non Canonicum Canonizare, & Canonicum ex Canone expungere. Et quod hactenus simpliciter impoßibile iudicatum fuit, potest facere, vt idem liber sit Canonicus & non Canonicus, idq; eodem tempore. Quintum Argumentum. quia Augustinus ita docuit.

Quicquid dicit Augustinus, hoc est verum. Sed Augustinus dicit hos sex libros esse Canonicos. Ergo hi sex libri sunt Canonici.

Quia magna est Augustini in Ecclesia auctoritas, ideo hoc Argumentum paulò diligentiùs expendẽdum est. Augustini verba sunt hæc: *Totus Canon scripturarum his libris continetur, Quinq; Moseos, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, et vno libro Iesu Naue, vno Iudicum, vno libello, qui appellatur*

Ruth, deinde quatuor regnorum, et duobus Paralipomenō. Deinde sunt & alij, vt Iob, & Tobias, et Hesther, et Iudith, et Machabaeorum libri duo, et Esdrae duo. Deinde Prophetae, in quibus Dauid, vnus liber Psalmorum: et Salomonis tres, Prouerbiorum, Cantica Canticorum, Ecclesiastes. Vnus qui Sapientia, & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur. Duodecim Prophetarum libri singuli, Hosee, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abakuc, Sophonias, Haggaeus, Zacharias. Malachias. Deinde Esaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. His quadraginta quatuor libris Veteris Testamenti terminatur aucttoritas. De Doctr. Christ. lib. 2. Cap. 8. Nos dissimulata Maiore, respondemus ad Minorem, duas tantùm esse vias cognoscendi librum Canonicum: Vnam per testimonia Prophetę. Qui enim prophetico spiritu prçditus est, ille potest librum propheticum à non prophetico distinguere. Alteram per testimonium eorum, qui vixerunt, cùm liber ederetur, vel (quod idem est) à testimonijs eorum, qui illud à prioribus testibus acceperunt. Augustinus contra Faustum lib. 33. cap. 6. *Vnde constat, quid cuius sit, nisi quia his temporibus quibus ea quisque scripsit, quibus potuit, insinuauit, atque edidit, & inde in alios atque alios continuata notitia, latiusque firmata ad posteros, etiā vsque ad nostra tempora peruenerunt, ita ut interrogati cuius quisque liber sit, non haesitemus, quid respondere debeamus.* Priori via hoc Augustinus cognoscere non potuit. Ipse enim non fuit propheta, nec eo tempore propheta fuit, à quo hoc discere potuerit. Debuit igitur hoc cognoscere ex testimonio eorum, qui vixerunt, cùm hi libri ederentur: vel ex testimonio eorum, qui hoc à priori-

bus

bus teſtibus acceperunt. Sed non didicit ab ijs teſtibus, qui vixerunt cùm hi libri ederentur. Ex ijs enim omnibus nemo Auguſtini ætatem attigit. Relinquitur igitur teſtimonium eorum teſtium, qui hoc à prioribus teſtibus acceperunt. Illi verò ſunt vel Chriſtiani, vel Iudæi. A Iudæis non didicit. Ioſephus enim lib. 1. contra Appion. contrarium teſtatur, diſertè enim dicit *tantùm 22. libros Veteris Teſtamenti eſſe Canonicos, eosq́; omnes ſcriptos eſſe ante Artaxerxis ætatem. Et vt nulla dubitādi materia eſſet, diuidit eos in quinque libros Moſis, & in tredecim prophetarum, & in alios quatuor, qui continent hymnos erga Deum, & precepta morū.* Dicit prętereà *ex ijs quæ poſt Artaxerxen ſcripta ſunt, nihil habere Canonicam auctoritatem, idq́; ob eam cauſſam, quod ab eo tempore non fuerit certa prophetarum ſucceſſio*. Hæc eſt cōmunis omnium Iudæorum ſententia, neque quiſquam eſt ex ijs omnibus, qui contrarium ſentiat. Non potuit igitur Auguſtinus à Iudæis, neque ab ijs qui tempore prophetarum vixerunt, neq; à ſubſequentibus diſcere, hos libros eſſe canonicos. Didicit igitur à Chriſtianis. Chriſtiani duplices ſunt. Alij ſunt prophetæ, alij non ſunt prophetæ. Prophetæ, vt Apoſtoli. Hi abſque errore potuerunt iudicare, quinam libri ſint canonici. Non prophetæ, vt reliqui Chriſtiani. Hi potuerunt de hoc Apoſtolorum iudicio teſtari. Si igitur Auguſtinus hoc à Chriſtianis didicit, tum didicit hoc vel ab ipſis apoſtolis, vel ab ijs, qui Apoſtolos ſequuti ſunt. Si ab Apoſtolis: tum vel ipſe hoc immediatè ab ijs audiuit, vel in eorum ſcriptis legit. At non audiuit ab Apoſtolis. Apoſtoli enim omnes longè ante

Auguſtini ætatem mortui ſunt. Neque in illorum ſcriptis legit. In ijs enim nihil tale extat. Ergo ab Apoſtolis non accepit. Proinde ſi à christianis accepit, accepit ab ijs, qui Apoſtolos ſequuti ſunt. Sed neque ab ijs accepit. Ex omnibus enim patribus (ſuppoſititios Clementis Canones excipio) qui inter Apoſtolorum, & Auguſtini ætatem vixerunt, nemo eſt, qui ſe hoc ab Apoſtolis audiuiſſe teſtatur. Euſebius enim *lib. 3. Eccles. Hiſtor. cap. 8.* Teſtimonium Ioſephi ſupra laudatum, ijſdem verbis quibus Ioſephus illud deſcripſit, approbat. Quod vtique non feciſſet in communi Eccleſiæ hiſtoria, ſi contrarium ab apoſtolis traditum fuiſſet. Inde enim apparet Iudæos & Chriſtianos eo tempore de libris Canonicis idem ſenſiſſe. Et vt res plenè intelligatur, oſtendam quid ſingulis ſeculis Eccleſiæ doctores ab apoſtolis vſque ad Auguſtinum de hac re iudicauerint. Et ſequar iſtum ordinem, quem Caniſius in ſua Chronologia annotauit. Ille in prima ætate, qua & apoſtoli vixerunt, inter ſcriptores Eccleſiaſticos (loquor de ijs, qui Canonis ſcripturarum meminerunt) ponit Ioſephum. Sed ab illo Auguſtinus hoc diſcere non potuit. Ioſephus enim non quadraginta quatuor, Sed tantùm viginti duos libros canonicos eſſe aſſerit, vt oſtendimus. In ſecunda ætate ponit Melitonem. Sed nec ab eo Auguſtinus hoc diſcere potuit. Melito enim apud Euſeb. lib. 4. Eccles. Hiſt. cap. 26. *Scias ergo,* inquit, *perrexiſſe me vſque ad orientis locum, vbi prædicationis noſtræ cœpit exordium, & vbi geſta ſunt illa omnia, quæ leguntur ſcripta, ibiq́; diligenter de omnibus exploraſſe, quæ eſſent Veteris Teſtamenti volumina.*

Ibi

Ibi igitur quæ cum omni inuestigatione comperi, hæc sunt: Mosi libri quinque: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri & Deuteronomium. Tum deinde Iesu Naue, Iudicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Psalmi Dauid, Salomonis Prouerbia, quæ & Sapientia. Nota meum codicem inter Prouerbia Salomonis, & Sapientiam non distinguere: sed numerare pro vno & eodẽ libro, *Ecclesiastes, Cantica Canticorũ, Iob. Prophetæ autem Ezaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. Prophetarũ duodecim liber vnus, Esdras.* Vbi præter cætera notandũ est, Cùm Melito tam diligẽter ab orientalibus didicerat, qui nam libri sint Canonici, et tamẽ non alios quàm hos numeraret: nõ esse verisimile, vt Apostoli iudicârint hos libros esse Canonicos. Ea enim res in Libya, vbi Melito erat, & in Oriente, vbi Apostoli docuerant, simul incognita esse non potuit. Tertia ætate ponit Origenem. Sed nec ab illo Augustinus hoc discere potuit. Origines n. apud Euseb. *Eccl. Hist. lib. 6. cap. 25.* tantùm numerat viginti duos libros canonicos in veteri testamento. *Non ignorandũ,* inquit, *Viginti duos esse libros in Canone Veteris Testamenti, sicut Hebræi tradunt, secundũ numerum elemẽtorum, quæ apud ipsos habentur.* Et paulò post addit: *Hi sunt aũt viginti & duo libri: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Naue, Iudicũ, Regnorum primus et secũdus, vnus liber est apud illos, quẽ nominãt Samuel, item tertius & quartus vnus est apud ipsos, quem appellant Regnũ Dauid: et Pralipomẽnon primus et secundus in vno habentur. Esdras primus et secundus in vno est. Item liber Psalmorũ, Salomonis Prouerbia, et alius Ecclesiastes, et tertius eiusdem Cantica Canticorũ. Sed & duodecim Prophetarum liber v-*

nus est. Ezaias Propheta, Ieremias vnà cum Threnis & epistola in vno est, Ezechiel, Daniel, Iob, Esther. In his cōcludunt Canonem diuinorum librorum. Machabæorum verò libros extrinsecus habent. Eadem ætate ponit Cyprianum. Sed nec ab eo hoc discere potuit. Cyprianus enim in symbolo, *Et ideo,* inquit, *quæ sunt Noui, ac Veteris Testamenti volumina, quæ secundum Maiorum traditionem per ipsum Spiritum Sanct. inspirata creduntur, & Ecclesijs Christi tradita, competens videtur in hoc loco, euidenti numero, sicut ex patrum monumentis accepimus, designare. Itaq; Veteris Instrumenti primo omnium quinque Mosis libri sunt traditi, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: post hoc Iesu Naue, Iudicum simul cum Ruth, quatuor posthæc Regum libri, Paralipomenon & Esdræ libri duo, qui apud illos singuli computantur, & Hesther: Prophetarum verò Ezaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel: præterea duodecim Prophetarum liber vnus: Iob quoque, & Psalmi Dauid libri singuli: Salomonis verò tres Ecclesiis traditi, Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum. In his concluserunt numerum librorum Veteris Testamenti.* Et paulò post. *Sciendum tamen est, quod & alij libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici à maioribus appellati sunt. Vt Sapientia, Ecclesiasticus, Iudith, Tobias, & Machabæorum libri.* Quarta ætate ponit Eusebium. Sed nec ab eo hoc Augustinus discere potuit. Eusebius enim per Iosephum, Melitonem & Origenem contrarium testatus est, vt ex locis suprà citatis manifestum est. Eadem ætate ponit Athanasium. Sed nec ab eo Augustinus hoc discere potuit. Athanasius enim in Synopsi, *Omnis,* inquit, *nostra, qui Christiani sumus, scriptura diuinitùs inspirata est. Libros*

habet non infinitos, sed finitos, ac certo Canone comprehensos. Et Veteris quidem Instrumenti sunt isti, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Iesus filius Naue, Iudices, Ruth, primus & secundus Regum in unum computantur volumen, Tertius & quartus Regum pro vno computantur volumine. Esdras prior & posterior in vno comprehenduntur volumine. Psalterium, Parabolæ Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Duodecim prophetæ vno volumine comprehensi, Ezaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. Præter istos autem sunt adhuc alij Veteris Testamenti libri non canonici, qui Catechumenis tantùm leguntur, Sapientia, Ecclesiasticus, Additiones Esthere, Iudith, Tobias. In eadem ætate ponit Hilarium. Sed nec ab eo Augustinus hoc discere potuit. Hilarius n. Præfat. in Psalm. *in viginti duos*, inquit, *libros lex Veteris Testamenti deputatur, vt cum literarum numero conuenirent, Qui ita secundum traditiones Veterum deputantur, vt Mosi sint libri quinque, Iesu Naue sextus, Iudicum & Ruth septimus. Primus et secundus regnorum in octauum. Tertius & quartus in nonum. Paralipoménon duo in decimum. Esdræ in vndecimum. Liber Psalmorum in duodecimum. Salomonis Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum in 13. 14. & 15. Duodecim prophetæ in decimum sextum. Ezaias deinde, Ieremias cum Lamentationibus & epistola, sed & Ezechiel & Daniel, & Iob & Esther viginti et duorum librorum numerum consummant. Quibusdam autem visum est additis, Tobia & Iudith viginti quatuor libros secundum numerum 24. literarum Græcarum connumerare.* In quinta ætate ponit Nazianzenum. Sed nec ab eo Augustinus hoc discere potuit. Nazianzenus enim in carmine de S. Scripturæ libris. inquit,

primus Genesis, deinde Exodus, Leuiticúmque, deinde Numeri, deinde secūda lex, deinde Iesus, & Iudices, Ruth octauus, at nonus decimusq́ liber Gesta regum, & prætermissa, vltimum Esdram habes. At carminei quinque, quorum primus quidem Iob, deinde Dauid, deinde tres Salomonis, Ecclesiastes, Cantus & Prouerbia. Et quinque similiter spiritus prophetici, vnam quidem sunt in scripturam duodecim, Osee, Amos, & Micheas tertius, deinde Ioël, deinde Ionas, Abdias Naumq́ Habakucq́ & Sophonias, Aggæus, deinde Zacharias, Malachias, vnus quidem hi, secundus autem Esaias, deinde vocatus Ieremias ab infanti, deinde Ezechiel, & Danielis gratia, Antiquos quidem posui duos & viginti libros hebræorum scriptis oppositos. In eadem ætate ponit Hieronymum. Sed nec ab eo hoc Augustinus discere potuit. Hieronymus enim in Prologo Galeato: *Quomodo igitur,* inquit, *Viginti duo Elementa sunt, per quæ scribimus hebraicè omne quod loquimur, & eorum initijs vox humana comprehēditur. Ita Viginti duo Volumina supputantur, quibus quasi literis, & Exordijs in* Dei *doctrina tenera adhuc & lactens viri iusti eruditur infantia. Primus est Genesis. 2, Exodus. 3, Leuiticus. 4, Numeri. 5, Deuteronomium. 6, Iosue. 7, Iudices cum Ruth. 8, Samuel. 9, Regum. 10, Ezaias. 11, Ieremias. 12, Ezechiel. 13, Duodecī Prophetæ minores. 14, Iob. 15, Dauid. 16, Prouerbia. 17, Ecclesiastes. 18, Canticum. 19, Daniel. 20, Paralipomena, 2. 21, Esdras. 22, Esther.* Et paulò post. *Quicquid,* inquit, *extra hos est, inter apocrypha ponēdum est. Igitur Sapiētia, Syrach, Tobias, Iudith non sunt in Canone. Quod idem de Machabæorum libris affirmat.* In eadem ætate ponit Concilium Laodicenum. Sed neq; ab eo hoc Augustinus discere potuit.

Laodi-

Laodicenum enim Conciliũ canone 59. *Quæ*, inquit, *in auctoritatem recipi debent, sunt hæc, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion, Iosue, Iudicũ, Ruth, Regnorũ libri quatuor, Paralipomenωn libri duo, Esdra primus & secũdus, Psalmorũ liber, Prouerbia, Ecclesiastes, Canticum, Iob, Hesther, Duodecim prophetæ minores, Ezaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel.* In eadem ætate ponit Epiphaniũ. Sed nec ab eo Augustinus hoc discere potuit. Epiphanius enim Hæresi. 8. *habebant Iudæi*, inquit, *vsque ad reditum à captiuitate Babylonis libros, & Prophetas hos: 1, Genesin. 2, Exodum. 3, Leuiticum. 4, Numeros. 5, Deuteronomium. 6, Librum Iesu Naue. 7, Iudicum. 8, Ruth. 9, Iob. 10, Psalterium. 11, Prouerbia Salomonis. 12, Ecclesiasten. 13, Canticũ Canticorũ. 14, primũ librũ Regnorũ. 15, secundũ Regnorum. 16, tertiũ Regnorum. 17, quartum Regnorum. 18, primum Paralipomenωn. 19, secundũ Paralipomenωn. 20, Duodecim Prophetas. 21, Ezaiam. 22, Ieremiam cum Lamentationibus, & Epistolis ipsius ac Baruch.* Nota in Baruch errare Epiphanium, hunc enim Iudæi nunquam habuerunt pro Canonico. 23, *Ezechielem. 24, Danielem. 25, Primum Esdræ. 26, Secundum Esdræ. 27, Esther. At hi sunt viginti septem libri à Deo Iudæis dati. Verùm viginti duo secundum numerum Hebraicarum litterarum numerati; proptereà quod decem libri in quinq; duplicantur.* Idẽ in libro de ponderibus: *Sunt libri*, inquit, *genuini quinq; legales, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomiũ. Deinde alter Quinarius habet appellatas scripturas, & sunt hæc, Iesus Naue, liber Iudicum cum Ruth, primus Regnorum cum secundo, Tertius Regnorum cum quarto, primus Paralipoménωn cum secundo. Tertius deinde Quinarius*

narius habet versu scriptos libros, Librum Iob, Psalteriũ, Prouerbia Salomonis, Ecclesiasten eiusdem, Canticũ Canticorum eiusdẽ. Quartus Quinarius est propheticus, duodecim prophetæ liber unus. Ezaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. Manserunt autem extra hunc ordinem alij duo libri ipsius Esdræ, qui pro vno reputantur, & alius liber Esther appellatus. In eadẽ ætate ponit Cyrillũ Hierosolymitanum. Sed nec ab eo Augustinus hoc discere potuit. Cyrillus enim Catechesi 4. dicit *in Veteri Testamento viginti duos libros*, quos & nos agnoscimus, *esse Canonicos*, & addit, *nos non debere plures quærere, Apostolos enim & veteres Episcopos, qui nobis prudentiores fuerunt, hos tantum nobis pro Canonicis commendasse & tradidisse*. Præter hos ex patribus, qui ante Augustinũ vixerunt, nemo (suppositititios Clementis Canones excipio) est, qui Canonem descripsit. Dum igitur Augustinus, quem Canisius post Cyrillum ponit, numerat quadraginta quatuor libros Canonicos, aut sentit cum prioribus Ecclesiasticis doctoribus, aut ab ijs dissentit. Si sentit cum ijs, salua res est. Si verò ab ijs dissentit, æquum est, vt illorum omnium auctoritatem potiùs sequamur, quàm vnius Augustini. Præsertĩ cum Augustinus hîc nõ plus fidei mereatur, quàm à prioribus testibus acceperit, docet hoc ipse Augustinus *contra Faustũ lib. 33. cap. 6.* vt suprà docuimus. Vno verbo. Si Augustinus τὸ *Canonicum* eodem modo accipit, vt reliqui omnes patres: tum Maior est simpliciter falsa. Reliquorũ enim omnium patrum testimonium vnius Augustini testimonio meritò præferimus. Si verò τὸ *Canonicum* aliter accipit, atque reliqui patres, tum frustrà contra

contra nos allegatur. Et vt res tota rectiùs intelligatur, Dico vocem τὸ *Canonicum* esse æquiuocam. Potest enim illud Canonicum dici, quod in Ecclesia tanquam morum canon legitur. Deinde & illud est Canonicum, quod est Christianæ fidei canō & norma. Caietanus in fine comment: ad hist. vet. test. *Ne turberis*, inquit, *Nouitie, si alicubi reperias libros istos inter Canonicos supputari, vel in sacris concilijs, vel in sacris doctoribus. Non autem sunt Canonici .i. regulares ad firmandum ea, quæ sunt fidei. Possunt tamen Canonici .i. regulares dici, ad ædificationem fideliū, vtpote in Canone Bibliæ ad hoc recepti. Cum hac distinctione poteris discernere dicta Augustini, & scripta in concilio prouinciali Carthaginensi.* Si igitur Augustinus τὸ *Canonicū* de moribus intelligit, nos eum recipimus. Sed tum sunt vel quatuor termini, vel nihil contra nos concluditur. Nam si τὸ *Canonicum* de moribus tam in Maiore, quā in Minore intelligitur, tum nihil contra nos statuitur: Ita enim hos libros posse Canonicos dici, non negamus. Si verò de Canone fidei intelligitur, tum Maior est falsa, vt suprà ostensum est. Si denique Maior de Canone morum, & Minor de Canone fidei intelligitur, tum sunt quatuor termini. Deinde ipsum Augustinum hoc non de Canone fidei intelligere certū est. Omnes enim libri canonici fidei in vet. Test. sunt apud omnes Christianos in æquali auctoritate. Sed libri ab Augustino nominati, ne quidem secundum ipsum Augustinum sunt in pari auctoritate. Ergo omnes isti libri ab Augustino nominati non sunt Canonici fidei. Maior certa est, quia in omnibus Canonicis libris par, & eadem est fidei auctori-

auctoritatis causa, nēpe Spiritus Sancti, qui eos inspirauit, perpetua, & vbique indubitata auctoritas, & eam etiam probat ipse Bellarminus. Minorem verò ponit Augustinus eodem illo, quem citauimus, loco, de Doctr. Christ. lib 2. cap. 8. *Tenebit igitur*, inquit, *hunc modum in scripturis Canonicis, vt eas, quæ ab omnibus recipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quadam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiũtur ab omnibus, præponat eas, quas plures grauioresq; accipiunt, eis, quas pauciores, minorisq; auctoritatis Ecclesiæ tenent.* Idem docet Gratianus *Dist. 19. C. in Canonicis.* Vbi tamen non dissimulo, verba Augustini esse à Gratiano à sacris litteris ad epistolas decretales detorta. Idem docet Glossator ad dictum locum. Deinde ad marginem annotatum est, *Scripturæ Canonicæ non sunt in eadem veneratione*, nec ab hac sententia dissentit præfator ad glossam ordinariam. Præterea ipse Augustinus testatur hos libros controuersos ideo à se Canonicos dici, quòd *in Ecclesia leguntur.* Nam cùm liber Sapientiæ, quem hîc Canonicum dixit, exploderetur, reddit caussam quare hoc fecerit, lib. 1. de Prędest. Sanct. cap. 14. *Quæ cùm ita sint*, inquiens, *non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum, tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis vsq; ad extremos Laicos fideles, pœnitentes & Catechumenos cum veneratione diuinæ auctoritatis audiri.* Hinc apparet Augustino idem esse Canonicum, atque Ecclesiasticum. Sed quando Canonicum hoc modo accipitur, tum non negamus os esse Canonicos, multa enī egregia morũ præcepta

pta in ijs continentur. Intereà tamen cum tota antiquitate negamus, eos ita Canonicos esse, *vt fides ex ijs in rebus controuersis probari poßit.* Hęc licet ita se habeant, nō tamen erubescit Bellarminus dicere, veterem Ecclesiam ab Apostolis didicisse, hos libros esse Canonicos. Sed hoc falsum esse ex testimoniis suprà citatis manifestum est, & ratio ipsa hoc docet. Nam si Christus & Apostoli sciuerunt hos libros à Iudęis repudiatos, esse Canonicos, & non reprehenderunt tam nefarium facinus, non fideliter functi sunt suo officio; Sed hoc dicere absurdum est & impium. Ergo illud, ex quo hoc consequitur, est absurdum & impium. Consequentia est manifesta. Illorum enim officium erat omnes corruptelas corrigere, & veram doctrinę formam instituere. Sed sex integros libros à diuino volumine resecare, nefanda impietas erat. Et eosdem libros agnoscere, maximè pertinebat ad doctrinæ institutionem. Ergo sine neglectione officij à Christo & Apostolis negligi non potuit. Iam verò nusquam legimus, Christum vel Apostolos insimulasse Iudæos mutilati, vel deprauati Canonis. Ergo necessariò concludo, falsum esse Bellarmine, quod dicis, Augustinum & reliquos ab Apostolis didicisse, hos libros esse Canonicos. At dicis, patres in Concilijs congregatos, affirmare se ab Apostolis didicisse, hos libros esse Canonicos. Argumentum tale.

Quicquid aliqui Patres ab Apostolis se accepisse dicunt, hoc docuerunt Apostoli. Sed aliqui patres dicunt se ab Apostolis didicisse hos libros esse Canonicos. Ergo Apostoli docuerunt

runt hos libros esse Canonicos.

Respondeo, Maiorem esse falsam. Sæpè enim accidit, vt cùm Patres rem aliquam volunt diligenter commendare, vel quando eius originem ignorant, eam ad Apostolos referant. Iustinus *in Dialog. cum Tryphone* errorem Chiliastarum defendit nomine Apostolicę traditionis. Irenęus *lib. 2. cap. 39.* dicit se ex traditione habere, Christum vixisse in terris, 5c. annos. Basilius *in oratione de natiuitate Domini* dicit se ex traditione accepisse, Zachariam ideo inter templum & altare à Iudæis trucidatum esse, quòd asseruisset, Mariam post partum mansisse virginem. Polycarpus *apud Euseb. lib. 5. cap.* 24. dicit se ex traditione habere Christianos debere pascha celebrare cum Iudæis. Similia passim apud Patres. Atqui hęc omnia tamen falsa sunt. Ergò non quicquid patres dicunt se ex traditione Apostolica habere, illud Apostoli docuerunt. Deinde & Minor falsa est. Hieronymus n. in Prologo Galeato dicit *eos inter Apocryphos ponendos esse*. Cyprianus in Symbolo negat eos esse *in Canone*. Nazianzenus in carminib. de genuinis S. Scripturę libris, dicit eos non esse ἐν γνησίοις, Cyrillus Catechesi 4. dicit, *Apostolos non agnouisse plures, neq; nos plures agnoscere debere, ne ipsis Apostolis sapientiores esse velle videamur.* Athanasius in Synopsi negat item eos *esse Canonicos.* At hi Patres non negarent eos esse Canonicos, si ab Apostolis didicissent eos esse in Canone. Cùm igitur neque Maior, neque Minor, vera sit, manifestum est hanc obiectionem apud cordatos non multum ponderis habere posse. Sextum Argumentum. Quia Isidorus

dorus *libr.6.cap. 1. Etymolog.* Caſsiodorus *lib. 1. diuinarum lectionum*, & Rabanus *lib 2. de inſtitut. Clericorum*, teſtantur hos libros eſſe Canonicos.

Quos libros Iſidorus, Caſsiodorus & Rabanus dicunt eſſe Canonicos, illi ſunt Canonici. Sed illi dicunt hos quinque libros eſse Canonicos. Ergo hi quinque libri ſunt Canonici.

Reſpondeo hoc Argumentum poſſe reijci. Vixerunt enim hi tres Patres poſt ætatem Auguſtini. Sed eo diſsimulato, dico Maiorem eſse falſam. Non enim quicquid Iſidorus, Caſsiodorus & Rabanus dicunt, hoc verum eſt. Deinde & Minor vel eſt ambigua, vel non prorſus vera eſt. Iſidorus enim *lib. 6. cap. 1.* prorſus numerat eoſdem libros, quos nos numerauimus. Præterea idem Iſidorus lib. 6. cap. 3. Etymolog. dicit tantùm. 22. *libros ab Eſdra in Canonem relatos eſſe.* Rabanus de inſtitutione cap. 54. dicit totum vetus teſtamentum *ab Eſdra in 22. libros diſtributum, vt tot libri eſſent in lege, quot habentur litteræ.* Doceat igitur Bellarminus, vbi, quando, & per quem libri ab Eſdra pręteriti in Canonem relati ſint, quod ſi facere non poteſt, deſinat, à Patrum auctoritate, quam contra ſe eſſe videt, contra nos diſputare. Denique ex Auguſtino, Iure Canonico, & Caietano docuimus Canonicum eſſe multiplex. At de Canone morum poſset concedi, de Canone fidei non item. Statuimus n. cum Hieronymo pręfat. ad libros Salomonis, *Eccleſiam ea legere, non ad auctoritatem dogmatum Eccleſiaſticorum confirmandam, ſed ad plebis ædificationem.* Septimũ Argumentũ quia ijdem Patres dicunt hos libros diuinos eſſe.

Quod

Quod aliqui Patres dicunt, hoc eſt verum, ſed aliqui Patres dicunt, hos libros diuinos eſſe. Ergo ſunt Canonici.

Reſpondeo Maiorem eſſe falſam, Multi enim patres multa affirmant, quę etiam ipſi papiſtę falſa eſſe fateri coguntur. Deinde & Minor eſt falſa. Canones enim Apoſtolorum dicunt *tertium librum Machabaeorum, duas epiſtolas Clementis, & eiuſdem octo libros inſtitutionum eſſe* βιβλία σεβάσμια καὶ ἅγια. Ambroſius *quartum Eſdrae vocat librum diuinum, de bono mortis capite decimo, & libro ſecundo in Lucam, de nomine praecurſoris*. Non igitur quemcunque librum aliquis pater diuinum eſſe dicit, ille eſt Canonicus. Poſtremò aliud eſt in concluſione quam in pręmiſsis; tantùm enim ſequitur hos libros diuinos eſſe. At hoc, licet non propter eas præmiſſas, concedimus; fatemur enim eſſe libros diuinos, ſanctos, ſacros, & Eccleſiaſticos; & tamen non eſſe Canonicos. Hoc cùm te Chemnitius doceret, effugium eſse reſpondebas, ac vt videas hanc reſponſionem non eſſe effugium, ſed eſse ipſam veritatem, oſtendemus Eccleſiam ita ſemper & dixiſse & ſenſiſse, Cyprianus in ſymbolo dicit, *eos non eſſe Canonicos, ſed Eccleſiaſticos à maioribus appellatos*. Idem dicit *eos legi in Eccleſia, ſed non proferri ad auctoritatem fidei ex iis confirmandam*. *Epiphanius in lib. de ponderib.* *dicit eos eſſe* χρησίμους καὶ ὠφελίμους ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν τῶν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρεσθαι. Hieronymus in Prologo ad lib. Salom. dicit, *Eccleſiam eos legere ad plebis informationem: ſed inter Canonicas ſcripturas non recipere*. Prętator gloſſę ordinarię: *Boni ſunt*, inquit, *& vtiles*, *nihilq́ in*

eis

is, quod Canonicis obuiet, inuenitur, ideo Ecclesia eos egit, & permittit, vt ad deuotionem, & ad morum informationem à fidelibus legantur, eorum tamen auctoritas ad probanda ea, qua veniunt in dubium, & ad confirmandam Ecclesiasticorum dogmatum auctoritatem non videtur esse idonea. Lyra ad Prolog. Hieron. in Tob. *Hi libri recepti sunt ab Ecclesia, vt ad morum formationē in ea legantur, tamen eorum auctoritas ad probanda ea, qua in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur.* Hinc manifestum est, Ecclesiam habuisse eos libros pro sanctis, sacris, & Ecclesiasticis, neque tamen pro Canonicis agnouisse. Atque hæc sunt vniuersalia Bellarmini pro his libris argumenta, quæ prolixiùs refutaui, & moneo vt posthac nostram sententiam, nō tam superbè reijciat; ne vel primitiuæ, & sequentis Ecclesiæ sententiam ignorare, vel veritatem contra conscientiam oppugnare videatur.

CAPVT V.

Additiones Danielis, & Esther, liber item Baruch, Tobias, Iudith, Sapientia, Sirach & Machabaici non sunt principium Christianorum dogmatum.

NVnc immotis argumentis ostendemus eos non esse, neque posse esse principium Christianorū dogmatum. Ac primum sunt dubij, & in controuersia positi. At principia sunt certa & extra controuersiam posita. Deinde non sunt utrique parti communes, sed unius proprij. at principia non debent unius partis propria, sed utrique communia esse. Pręterea principia debēt esse vera, & quidem immediatè vera, At in his libris sunt multa falsa. Deniq; principia de-

 bent

bent esse ἀπόκρυφα. At hi libri à multis Ecclesijs non recipiuntur. Atq; hęc sufficerēt hominibus doctis,& moderatis. Sed quoniam nobis cum contentiosis,& obstinatis negotium est, ideo paulò diligentiùs hanc rem probabimus. Ac primùm dicimus eos non esse à Prophetis scriptos, Solos verò libros prophetarum in V.T. esse Canonicos. Christus enim ex ijs tantùm suam doctrinam contra Iudæos probat. Luc. 24,27. *& incipiens a Mose, & ab omnibus prophetis, interpretabatur illis, in omnibus scripturis, quæ de se scripta erant*, Luc. Cap. 24. vers. 44. *necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me.* Prætereà Apostoli ita attemperarunt suam doctrinam, vt nihil docerent, nisi quod esset in libris prophetarum Act. Cap. 26,22. *Nec quicquam dicens extra ea, quæ prophetæ & Moses predixerant.* Act. 24,14. *Vt qui credam omnia, quæ in Mose & prophetis scripta sunt.* Denique Christus & apostoli relegant omnes ad doctrinam prophetarum. Luc. 16,19. *Habent Mosen & prophetas, audiant eos.* 2. pet. 1,19. *habetis firmißimum sermonem propheticū, cui, rectè facitis, quòd attendatis.* Postremò Berhoënses laudantur, *quòd sermones Pauli ad scripturam examinauerint.* Act. 17,11. Atqui tum nulla alia erat scriptura, quàm Prophetarum. Ex his omnibus concludo, omnes & solos libros propheticos, in veteri testamēto, esse regulā fidei. Sed hi sex libri, & hæ tres Additiones non sunt libri prophetarū. Nulli n. prophetarū libri sūt originaliter scripti grecè. Sed Additiones Danielis & Estheræ; itē liber Baruch, alter Machabęorum, & Sapientię sunt citra omnem controuersiā originaliter scripti gręcè. Deinde oīm piorum communis

munis ſententia eſt, Malachiam eſſe oĩm prophetarum vltimum, neq; poſt eum quidquam propheticum, in Eccleſia Iudaica, editũ eſſe. Sed Additiones Danielis & Eſtheræ, Liber item Eccleſiaſticus, Sapientię & Machabęicus vterq; ſunt citra omnem controuerſiam poſt Malachiam ſcripti. Prætereà Ioſephus lib.1.cont.Appion. *teſtatur nullũ librum, qui poſt Artaxerxis ætatem editus eſt, habere auctoritatem parem libris Prophetarũ.* Idem Euſebius ijſdẽ verbis aſſerit, *lib.3. Eccleſiaſt. Hiſt. cap.10.* Rationem vterque hanc reddunt, quòd ab eo tempore non fuerit ἀκριβὴς διαδοχὴ τῶν προφητῶν. Atque hæc eſt omnium doctorum communis ſententia. Sed Additiones Eſtheræ ſunt ſcriptæ poſt ætatem Artaxerxis. Capite enim 11. ver. 1. fit mentio *Ptolomæi & Cleopatræ.* Eccleſiaſticus item poſt eam ætatem ſcriptus eſt. In præfatione enim verſ.8. fit mentio *Ptolomæi Euergetis.* Sed & Sapientiæ liber eſt poſt eam ætatem editus, omnes enim eum fatentur eſſe *Philonis*. Philo verò eſt Apoſtolorum coætaneus. Machabæorum etiam ambo poſt eam ætatem ſcripti ſunt. Hiſtoria n. Machabæorum, quam illi continent, longo tempore poſt Artaxerxen contigit. Deniq; nulli libri Prophetarum ſunt fabuloſi. Additiones autem Danielis ſunt *fabuloſæ*, Auctor Hieronymus *in Præfat. ad Danielem*, neque vlli libri prophetarum ſunt vitioſi. At liber Iudith eſt *vitioſus Hieronymus præfat. in Iudith, Lyra in præfat. Hieronymi.* Poſtremò omnes docti teſtantur Eſdram poſt reditum à captiuitate *prophetico quodam ſpiritu omnes libros propheticos collegiſſe, ordinaſſe, & eorum Canonem conſtituiſſe, Euſeb. lib.5. Eccleſiaſt. cap.8. Chry-*

*ſoſt.ad Heb.Homilia 8.Iſidorus lib. 6.Etymolog.cap. 1.& cap.3.Tertullian.de habitu mulierum cap. 3.Theodoretus præfat.in Pſalm.Irenæus lib.3.cap.25.Bellarminus lib.2. cap.1.de Verbo Dei.Rabanus in Inſtitutione Clericorum cap.54.*Hos aũt.6.libros,&.3. additiones in canone non poſuit. Hinc apparet eos non eſſe à propheta ſcriptos. Deinde hi libri non ſunt in Canone Iudaico, neq; vnquam in eo fuerunt. Ab Eſdra enim non ſunt in Canonem relati, nam tum nondum erant ſcripti. Quin & Ioſephus *lib.1.Contra Appion.*tantùm numerat.22. *libros* Veteris Teſtamenti. Idem facit Euſeb.*lib.3.Eccleſiaſt.Hiſt.cap.10.* Et ex omnibus ſcriptoribus Iudaicis, qui ante Chriſtum vixerunt, nemo eſt, qui contrarium ſentiat. Manifeſtum igitur hos libros non eſſe, neque eſſe potuiſſe in canone hebræo. Præterea hi libri tempore primitiuæ Eccleſiæ non fuerunt in canone Chriſtiano.Origenes enim *apud Euſeb.lib.6.cap.18.*tantùm numerat *viginti duos libros* Veteris Teſtamenti. Idem facit Melito *apud Euſeb.lib.4.Cap.26.*Totidẽ numerat Athanaſius *in Synopſi,* Cyprianus *in Symbolo,* Hilarius *in* præfat. Pſalm. Nazianzenus *in Carminib. de genuinis Sacra Scripturæ libris.*Concilium Laodicenum *Canone 59,* Hieronymus *in prologo galeato.*,Cyrill. *Catech. 4.* Neque ante Auguſtinum quiſquam eſt ex omnibus patribus (Suppoſititium Clementem excipio) qui contrarium afferat,quemadmodum capite ſuperiore oſtendimus. Manifeſtum igitur eos tempore primitiuæ Eccleſiæ non fuiſſe in canone chriſtiano. Ad hoc reſpondet Bellarminus,eos patres non Chriſtianum,ſed Iudaicum Canonem deſcribere, Sed hoc

eſt

eſt falſum. Origenes enim apud Euſebium non tantùm Veteris, ſed etiam *Noui Teſtamenti* libros deſcripſit. Patres Laodiceni deſcribunt eos libros, qui pro Canonicis *in Eccleſia legi debent*. Athanaſius in Synopſi recenſet eam ſcripturam, quæ *Chriſtianorum eſt*, & quæ *Catechumenis legitur*. Hieronymus in prolog. galeato deſcribit eos libros, qui ad *Eccleſiam pertinet*. Cyrillus recenſet eos libros, qui ab apoſtolis *nobis commendati ſunt*. Aut igitur *libri noui Teſtamenti, Eccleſia, Chriſtiani, Catechumens, quod ab apoſtolis traditum eſt*, & ſimilia, non pertinēt ad Chriſtianos; aut falſum eſt eos Iudaicum canonem, & non Chriſtianum deſcribere. Deinde Chriſtianus canon ex Iudaico conſtitutus eſt. Melito apud Euſeb. lib. 4. Eccleſ. Hiſt. Cap. 26. *Scias ergo*, inquit, *perrexiſſe me uſque ad Orientis locum, vbi prædicationis noſtræ cepit exordium, & vbi geſta ſunt illa omnia, quæ leguntur ſcripta, ibiq́ diligenter de omnibus exploraſſe, quæ eſſent V.T. volumina*. Hieronymus præfat. in Eſdram, *procul abijcienda eſſe docet, quæ non ſunt apud Hebræos*. Origenes apud Euſeb. lib. 6. cap. 18. ex *Hebræorum* ſententia canonem V.T. cōſtituit. Quin ipſe Euſebius in communi Eccleſiæ hiſtoria lib. 3. cap. 12. librorum V.T. canonem ex *Ioſepho* recenſet. Hinc colligo canonem Chriſtianum V.T. eſſe ex hebræo canone deſcriptum. Si igitur hi libri non fuerunt in canone Iudaico; ſequitur eos in canone Chriſtiano eſſe non poſſe. quod enim Iudaicus canon non habet; hoc Chriſtianus canon ab eo accipere non poteſt. Neque hîc Bellarminus obijcere poteſt canonem Iudaicum fuiſſe imperfectum, vel fuiſſe à Iudæis mutilatum: Iudæis enim fuerunt

diuina oracula commissa, *Rom. cap. 3. vers. 2. &* illi ea diligenter conseruarunt, hoc testatur Iosephus lib. 1. cont. Appion. *Nam cùm tot*, inquit. *secula intercesserint, neque addere quis vnquam, neque auferre, aut immutare quid ausus est.* Idem docet Euseb. *Eccles. hist. lib. 3. cap. 10.* Eandem Iudæorum in libris sacris conseruandis diligentiam prædicat August. *ep. 3. & Ep. 59.* & passim omnes patres. Deinde Christus & apostoli nunquam reprehenderunt Iudæos, de vllo libro vel reiecto, vel mutilato, cùm tamen Christi, & apostolorum officium esset, omnes errores arguere, & veram doctrinam instaurare. Legimus quidem Christum accusasse Iudęos, quòd scripturam malè explicassent; quòd verò scripturam reiecissent, vel mutilassent, eos à Christo accusatos nunquam legimus, cùm tamen credibile non sit, Christum & apostolos, qui suum officium tam fideliter administrarunt, voluisse ad tam horrendum flagitium conniuere. Præterea, vniuersa Ecclesia, quæ ante Christum incarnatum fuit, & singula eius membra hos libros vnanimiter reiecerunt. Si igitur hi libri tum re vera fuerunt canonici, & tamen à Iudæis reiecti, tum tota & vniuersa Ecclesia, quæ eo tempore fuit, errauit: at hoc falsum esse dicet Bellarminus. Ergò falsum est, ex quo hoc necessariò sequitur. Sed quid ego hæc disputo, Christus, & Apostoli approbarunt Canonem Iudaicum. Remittunt enim nos ad eam scripturam, quæ tum erat Iohan. 5, 39. *Scrutamini scripturas*, Luc. 16, 29. *Habent Mosen & prophetas, eos audiant.* Hinc necessariò colligo canonem hebræum esse integrum, & incorruptum. Ad quod enim Christus & apostoli nos remittunt

nittunt, hoc approbant. Remittunt autem nos ad
anonem ſcripturarum, qui eo tempore erat, ergo
ſtum canonem approbant, & per conſequens ſta-
uunt eum eſſe integrum, & incorruptum; niſi enim
alis eſſet, non debebant nos ad eum relegare, ſed è
ontrà nos monere, vt ab eo nobis caueremus. Idem
'rimitiua Eccleſia iudicauit. Chryſoſt. in cap. 6. ad
Ieb. Homil. 8. *Chriſtus ſuſcepit eas* (loquitur de ijs
cripturis, quas Eſdras reparauit) *& apoſtoli eas diſſe-
ninauerunt.* Cyrillus Catecheſ. 4. *Apoſtoli & Epiſcopi
uſceperunt eos libros, loquitur* tantùm de ijs, quos nos
ecipimus, *neque nos alios ſuſcipere debemus, ne ijs doctio-
es eſſe velle videamur.* ipſa verba Cyrilli non pono, li-
orum enim nunc non habeo penes me. Cyprianus
n ſymbolo dicit *ſe ex patrum monumentis accepiſſe, hos
22. libros ſecundum maiorum traditionem, eſſe canonicos.
& reliquos eccleſiaſticos non canonicos eſſe.* Cùm igi-
ur Chriſtus & Apoſtoli nunquam accuſarint Iudæ-
os mutilatæ ſcripturæ, imò cùm illi canonem Iudai-
ũ approbauerint, ſequitur Canonẽ Iudaicũ eſſe in-
egrũ & incorruptũ. Et per conſequens nunc nullũ
ibrũ in canone V. T. eſſe poſſe, qui tempore Chriſti
& Apoſtolorũ in eo nõ fuerit. Hinc rectè colligi po-
eſt, apud Chriſtianos & Iudæos eundẽ eſſe Canonẽ
Veteris Teſtamẽti. Omnes en. illi quicũq; ante Au-
uſtinũ deſcripſerunt canonẽ V. T. illi ita eũ deſcri-
ſerũt, vt Iudæi: neq; vnus ex ijs omnibus inueni-
i poteſt, qui hos libros controuerſos inter canoni-
os recenſeat. Deinde nunquam auditum eſt ante
uguſtinum, alium eſſe canonem Veteris Teſtamẽ-
apud Chriſtianos, quàm apud Iudæos. Quin ipſi

Patres disertè *ad Hebræos redeundum* esse dicunt, Hieronym. præfat. in Paralip. *Et esse abycienda, quæ non sunt apud Hebræos*, præfat. in Esdram. Melito, Origenes, Hieronymus, & alij ab Hebręis didicerũt, quinam libri V. T. sint canonici, imò ipse canon Christianus ex Hebræo constitutus est, vt antè ostendimus. Manifestum igitur apud Christianos, & apud Iudæos vnum & eundem canonem esse Veteris Testamenti. Et ob eam caussam vniuersa primitiua Ecclesia eos in canone esse negauit. Ex omnibus enim primitiuæ Ecclesiæ doctoribus, qui canonem Ecclesiasticum describunt, nemo est, Clementem semper excipio, qui eos inter canonicos recenseat, vt iam sæpè diximus. Hinc sequitur aut eos nunc in canone esse non posse, quod enim tempore primitiuæ Ecclesiæ canonicum non fuit, hoc nunc canonicum esse non potest: aut vniuersam primitiuam Ecclesiam errasse, quòd eos extra canonẽ posuerit. Deinde *duæ sunt tantùm viæ cognoscendi librum Canonicum. Una ex testimonio alicuius, quem constat Prophetam vel Apostolum esse; Altera per certa testimonia eorum, qui viuebant, cùm liber ederetur, qui testẽtur libros illos à Prophetis vel Apostolis editos, & quorum testimonia per successionem hominum ijs libris vtentium ad nos vsq; deuenerint. Prima via hoc tempore locum non habet; non enim nunc Prophetæ, vel Apostoli in terris viuunt: ergo secunda via progrediendum est, & ex testimonijs primitiuæ Ecclesiæ debemus de libris Canonicis statuere.* At prima & vniuersa Iudæorum Ecclesia hos libros repudiauit, vniuersa item primitiua Apostolica Ecclesia eos extra canonem ponit, vt antè ostendimus.

ſtendimus. Sequitur igitur eos nunc canonicos eſſe non poſſe. Ad hęc excipit Bellarminus, *Eccleſiā de iſtis libris dubitaſſe, poſſe duobus modis intelligi, vel quod ita dubitauerit, vt nulli homines eius temporis eſſent, qui teſtari poſſent, eos libros à Prophetis vel Apoſtolis, editos eſſe: vel quod ita dubitauerit, vt non ipſa Eccleſia, ſed tantùm aliqui homines dubitauerint.* Accipimus hoc ipſum, Bellarmine. Verùm reſpondemus, vniuerſam Eccleſiam, quæ vixit, cùm hi libri ederentur, & ſingula eius membra non tantùm dubitaſſe de his libris, ſed eos prorſus extra canonem poſuiſſe. Niſi fatearis, produc vnum ex omnibus iſtis, qui vixerunt, cùm hi libri ederentur, qui contrarium teſtetur. Addo vniuerſam primitiuam Apoſtolicam Eccleſiam, & ſingula eius membra, vſque ad Auguſtinum, ſuppoſititium Clementem rurſus excipio, eos extra canonem poſuiſſe, vt antè oſtenſum eſt. Niſi hoc concedat Bellarminus, producat vnũ ex omnibus patribus, qui canonem recenſeat, & eos in illo collocet. Si igitur valet hæc Bellarmini reſponſio, tum hi libri non ſunt canonici, reprobantur enim à tota & vniuerſa primitiua Eccleſia. Exemplũ quod Bellarminus de *Enoch* adducit, hoc eſt contra illum. Tertullianus enim *de habitu mulieris, cap. 3.* eum diſertè approbat. Si igitur quicunque liber ab aliquo patre teſtimonium habet, canonicus eſt, tum Enoch eſt canonicus. Alterum exemplum de *Iudith* eſt falſum. Nicena enim Synodus eam in canonem non retulit, quemadmodum ſuo loco oſtendemus, neque vnquam hoc ex Hieronymo probabit Bellarminus. Tertium exemplum de *libris N.T.* eſt diſsi-

mile. Athanaſius enim *in Synopſi* eos inter Canonicos recenſet, idē facit Cyprianus *in Symbolo,* & Hieronymus *in Catalogo.* Manifeſtum igitur vniuerſam Eccleſiam de iſtis libris non dubitaſſe. At omnes in vniuerſum Iudæi, omnes item Chriſtiani, in primitiua Eccleſia, hos libros reprobarunt. Ad hæc reſpondet Bellarminus, *potuiſſe tum quoſdam libros ab alijs non recipi, quia tum iſta res generali concilio non fuit definita.* & paulò poſt dicit *Hieronymū fuiſſe in ea ſententia, nempe* in qua nos ſumus, *quia generale concilium nondum ſtatuerat aliquid, de his libris,* lib. 1. cap. 10. de verbo Dei. Si hoc ſtrictè intelligis de concilio, concedo, nullum enim concilium, quod poſt Apoſtolorum ætatem fuit, conſtituit canonem, neque conſtituere potuit. Si verò generaliter de canonis certitudine intelligis, tum eſt falſum. Iam tum enim fuit certus canon in Eccleſia. Euſebius enim lib. 3. cap. 10. ex Ioſepho dicit, *non innumera apud nos volumina haberi, ſed duos tantùm & viginti libros eſſe, qui diuinitùs eſſe inſpirati creduntur.* Simile docet Melito *apud Euſeb. lib. 4. cap. 26.* Et Origenes *apud eundem lib. 6. cap. 18.* Hieronymus *viginti duos libros in prologo Galeato canonicos eſſe aſſerit,* & dicit, *quicquid extra hos eſt, inter apocrypha ponendum eſſe.* Nazianzenus numerat *eoſdem viginti duos libros,* & addit, *quicquid extra eos eſt, non eſſe ἐν γνησίοις.* Athanaſ. in Synop. *Omnis noſtra,* inquit, *qui Chriſtiani ſumus, ſcriptura diuinitùs inſpirata eſt, Libros habet non infinitos, ſed finitos, ac certo canone comprehenſos.* Cyprianus in ſymbolo *euidēti numero recenſet ea omnia, quæ diuinitùs inſpirata, & Eccleſiis Chriſti tradita fuerunt,* & cùm illa recenſuiſ-

ſet,

et, *in his*, inquit, *concluserunt librorum numerum Veteris Testamenti.* Idem docet Cyrillus catech. 4. Manifestè igitur falsum est, quod dicit Bellarminus, tũ eam rem non fuisse determinatam. Deinde hæc responsio implicat contradictionem: eodem enim capite docet *Apostolos declarasse hos libros esse Canonicos. Etsi enim*, inquit, *non habentur testimonia a Synagoga Iudaica, habentur tamen ab Ecclesia Christiana, & hoc sufficit. Apostoli enim poterant sine alijs testimonijs declarare libros illos esse canonicos, quod & fecerunt*, &c. At hæc duo simul vera esse non possunt, aut enim falsum est *Apostolos hoc declarasse*, aut falsum est *patrum memoria istam rem non fuisse definitam.* Deinde omnes patres contrarium testantur. Cyprianus enim in symbolo negat *eos Ecclesiæ pro canonicis traditos esse.* Idem docet Cyrillus *Catechej.4. Athanasius in synopsi. Hieron. in prologo Galeat. Nazianzenus in carmine de lib. Can. Melito apud Euseb. lib.4. cap. 26.* & reliqui patres idem affirmant. Falsum igitur est, quod inquit Bellarminus, *Apostolos declarasse eos esse canonicos*, ac proinde concludo tempore patrum, fuisse certum, & determinatum canonem scripturarum, & hos libros à patribus extra canonem fuisse relictos. Idem non obstante Augustini auctoritate, iudicauit & subsequens Ecclesia. Brito enim *in Præfat. Hieronymi ad librum Iudith, negat eos esse in canone*, & sequitur sententiam Hieronymi in Prolog. Galeat. Idem docet Brito *in Præfat. Hieronymi ad librum Tobiæ.* Sed & Lyra idem docet *in Præfat. ad Tobiam.* Præfator in glossam ordinariam, *Quia sunt multi*, inquit, *qui ex eo quod non multam operam dant S. Scripturæ, existimant omnes*

omnes libros, qui in Biblijs continentur, pari veneratione esse reuerẽdos, atq; adorandos, nescientes distinguere inter libros Canonicos, & non canonicos, quos Hebræi inter apocrypha computant, vnde sæpè coram doctis ridiculi videntur, (nota ridiculos & indoctos habitos fuisse, qui hos libros numerabant inter canonicos) *& perturbantur, scandalizanturq;, cùm audiunt aliquem non pari cum cæteris õnib⁹ veneratione prosequi aliq͞d, quod in Biblijs legitur. Idcirco hic distinxim⁹ & distinctè numerauim⁹ primò libros canonicos, & posteà nõ canonicos: inter quos tantũ distat, quantũ inter certum & dubium. Nam canonici sunt confecti Spiritu S. dictante. Non canonici autem siue apocryphi, nescitur quo tempore, quibúsve auctoribus sint editi: quia tamen valdè boni & vtiles sunt, nihilq; in eis, quod canonicis obuiet, inuenitur, ideo Ecclesia eos legit, & permittit, vt ad deuotionem, & morum informationem a fidelibus legantur. Eorum tamen auctoritas ad probandum ea, quæ veniunt in dubium, aut in contentionem, & ad confirmandam Ecclesiasticorum dogmatum auctoritatem non reputatur idonea, prout dicit Hieronymus in Prologis super Iudith. Et postquam enumerauit libros Canonicos vigintiduos*, adijcit, *quicquid autem extra hos est (de Veteri Testamento loquor) vt dicit Hieronymus, inter Apocrypha est ponendum. Isti sunt libri qui non sunt in canone, quos tamen Ecclesia vt bonos, & vtiles libros admittit, non vt canonicos. Inter quos sunt aliqui maioris auctoritatis, aliqui minoris*, nõta eos non esse eiusdẽ auctoritatis. *Nam Tobias, Iudith, & Machabæorum libri, Sapientiæ quoq; liber, & Ecclesiasticus, valdè ab omnibus probantur: ita quod Augustinus libro 2. de doct. Christ. tres superiores numerat inter canonicos, & de Sapientia atque*

itq; Ecclesiastico dicit, meruisse eos recipi in auctoritatem, & inter propheticos debere numerari: & de libris Machabaeorum lib. 18. de Ciuit. Dei, loquens de libris Esdrae, dicit quod quamuis hebraei non habeant eos pro Canonicis, tamen Ecclesia habet illos pro Canonicis, propter quorundam martyrum passiones vehementes, atque admirabiles. Minoris autem auctoritatis sunt Baruch, & tertius ac quartus Esdrae. Nam Augustinus loco supra dicto, nullam de his facit mentionem, cùm tamen, vt dixi, alios apocryphos canonicis annumeret. Ruffinus quoque in exposit. Symboli. Et Isidorus in Etymolog. vbi hanc Hieronymi diuisionem referunt, horum nihil meminerunt. Et paulò pòst, Neque aliquem moueat, quod in Iudith, & Tobiae Prologis dicitur, quòd apud hebraeos inter hagiographa leguntur: quia manifestus error est, & aprocrypha pro hagiographa est legendũ qui error in omnibus, quos viderĩ codicibus inuenitur, & inoleuit, vt puto, ex pietate, & deuotione exscribentium, qui deuotissimas historias horrebant annumerare inter apocrypha. Nam quòd hic error multis retro annis codices occupauerit, ostendit Magister in historia Iudith, vbi dicit, Hic liber apud Chaldaeos inter historias computatur, & apud Hebraeos inter apocrypha, quod dicit Hieronymus in Prologo, qui sic incipit, Viginti & duas litteras. Si ergo in Prologo super Iudith legitur inter hagiographa, vitium Scriptoris est, quod in ipso titulo deprehendi potest. Ex quo miror, quod dictus Magister non aduerterit eundem esse errorem, in Prologo Tobiae, vt ipse dicat, hanc historiam Hebraei ponunt inter apocrypha, Hieronymus tamẽ in prologo suo dicit inter hagiographa. Glossa quoque super dicto Prologo Tobiae dicit, potius & verius dixisset apocrypha, vel largè accipit hagiographa quasi sanctorũ scripta, & ita

non

non est de numero illorum nouem, quæ propriè dicuntur Hagiographa,*quæ sunt de Catalogo. i. de numero viginti duorum istorum librorũ Biblia. Nam cùm Hieronymus in Prolog. Galeat. post enumerationem librorũ canonicorum dicat: Hic prologus scripturarum quasi galeatum principium omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, conuenire potest, vt scire valeamus, quicquid extra hos est, inter* apocrypha *esse ponendũ. Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, & Iesu filij Syrach liber, & Iudith, & Tobias & Pastor non sunt in canone. quomodo credendum est illum postea in illis prologis scripsisse inter* hagiographa,*& sibi ipsi contradicere? Si quis præterea liberatiori examine Hieronymi verba in dictis prologis perpenderit, animaduertet illum scripsisse* apocrypha *non* hagiographa. *Dicit enim in prolog. Tobiæ, Exigitis vt librum Chaldæo sermone conscriptum, ad Latinum stylum traham: librum vtique Tobiæ, quem Hebræi de catalogo diuinarum scripturarum secantes, his* quæ apocrypha *memorant, manciparunt. In Iudith autem ait, apud hebræos liber Iudith inter* apocrypha *legitur, cuius auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur. Cùm ita dicat Hebræos secare Tobiam de catalogo S. scripturarum, & Iudith auctoritatem minus idoneam iudicari, si inter* hagiographa *numeraret, & non inter* apocrypha,*contraria videretur eodem in loco scripsisse. Sed vt dixi, scriptores hoc nomen* Apocrypha *horrente deuotione, ac pietate quadã, reiecto* Apocrypha, Hagiographa *scripserunt. Ruffinus verò, vbi supra, enumeratis libris canonicis, in quibus cum Hieronymo concordat, infert: Hæc sunt quæ patres inter canonem concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est,*

quod

quod & alij libri sunt, qui non canonici, sed Ecclesiastici à maioribus appellati sunt, vt Sapientia quæ dicitur Salomonis, & alia Sapientia, quæ dicitur filij Syrach, & infrà, *eiusdem ordinis est libellus Tobiæ, & Iudith, & Machabæorum libri.* Et infrà, *quæ omnia legi quidem in Ecclesia voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his confirmandam. Cæteras verò Scripturas* apocryphas *nominarunt, quas in Ecclesijs legi noluerunt.* Hoc primitiuæ & subsequentis Ecclesiæ iudicium cùm Chemnitius & alij viderent, & tamen animaduerterent eos à Papa inter canonicos nominari, dixerunt *Papam libros non canonicos facere canonicos, & canonicos facere non canonicos.* Ad hoc respondes *esse impudentem calumniam, neq; esse vestra asserta, sed nostra commenta.* Addis *Papam & Ecclesiam non habere potestatem faciendi libros non canonicos, canonicos: sed habere potestatem distinguẽdi inter libros non canonicos, & canonicos.* Hoc ego cum stupore legi. Ipse enim cum Chemnitio in eadem fui sententia. Itaque vt intelligatur, an Chemnitius verum dixerit, an verò tu eum calumniæ & mendacij rectè insimulaueris, age repetamus eam sententiam paulò altiùs. Ac primùm memini me in quodam papista legere, *scripturam à Papa non approbatam non habere plus auctoritatis, quàm fabulas Æsopi.* Sed quoniam librum, in quo hoc legi, nunc non habeo, non possum locum annotare, & ob eam caussam hoc dictum non vrgebo. Vide Wittakerum *contra Dura. lib. 1. sect. 31. & Heßusium de sexcentis errorib. cap. de verb. Dei.* Certè Ioannes Eccius in Enchiridio locorum communium adversus Lutherum, disertè scribit *Scripturam non esse authenticam sine autoritate Ecclesiæ.* In Propositione

ne de Ecclesia,& eius auctoritate,vbi diluit obiecta, num.3. Et Pigius lib.1.Hierarchiæ Eccles.cap.2.dicit *omnem scripturæ auctoritatem ab Ecclesiæ auctoritate pendere,* & addit *inde factum esse,vt Marci Euangelium,qui non fuit Apostolus,sit receptum,Bartholomæi verò, qui Apostolus erat, sit reiectum.* Ob eandem caussam dicit factum, *vt Lucæ Euangelium, qui non vidit Dominum, sit receptum: Nicodemi verò,qui vidit Dominum, sit reiectum.* Stapletonus lib.9. cap, 14. doctr. princip. dicit *esse penes Ecclesiam huius temporis, librum aliquem nondum in canonem receptum, Apostolorum tamen tempore scriptum, & nunquam Ecclesiæ iudicio reprobatum,(exempli caussa librum Hermæ & constitutiones à Clemente editas)in numerum librorum sacrorum et certò canonicorum referri posse.* quod & ante me obseruauit illud decus Angliæ VVittakerus cōtra Duræ.lib. 1.sect.27. Huiusmodi multa ex vestris libris colligi possunt. In Colloquio VVormatiēsi,anno 57.vestri dixerunt *Scripturam esse nasum cereum, librum omnis discordiæ, dubiam,incertam,& normam plumbeam.* Sed fieri potest,Bellarmine,vt cōmodiùs sentiatis,quàm loquamini. Itaque istis missis, ex Decretorum libris afferam, quid Papa cum tota sua cohorte de hac re senserit. Nicolaus Papa Distinct.19. c. Si Romanorum, §. Quibus, *Quoniam,* inquit, *si Vetus Nouumq; Testamentum sunt recipienda, non quòd codici Canonum ex toto habeantur annexa: sed quòd de his recipiendis Sancti Papæ Innocentij prolata esse videtur sententia; restat nimirum quòd Decretales Rom. Pontificum epistolæ sunt recipiendæ.* Et cap. in Canonicis, Distinct. ead. dissertè dicitur, *inter Canonicas Scripturas Decretales epistolæ connume-*

numerantur. Ante etiam oſtendi Gelaſium expungere *libros Samuelis ex Canone*, & Innocentium addere *quartam Iohannis* ad Canonem. Ex hac nuda narratione apparet, Bellarmine, eos non mendaciter, neq; impudenter calumniari, ſed veritatem dicere, qui hoc vobis tribuunt. Quod verò tu cum quibuſdam alijs dicis, *Eccleſiam non habere poteſtatem librum non Canonicum faciendi Canonicum*; ſed tantùm *habere poteſtatem diſcernendi libros canonicos ab ijs, qui non ſunt Canonici*, metuo vt tu ipſe ita ſentias: defendis enim Tridentinum concilium, in quo hi libri, qui revera Canonici non ſunt, in Canonem tamen relati ſunt: Deinde tua argumenta ducuntur à Paparum quorundam approbatione. Præterea dicis libros alios eſſe apocryphos, ob eam maximè cauſsā, quòd *aliqui Papæ eos non approbauerint*. Atq; Paparum approbatio iſtius rei cauſſa eſſe non poteſt. Nō enim quia Papa librum approbat, ideo eſt Canonicus: ſed quia *diuinitùs inſpiratus eſt*, ideo eſt Canonicus. Quā ob cauſſam cùm velles probare, hos libros eſſe Canonicos, debebas indubitatis teſtibus, & immotis argumentis oſtendere, eos eſſe diuinitùs inſpiratos. Hoc quoniam non facis, ſuſpecta eſt mihi tua oratio. Fortè vis Eccleſiam habere poteſtatem diſtinguendi libros non canonicos à canonicis, & propter iſtam diſtinctionem, libros eſſe vel non eſſe canonicos. Sed ſi ita ſentis, tum ludis verborum inuolucris. Hoc enim idem eſt, atquē illud prius. Si verò ingenuè ſentis, Eccleſiā poſſe libros canonicos à nō canonicis diſtinguere, & eos nō propter Eccleſiæ diſtinctionē; ſed propterea, quòd *Dei verbum ſunt*, vel quòd *diui-*

nitùs inspirati sunt, esse libros Canonicos; tum nobiscum sentis: & si hoc ita est, tum da gloriam Deo, & palàm testare Romanos Papas, qui in suis decretis contrarium docuerũt, errasse. Quod si feceris, patefacies studium tuũ in indagãda veritate: si non feceris, ostendes te aliud loqui, & aliud sentire. Post hæc ponit Bellarminus tria κριτήρια, iuxta quę Ecclesia hos libros canonicos esse iudicauerit. Primũ, *quia Apostoli declarauerunt eos Canonicos*, at pagina sequenti dicit Hieronymi ætate *nihil de hac re statutum fuisse*. Esse autem hoc ab Apostolis determinatũ, & hoc ipsum Hieronymi ætate non esse determinatum, sunt contradictoria. Deinde iam antè ostendimus, Apostolos nõ statuisse hôs libros esse Canonicos. Proinde primum hoc κριτήριον est falsum, & ob eam caussam hi libri non sunt Canonici. neq; est, quo se tueri Bellarminus posit; nisi velit ad nouam reuelationem confugere. Secundum, *quia hi libri sunt reliquis Canonicis conformes*. At non quicquid Canonicis libris conforme est, hoc est Canonicum. Deinde hi libri non sunt Canonicis libris conformes. Vnum enim librum ex his Hieronymus dicit *vitiosum* esse, alterũ *fabulosum*. At vitiosum & fabulosum non est veritatis regulæ conforme. Præterea in singulis libris ostendemus, eos non esse canonicis conformes. Tertium, *quia omnes Christiani eos paulatim pro canonicis receperunt*. Sed hoc esse falsum constat ex præcedentibus: imò patres, quicunque ante Augũstinum recensuerunt canonem, disertè eos à canone reijciunt: posteriores item omnes, teste præfatore in Glossam ordinariam, eos cum primitiua Ecclesia *extra canonem ponunt*, &

cum

eum eadē *eos legi ad ædificationem permittūt.* Cùm igitur hi libri ab Apostolis non sint approbati, neque sint canonicis per omnia conformes, neque sint à primitiua & subsequente Ecclesia pro canonicis recepti, sequitur alia κριτήρια excogitenda esse, aut eos non esse in canone. Nos cum vniuersa primitiua & subsequente Ecclesia pronunciamus, *receptos eos esse ab Ecclesia, vt ad morum informationem in ea legantur, eorum tamen auctoritatem ad probandum ea, quæ in contentionem veniunt minus idoneam reputari, vt dicit Hieronymus in Prologo super Iudith, & in prologo super parabolis Salomonis.* Lyra in prologo Tobiæ.

CAPVT VI.

Esthere Additiones non esse principium Christianorum dogmatum, vel non esse regulam fidei.

HActenus in genere ostēdimus hos libros & has Additiones non esse regulam fidei: sequitur vt idem de singulis in specie ostendamus. Et quoniam Bellarminus non ab integris libris, sed ab Additionibus exorsus est, igitur nos ijsdem vestigijs insistentes, ab Additionibus ijsdem ordiemur. Primo loco ponit Estheram. Hunc aliqui in canone non ponunt. Melito *apud Euseb. lib.4. cap.26.* Athanasius *in Synopsi.* Nazianzenus *in Carminibus de S. Scriptura libris.* Putabant enim eum ad *aliud volumen pertinere*, vt idem Athanasius *in Synopsi*; vel eum *sub Esdræ libris comprehēdebāt*, *vt* Isidorus. Porrò hic liber partim extat hebraicè, vt decem priora capita; partim græcè, vt septem capita posteriora. De illis decem capitibus non est cotrouersia. Vtraque enim pars fatemur ea esse canonica. Itaque de illis verba non faciam. Tan-

tùm controuersia est de septem illis posterioribus capitibus. Ea Bellarminus dicit esse canonica, nos negamus. Ille probat suam sententiam sex argumentis, quæ ordine expendemus. Primum argumentum, quia aliqui patres retulerũt hunc librũ in canonem.

Quoscumque libros aliqui patres in canonem retulerunt, ij sunt canonici. Sed Estheram aliqui patres in canonem retulerunt. Ergo hæc septem posteriora capita sunt canonica.

Respondeo, Aliud esse in conclusione, quàm in præmissis. Non enim sequitur *hæc septem capita* esse Canonica: sed *genuinam Estheram* esse Canonicam ex præmissis efficitur. Deinde maior est falsa. Clemens enim *tertium Machabæorum*, item *duas epistolas Clementis*, *& eiusdem Constitutiones in Canone ponit*, Canone Apost. 84. Innocentius *quartam epistolam Ioannis* Canoni adiecit, ad Exuperium Cap 7. Irenæus recipit *librum Hermæ*. Eusebius lib. 5. Ecclesiast. Hist. cap. 8. Tertullianus recipit *librum Enoch* de habitu muli. cap. 3. & ibi Pamel. Neq; tamen tertius Machab. & liber Hermæ, neq; liber Enoch, neq; quarta Iohannis, neq; Clementis epistolæ, vel eius Constitutiones sunt Canonicæ. Ad Minorem dico. multos patres Hesteram in Canonem retulisse, sed *genuinam* tantùm. Estheram enim in Canone posuerũt, & hæc capita septem disertè exceperunt, Athanasius in Synopsi postquam Canonicos libros enumerasset, dicit in Veteri Testamento esse alios libros non Canonicos, & ne dubitandi materia esset, nominat *Sapiẽtiam, Ecclesiasticum, Tobiam, Iudith, & Esther cuius initiũ est, anno secũdo, etc.* Hieronym. in Pręfat. ad Paralip. *dicit ad*

eit ad Hebræos reuertendum esse. Idem in Præfat. Esdræ *dicit abijcienda esse, quæ non sunt apud Hebræos.* Sed hæc septem capita non sunt apud Hebræos. Idem Hieronymus in 10. cap. Esther. dicit, *se hæc septem capita obelo, id est, veru prænotasse.* Rectè Sixtus Senensis lib. 1. pag. 33. *Canon ille, intelligendus est de veris ac genuinis partibus, non autem de laceris quibusdam appendicibus, & pannosis additamentis, à quovis incognito auctore temerè appositis, & vtcunque insutis, qualia sunt huiusmodi vltima capitula, quæ non solùm Hugo Card. Lyra, Dionysius Carthusianus, cæteriq; recentiores auctores negant esse Canonica, sed & D. Hieronymus à toto Esther volumine resecat, ceu vitiatam partem, & lacinosis verborum sinibus cōficta, ex his quæ ex tempore dici poterant, sicut solitum est scholaribus discipulis sumpto themate excogitare. Origenes quoq; ad Iulium Africanum hæc eadem Additamēta explodit.* Negari igitur potest, Bellarmine, patres hæc Additamēta in canonem retulisse. Secundum argumentum, quia aliqui patres dixerunt *hæc septem capita esse sacra.*

Quem librum aliqui patres sacrum esse dicunt, ille est canonicus, Sed hæc septem capita aliqui patres sacra esse dixerunt. Ergo hæc septem capita sunt canonica.

Respondeo, Maiorem esse falsam. Clemens enim *tertium Machab. item, duas epistolas Clementis, & eiusdem constitutiones, sacras & sanctas vocat,* canone Apostolico 84. Et hæc tamen propterea canonica non sunt. Ad Minorem dico, hæc septem capita κατὰ συνεκδοχὴν sacra dici posse. Sunt enim in illis quædam sacra, & propterea tamen non sunt canonica. Tertium Argu-

mentũ, quia hęc ſeptem capita in Eccleſia leguntur.

Quod in Eccleſia legitur, illud eſt canonicum. Sed hæc ſeptem capita in Eccleſia leguntur. Ergo hæc ſeptem capita ſunt canonica.

Reſpondeo, Maiorem eſſe falſam. Nam & *hiſtoria martyrum* in Eccleſia legitur. Concilio Carthag. 3 Canone 47. *Tertius* item *&* *quartus Eſdræ* in Eccleſia leguntur. Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. *Hermes* item in Eccleſia legitur, Euſeb. Eccleſiaſt. hiſt. lib. 3. cap. 3. Ruffinus in Symbolo, Hieronymus in Catalogo cap. Hermes. *Ephrem* in Eccleſia legitur. Hieronymus in Catalog. cap. Ephrem. *Clemens* in Eccleſia legitur, Niceph. lib. 3. cap. 18. Et tamen hi libri non ſunt canonici. Ad Minorem dico duplices eſſe libros, qui in Eccleſia leguntur. Alios Canonicos, alios non Canonicos. Canonicos in Eccleſia legi extra controuerſiam pono, non Canonicos in Eccleſia legi probo his teſtibus. Athanaſius in Synopſi, *præter hos,* inquit *libros, ſunt & alij Veteris Teſtamenti libri non Canonici, qui Catechumenis tantùm leguntur, vt Sapientia, Eccleſiaſticus, Eſther cuius initium eſt, Anno ſecundo regnante Artaxerxe, Iudith, & Tobias,* Cyprianus in Symbolo dicit *alios libros non Canonicos, ſed Eccleſiaſticos a maioribus vocatos eſſe, vt Sapientiam, Eccleſiaſticum, Tobiam, Iudith, & Machabæorum libros,* & addit *maiores voluiſſe, vt in Eccleſia legerētur, non vt proferrentur ad auctoritatem fidei ex ijs confirmandam.* Hieronymus præfat. ad libros Salom. *eos quidem,* inquit, *legit Eccleſia* (loquitur de Iudith, Tobiæ, & Machabæorum libris) *Sed inter Canonicas ſcripturas non recepit.* Item *hæc legat Eccleſia* (loquitur de Sapien-

tia

tia & Ecclesiastico) *ad ædificationē plebis, non ad fidem confirmandam.* Idem docet Lyra *in Prologo ad Tobiam*, & Brito *in Prologo ad Iudith*, & præfator *in Glossam ordinariam*, & multi alij. Vnde apparet hos libros, in Ecclesia legi, & tamen non esse canonicos. Quartum argumentum, Quia Origenes dicit, hæc septem capita esse canonica. *In epist. ad Africanum.*

Quicquid Origenes dicit. hoc est verum. Sed Origenes dicit, hæc septem capita esse canonica.
Ergo hæc septem capita sunt Canonica.

Respondeo Maiorem esse falsam. Non enim quicquid dixit Origenes, hoc est verum. Ad minorem dico Epistolam Origenis legi apud Eusebium *lib.6.cap. 23*. Sed in eo loco non fit Estheræ mentio. Deinde idem Origenes *apud Euseb. Ecclesiast. hist. lib.6.cap.18.* Canonem Veteris Testamenti constituit *secundum Hebræos*. Sed hæc septem capita Hebræi nunquam agnouerunt. Postremò si Origenis testimonio standum est, tum Iudith, Tobias, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus & Machabæici non sunt in Canone, Ille enim apud Euseb. lib. 6. *Ecclesiast. Hist. Cap. 18.* Catalogum Canonicorum librorum recensens, hos o͂nes præterit. Sanè Sixtus Senensis lib. 1. sect. 3. pag. 33. dicit *Origenem ad Iulium Africanum hæc eadem Additamenta explodere.* Quintum argumentum, Quia aliqui patres ex his septem capitibus testimonia allegant.

Ex quibus libris aliqui Patres testimonia allegant, ij sunt Canonici. Sed ex his septem capitibus aliqui patres testimonia allegant. Ergo hæc septem capita sunt Canonica..

Respondeo Maiorem esse falsam. Eusebius enim lib. 5. Ecclesiast. Hist. cap. 4. *pastorem* allegat. Athanasius in orat. contra Arrianos *quartum Esdra* allegat. Idem facit Cyprianus Epist. 74. Quin ipse Paulus in 1. ad Corinth. cap. 15. vers. 33. citat *Menandrum*, Act. 17. vers. 28. citat *Aratum*. *Ad* Tit. 1. vers. 12. citat *Epimenidem*, Iudas citat *Enoch*. Sed hi non sunt canonici. Ergo non quoscunq; libros patres citant, illi sunt Canonici. Sextum argumentum. Quia *Synodus Tridentina iudicauit has septem capita esse canonica.* Sed hæc Synodus nos non magis mouet, quàm ea, quæ Christum condemnauit. Atq; hæc sunt Bellarmini argumenta pro his septem capitibus. Nunc immotis rationibus ostendam, ea non esse canonica. Primum Argumentum, quia hæc septem capita sunt originaliter scripta græcè.

Nulli libri Prophetarum Veteris Testamenti, sunt originaliter scripti græcè. Sed hæc septem capita sunt originaliter græcè scripta. Ergo hæc septem capita non sunt à prophetis scripta.

Bellarminus, Maiore concessa negat Minorem, & dicit *probabile esse*, hæc septem capita olim exstitisse Hebraicè. Sed Eusebius *libr. 3. Ecclesiast. hist. cap. 10.* Et Iosephus *libr. 1. contra Appion.* dicunt Prophetarum successionem debere *certam et exploratam esse*. Quod verò tantum probabile, siue credibile est, hoc neq; certum, neq; exploratum est. Deinde Lucas dicit cap. 1, 4. *ideò se scripsisse, vt haberemus earum rerum, quas Apostoli viua voce tradiderunt* ἀσφάλειαν. Sed quod tantùm probabile siue credibile est, hoc non est ἀσφαλὲς. prætereà Hieronymus disertè dicit

dicit *hæc non haberi in Hebræo, & apud nullum pœnitus ferri interpretum.* Lyra dicit *hæc ab Iosepho & ab alijs esse conficta, & postea vulgatæ editioni inserta, cap. 10.* Idem docet Sixtus Senensis *lib. 1. sect. 2. cap. Esther. fol. 24.* Hæc etsi sufficerent ad illam Responsionem: tamen libuit Bellarmino suam sententiam aliquot argutiolis probare, quas omnes expendemus. Primùm dicit *Iosephum lib. 11. Antiquit. cap. 6. habere quadam, quæ sunt in his septem capitibus.* Hinc infert ea fuisse anteà hebraicè scripta, & Iosephum sua ex ijs descripsisse. Argumentum tale,

Quicunq; libri habent aliquid, quod est in Iosepho, illi prius fuerunt hebraïcè scripti, & Iosephus hoc ex ijs descripsit. Sed hæc septem capita habent aliquid quod est in Iosepho. Ergo Iosephus sua ex ijs descripsit, & hæc prius fuerunt Hebraicè scripta.

Respondeo hoc argumentum nihil probare. Sunt enim multi libri hebraïci, qui non sunt canonici. Potuit igitur Iosephus hæc ex hebraïcis, & non canonicis libris scribere. Deinde Iosephus multa habet, quæ non sunt ex canonicis hebræorum libris. Sanè historia a. 7. cap. 11. libr. ἀρχαιολογίας vsq; ad finem 20. libri non est in canonicis hebræorum libris. Postremò æquè bene sequitur, Auctorem Estheræ descripsisse ex Iosepho, quàm Iosephũ ex illo. Atq; in hanc sententiam magis inclinat Lyra in 10. caput, Esther *Cætera,* inquit, *quæ sequuntur, non intendo exponere, tum quòd satis apparet eorum sententia ex prædictis: tum quòd non sunt in hebræo, neq; in scriptura canonica. Sed magis videntur à Iosepho & alijs auctoribus*

D 5 *con-*

confictа, & postea editioni vulgatа inserta, secundum quod dicit Hieronymus in prologo huius libri.a. addens ea, quа ex tempore dici poterant, sicut solitum est scholaribus discipulis sumpto themate excogitare. Idem docet Sixtus Senensis lib. 1. sect. 2. *Caetera sex capitula,* inquiens, *usque ad finem libri, ab incerto graeco scriptore addita sunt ex varijs historijs, praecipue vero ex 11. libro Antiquitatum Iosephi: ex quo exemplum litterarum Haman et exemplum epistolae regis Artaxerxis, quae 13, 16. huius libri capite recitantur, ad verbum desumptae sunt.* Hoc cùm videret Bellarminus, attulit aliam Responsionem, & dicit historiam Esther κατ' ἐπιτομὴν primum hebraicè scriptam esse; alio deinde tempore eandem historiam ab alio copiosiùs scriptam (nota eiusdem historiae duos diuersos libros secundum Bellarminum) & à Lysimacho in Graecam linguam translatam esse. Prioris auctoris librum dicit hebraicè exstare, & istis 10. capitibus comprehensum esse. Posterioris verò libri translationem tantùm ad nos peruenisse, eamq; his septem capitibus comprehensam esse. Sed hoc est falsum. Lysimachus enim non totum librũ, Sed tantùm *Epistolam Phurim* in graecam linguam transtulit. vt cap. 11. vers. 1. scribitur. Deinde haec 10. capita, quae Hebraicè exstant, seriem historiae magis explicant, quàm haec septem capita, quae Graecè extant. Hieronymus enim, Lyra, & Sixtus Senensis nullam historiae seriem in ijs agnoscunt, sed testantur ea esse *laceras quasdam appendices, & pannosa Additamenta, temerè apposita, & vtcũque insuta,* quod autem haec ipsa additamenta ꝗbusdã locis copiosiora sunt, caussa est *quod ex ijs, quae ex tempore dici poterant, laciniosis verborũ*

finibus

finibus conficta sunt. Ergo hæc 7. capita non sunt iste liber, de quo loquitur Bellarminus; aut quod dicit falsum est. Postremò etiamsi verum esset, his 7. capitibus eandem historiam copiosiùs scriptam esse, quã ijs decem: tamen ideo non sequeretur, ea esse canonica. Iosephus enim historiam creationis fusiùs explicat, quàm Moses; & tamen Iosephus non est canonicus. Nisi igitur Bellarminus alias rationes habuerit; relinquitur hæc 7. capita esse originaliter Græcè scripta, ac proinde non esse canonica. Secundum Argumentum, quia hæc septem capita cum canonica scriptura ex diametro pugnant.

Quod cum canonica Scriptura ex diametro pugnat, illud non est canonicum. Sed hæc septem capita cum canonica scriptura ex diametro pugnãt. Ergo hæc 7. capita non sunt canonica.

Maiorem pono extra controuersiam. Minorem probo. Genuina enim Esther dicit insidias duorum Eunuchorum per Mardochæum detectas esse *anno 7. Asueri*, Esth. cap. 2. vers. 16. Addititia autem dicit detectas esse eas *anno secundo eiusdem*, Esth. cap. 11. vers. 2. Bellarminus respondet vndecimũ & duodecimũ caput pertinere ad principiũ libri, & id quod 11. & 12. capite narratur, tantùm *de somnio*; quod verò 2. cap. dicitur, de *insidiarum detectione* intelligendum esse. Sed hoc implicat contradictionem. In priore enim argumento dixit esse *duos diuersos libros, & vtrumque eandem rem narrare, sed alterum copiosè, alterum breuiter*. Hìc verò cogitur dicere esse *vnum & eundem librum; & in Græco non narrari idem, quod in hebræo.* Quæ duo simul vera esse non possunt. Deinde si

de si Bellarmini sententia admitteretur, sequeretur 5. integros annos effluxisse inter somniũ Mardochæi, & inter insidiarum detectionem. Sed hoc non esse verum, apparet ex fine 11. & ex principio 12. capitis. Sic enim inquit, *hoc somnium, consiliumq́ Dei sibi repræsentatum Mardochæus experrectus in animo suo condidit, idq́ omni ratione cognoscere voluit, donec nox aduenisset, agebat autem eo tempore Mardochæus in regia cum Bagatha & Thara, duobus regis Eunuchis aulæ custodibus, & intellexit eorum consilia, studiaq́ explorauit, atque didicit, quemadmodum regi Artaxerxi manus afferre conarentur, eósque ad regem detulit.* Vnde apparet non 5. integros annos; sed tantùm vnũ diem inter somniũ Mardochæi, & insidiarum detectionem effluxisse. Disertè enim dicit Mardochæum eo tempore insidiarũ machinationem audiuisse, & patefecisse, quo de somnio cogitabat. Sed cogitabat de somnio postridiè eius diei, quo somniauerat. Si Bellarminus hîc nouam anticipationem cõminiscetur, implicabit se noua contradictione. Dixit enim *11. & 12. caput pertinere ad principium libri* fol. 34. linea 34. Deinde dicit hæc *omnia in græcis codicibus suo ordine collocata esse*; At in ijs 11. & 12. caput tanquam vna Appendix coniunguntur, idem fit in *Versione Hieronymi*, ad quam prouocat Bellarminus. Aut igitur falsum est 5. annos effluxisse inter Insidiarum detectionem, & Mardochæi somnium: aut falsum est 11. & 12. caput pertinere ad principium libri. Secundò genuina Esther dicit Mardochæũ propter Insidiarum detectionem *nulla præmia accepisse*, Esther cap 6. vers. 3. Addititia verò dicit eum *præmia accepisse*, Esth. cap 12. vers. 5.

Bel-

Bellarminus respondet hæc intelligenda esse per anticipationem, hoc est, vult Mardochæum eo tempore non accepisse præmium, cùm rex sibi prælegi iuberet annales, posteà verò egregio munere ornatum esse, & hoc munus intelligi debere per illud, quod cap.12.& 6.narratur, nempe *exaltationem Mardochai*. Sed hoc verum esse non potest. Haman enim cap. 12.vers. 6. Mardochæo, eiusq; populo perniciem struebat, postquam Mardochæus ita à rege exaltatus esset. At ex cap.6.& 7.colligi potest, Hamanem fuisse suspensum eodem die, quo Mardochæus euehebatur. Hæc simul vera esse non possunt. Homo enim suspendio sublatus nemini perniciem machinari potest. Deinde hæc responsio de anticipatione nouam cōtradictionem implicat. dixit n.pag.34.l.32 *11.& 12 caput ad principium libri pertinere.* At ipsa detectio facta est cap.2.vers.22. Si igitur duodecimum caput iuxta historiæ seriem ante primum collocari debet, doceat Bellarminus, quomodo Mardochæus pro delatione ornatus sit, priusquam detulisset? Preterea addititia Esther dicit Hamanem fuisse Mardochæo, eiusq; populo perniciem machinatum *propter detectos Eunuchos*, Esther cap.12.vers.6. Genuina verò dicit id factum esse propter *denegatam adorationem*, Esth. cap. 3, 5. Ad hoc nihil respondet Bellarminus. Porrò genuina Esther testatur regem se valdè *benignè intuitum esse*, Esth. cap. 5. vers. 2. Addititia verò dicit regem se valdè *sæuè adspexisse*, Esth. 14.10. Denique genuina Esther dicit Iudæos exitio destinatos esse 13. *die Adar*, Esth. 3, 13.&8, 12.& 9, 1. Addititia verò dicit eos destinatos esse exitio *14.die Adar*, Esth.12, 6.

6. Neque ad hæc quicquam respondet Bellarminus. Cùm igitur hæc septem capita non obstantibus Bellarmini conciliationibus cum genuina Esthera ex diametro pugnent, manifestum est ea non esse canonica. Tertium argumentum, quia hæc 7. capita cum historica veritate pugnant.

Quod cum historica veritate pugnat, id non est canonicum. Sed hæc septem capita cum historica veritate pugnant. Ergo hæc septem capita non sunt canonica.

Maiorem pono extra controuersiam. Minorem probo. Addititia n. Esther docet, *cap.* 16, 14. Hamanem voluisse *regnum Persarum ad Macedonas trāsferre.* Hoc verò ante ætatem Philippi, qui est Alexandri Magni pater, fieri nō potuit. Nam ante illud tempus regnū Macedoniæ nullas habuit vires, multo minus habuit vires Persis formidabiles. Vnde apparet hūc personatum Hamanem vel fuisse coętaneū Philippo, vel vixisse post ętatem Philippi. Deīde hic Hamā insidiatus est Mardochæo c. 12, 6. Sequitur ergo & illū fuisse Mardochæo coætaneū. At genuina Esther dicit Mardochæū simul cum *Iechonia Babylonē abductū esse*, cap. 2, 7. Sed à captiuitate Babylonica ad exitum Philippi ferè sunt 300. āni. Si igitur hæc oīa vera sunt, sequitur Mardochæū ad minimum fuisse 300. annorum, cùm Estheram regi elocaret. At eo tempore nemo ad istam ætatem perueniebat. Bellarminus vt hîc se expediat, mutat se in omnes formas, reijcit opinionem Cani, vituperat sententiam Genebrardi, contemnit iudicium Senensis, Carionis, Benedicti & aliorum. Sed aqua ei hæret, vt est in prouerbio.

Dicit

Dicit non *ipsum Mardochæum abductum eſſe in captiuitatem, ſed in parẽtibus eum deſcendiſſe.* At hoc quoniã in ſcriptura auctoritatem non habet, poteſt eadem facilitate à nobis contemni, qua ab illo approbari. Hoc cùm videret Bellarminus, excogitauit aliã ſolutionem,& dicit *Paulum Eremitam fuiſſe 115.annorũ.* Ergo Mardochæum potuiſſe Longimani ætatem attingere. Sed etiamſi Mardochæus potuiſſet attingere Longimani ætatem: tamen ideo quæſtio non eſſet ſoluta. Tempore enim Longimani nullæ erant vires Macedonum, neq; eo tempore regnum Perſarum per Hamanem ad Macedonas transferri potuit. Deinde *Eſther fuit Mardochæi patruelis* cap. 2, 7. Ergo vel fuit ei coætanea, vel non multo iunior. At ſcriptura dicit eam fuiſſe omnium puellarum pulcherrimam, ſed anus 300. annorũ neq; puella eſt, neq; pulcherrima inter puellas. Imò ſi quis cõcedat Eſtheram fuiſſe Mardocheo 100. annis iuniorem (quod tamen fieri vix poteſt) manet tamen eam 200. annorum fuiſſe, cùm regi nuberet. Sed anus 200. annorum neq; puella eſt, neq; tam formoſa eſſe poteſt. Hoc adeo mouit Sixtum Senenſem, vt pronunciarit cum Hieronymo, Origene & Lyra hæc capita non eſſe canonica, cui iudicio nos ſubſcribimus. Quartum argumentum, Quia hæc 7. capita ſunt ſcripta poſt ætatem Artaxerxis.

Quicquid in Veteri Teſtamento poſt ætatem Artaxerxis ſcriptum eſt, hoc non eſt canonicum.
Sed hæc 7. capita poſt ætatem Artaxerxis ſcripta ſunt, Ergo hæc 7. capita non ſunt canonica.

Maiorem probo. Ioſephus lib. contra Appion.

omnia, inquit, *quæ ab Artaxerxe vsq; ad nostram ætatem scripta sunt, non eadem fide, quæ primis debetur, digna ducuntur, pro eo, quòd non ita constiterit prophetarum iugis & explorata successio.* Idem docet Euseb. Ecclesiast. hist. lib. 3. cap. 10. Minorem probo, quia cap. 11, 1. fit mētio *Ptolomai & Cleopatræ.* Deinde Lyra & Sixtus Senensis docēt hæc *ab Iosepho conficta esse.* At illi, vt & Iosephus, vixerunt longo tempore post Artaxerxen. Postremò, horum 7. capitū sunt duæ Editiones, vna *Græca*, altera *Latina*, illæ inter se non cōueniunt cap. n. 15. in principio in vulgata Latina legimus, *Et mandauit ei (haud dubiè, quin Esther Mardochæus) vt ingrederetur ad regem, & rogaret pro populo suo, & pro patria sua, & memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu mea, quia Haman secundus à rege loquutus est contra nos in mortem, & tu inuoca Dominū, & loquere regi pro nobis, & libera nos à morte.* Hæc oīa in græca desunt. Dicat Bellarminus quænam hîc sit regula veritatis, & quam ob caussam; Nam si græcam editionem dicit regulam esse, cōdemnat editionem vulgatam. Si vulgatam, tum doceat, qua ratione illud sit authenticum, quod ab originali non est profectum. Cùm igitur hæc 7. capita sint originaliter scripta græcè, idque post ætatem Artaxerxis, & multa habeant, quę cùm historica veritate, & canonica scriptura pugnant, cùm denique ipsæ horum capitum editiones inter se pugnēt, sequitur ea canonica esse non posse. Nos statuimus cum Athanasio in synopsi *Esther, cuius initium est, Anno secundo regnante Artaxerxe, esse librum V.T. non canonicum.*

CAP.

CAPVT VII.

Baruch non eſſe principium aut regulam Chriſtianorũ dogmatum.

SVperiore capite oſtẽdimus ſeptem capita poſteriora Eſtheræ non eſſe canonica: nunc diſſeremus de Baruch: Hunc Bellarminus dicit eſſe canonicum, nos negamus. Ille probat ſuam ſententiã ſex argumentis, quæ ordine expẽdemus. Primum argumentum, quia eſt à ſynodo Tridentina approbatus. Secundum quia legitur in Eccleſia. Tertium quia aliqui patres ex eo teſtimonia allegant. Ad hæc tria argumenta reſpondi capite ſuperiore, neq; eſt neceſſe vt iſtæ Reſponſiones hîc iterentur. Quartum argumẽtum, quia vocatur à quibuſdam diuina ſcriptura.

Quemcunque librum aliqui patres nominarunt diuinam ſcripturam, ille eſt canonicus. Sed aliqui patres vocarunt Baruch diuinam ſcripturã. Ergo Baruch eſt liber Canonicus.

Reſpondeo Maiorem eſſe falſam. Ambroſius enim *quartum Eſdræ Dei verbum & diuinum vocat, de bono mortis cap. 10. & lib. 2. in Lucam, de nomine Præcurſoris.* Et tamen liber quartus Eſdræ neq; Dei verbum, neq; diuinus eſt. Ad Minorem dico, eſſe in Baruch quædam diuina, & ob eam cauſſam eum κατὰ συνεκδοχὴν diuinum vocari, & tamen non eſſe Canonicum. Quintum argumentum, quia aliqui patres putarunt eum eſſe partem Ieremiæ.

Quem librũ aliqui patres Ieremię eſſe putãt, ille eſt canonicus. Sed Baruch eſt ille, quem aliq̃ patres Ieremię eſſe putãt. Ergo Baruch eſt Canonicus.

Bellarminus more ſuo Maioris falſitatem diſsimulat

mulat, & Minorem, quæ non est controuersa, probat multis testimonijs. Sed ego Minore concessa, nego Maiorem. Non enim sequitur Baruch ideo esse canonicum, quòd eum aliqui patres Ieremiæ esse putarunt; sed eos patres errasse rectè sequitur. Sextum Argument. Quia Hilarius ponit Baruch in Canone.

Quos libros Hilarius in canone posuit, illi sunt canonici. Sed Hilarius in canone posuit Baruch. Ergo Baruch est canonicus.

Nego Maiorem. Hilarius enim Præfat. in psalm. numerat 22. *libros ad numerum litterarum Hebræorum.* Deinde addit adhuc *duos nempe Tobiam & Iudith* nullam aliam ob caussam, quàm quod *Græci habent 24. litteras.* Quod sanè iudicium leuissimum est. Nā si ista ratio valet, apud Latinos erunt tantùm viginti tres libri canonici. Illi enim tantùm habent viginti tres litteras. Deinde & Minorem nego. Hilarius n. in Catalogo librorum Canonicorum nullam facit *Baruch* mentionem. Dicit enim *Ieremias cum Lamentatione & Epistola.* Si Bellarminus dicit hoc de epistola apocrypha, quæ ad finem Baruch ponitur, intelligendum esse, respondeo hoc non dicere Hilarium. Deinde extat epistola apud Ieremiā cap. 29. de qua hoc intelligere possumus. Deniq; illa epistola apocrypha non est Ieremiæ, quod Bellarminus fatetur. Si igitur dictum Hilarij de illa epistola intelligendum est, tum non sequitur eam esse canonicam: sed Hilarium errasse rectè sequitur. Postremò si Hilarij iudicio standum est tum Sapientia, Ecclesiasticus & Machabæici duo non sunt in canone. Illorum enim Hilarius in præfatione ista nullam facit mentionem

onem. Hæc ſunt Bellarmini argumenta, quibus voluit aſſerere Baruch eſſe canonicum. Nunc immotis rationibus oſtendam eum non eſſe canonicum. Ac primùm quia pugnat cum canonica ſcriptura, dicit enim cap. 1. verſ. 2. *vrbem eodem tempore captam & exuſtam eſſe*, at contrarium docet Ieremias *capite vltimo*, & hiſtoria Regum *lib. 2. cap. 25*. Deinde eſt originaliter græcè ſcriptus. Hoc affirmant omnes docti. Prætereà dico eum nunquam fuiſſe in canone Hebræo. Et ob eam cauſſam, ſi Bellarminus pertinaciter dicit eum fuiſſe hebraicè ſcriptum, reſpondeo Baruchum hebraicum nunquam fuiſſe in canone. Ergo græcam eius verſionem in canone eſſe poſſe. Sed neque fuit tempore primitiuę Eccleſiæ in canone Chriſtiano. Euſebius enim *lib. 3. cap. 10.* eum præterit, Idem facit Melito *apud Euſeb. lib. 4. cap. 26.* Et Origenes *apud eundem libr. 6. cap. 18.* Idem facit Hieronymus *in Prologo galeato.* Nazianzenus *in carminibus de genuinis S. Scripturæ libris.* Cyprianus *in Symbolo.* Athanaſ. *in Synop.* Laodicenum Cōcilium *Canone 59.* Hilarius *Præf. in Pſalmos.* Cū igitur Baruch pugnet cū canonica ſcriptura, & ſit originaliter ſcriptus græcè, nec vnquam fuerit in canone hebræo nec tempore primitiuæ Eccleſię fuerit in canone Chriſtiano, manifeſtum eſt, eum inter canonicos cenſeri non poſſe.

CAPVT VIII.

Additiones Danielis non eſſe Principium vel regulam Chriſtianorum dogmatum.

BAruch ſequuntur Additiones Danielis. Eas Bellarminus dicit eſſe regulam Chriſtianorum dogmatum, nos negamus. Ille ſuam ſentētiam probat 6,

argumentis, quæ ordine expendemus. Primum Argum. quia Tridentina Synodus eas canonicas esse iudicauit. 2, Quia leguntur in Ecclesia. 3, Quia aliqui patres ex ijs testimonia allegant. 4, Quia aliqui patres eas vocant diuinam scripturam: Hæc argumenta sunt à nobis cap. 5. refutata. Ideo de ijs nunc non dicam. Sed quoniam dicit has Additiones nunc non tantùm in Ecclesia legi: sed etiam *ante mille ducentos annos* in ea lectas esse, ideo præter ista priora ad secundum argumentum adhuc nonnihil respondendum est. Dico igitur istam historiæ notationem Bellarmini caussam non iuuare. Nam & *historia martyrũ* ante mille ducentos annos in Ecclesia lecta est, legebatur enim *tempore concilij Carthag. 3.* neque tamen est canonica. *Libri* item *Ephrem* ante mille ducentos annos in Ecclesia lecti sunt, legebantur enim *tempore Hieronymi*, neque tamen sunt canonici. Manifestum igitur aliquos libros ante mille ducentos annos in Ecclesia lectos esse, & tamen non esse canonicos. Quintum argum. Quia credibile est, patres, qui Danielem in canonem retulerunt, etiam has Additiones in canonem retulisse. Argumentum tale,

Qui genuinũ librum in canonem referũt, ij etiam eius Additiones in canonem referũt. Sed aliqui patres Danielem in canonẽ retulerũt. Ergo eius etiam Additiones in canonem retulerunt.

Respondeo Maiorem esse falsam. Hieronymus enim genuinum Danielem in canone ponit, has verò *additiones reijcit*. *Præfat. in Daniel. & Præfat. comment. in Daniel. Origenes* item, *Eusebius, Appollinarius, alijq; ecclesiastici viri, & doctores græciæ genuinũ Danielem recipi-*

recipiunt, has verò Additiones sanctæ scripturæ præbere vllam auctoritatem negant. Hieron. Præfat. com. in Dan.

Sextū argum. Quia Origenes dicit eas esse canonicas.

Quicquid dicit Origenes hoc est verum. Sed Origenes dicit has Additiones esse canonicas. Ergo hæ Additiones sunt canonicæ.

Respondeo Maiorem esse falsam. Non n. verū est quicquid dixit Origenes. Deinde ipse Bellarminus eius auctoritatē reijcit *lib. 4. de Verbo Dei cap. 9. Auctoritat. 8.* Sed neq; Minor est vera. *Origenes n. negat has Additiones præbere sacræ Scripturæ vllam auctoritatem.* Hierony. Præfat. Cō. in Dan. Quod verò ad epistolā ad Iulium Africanū attinet, illa non est ferenda. Dicit n. *id solum pro vero habendū esse in scripturis diuinis, quod 70. Interpretes transtulerūt,* Euseb. li. 6. Ecclesiast. hist. cap. 25. At hoc pugnat cum veritate, & cum Origene. Cum veritate; ipsi n. Papistę fatentur versionem 70. non esse authēticam, deinde Daniel non iuxta 70. Interpretes, Sed iuxta Theodotionem in ecclesia *legebatur.* Hieron. Com. in Dan. Cum Origene; *Origenes enim in Editione vulgata asteriscos posuit: docens defuisse quæ addita sunt: & rursus quosdam versus obelis prænotauit, superflua quæque designans.* Hieron. præfat. Com. in Dan. quod sanè non fecisset si illud tantùm esset verū, quod est in 70. Atq; hæc sunt Bellarmini argumenta pro Additionib. Danielis. Nunc immotis rationibus ostendam, eas non esse canonicas. Ac primum, quia originaliter græcè scriptæ sunt. Hieronym. in Præf. com. in Dan. *Non habentur,* inquit, *apud hebræos, sed sunt Græci sermonis figmentum.* Græca translatio docet has Additiones μὴ εἶναι ἐν τοῖς βιβλίοις

τῶν ἑβραίων. Idem docent istę etymologiæ σχῖνος σχίσει & πρῖνος πρίσει v. 54. cap. 13. Atqui nullum librum veteris Test. originaliter græcè scriptum esse docui antè. Ad duo priora nihil respondet Bellarminus. Ad tertium dicit, nunc quidem talem Etymologiam non esse in hebræa lingua, fuisse tamen olim. Idque probat ex Origene ad Iulium Africanum. Sed inter opera Origenis Basileæ edita, nihil extat ad Iulium Africanum. Apud Euseb. Ecclesiast. hist. lib. 6. cap. 23. reperitur quidem Origenis de Susanna testimoniū, idque ex eo libro, qui ad Iulium Africanum scriptus erat. sed huius Etymologiæ illic nulla fit mentio. Deinde *Eusebius, Apollinarius & ipse Origenes contrariū testantur* apud Hieron. Præfat. com. in Dan. fatentur *n. has visiones non esse in hebræo, neq; ullam sanctæ scripturæ auctoritatem præbere,* vt antè dictum est. Præterea nūc est eadem lingua hebræa, quæ tēpore Origenis erat. Nam & tunc eam ex libris discebant, quemadmodū nunc faciunt: sed nunc talis etymologia in toto & vniuerso hebręorū sermone inueniri non potest. Ergo neq; tunc fuit. Relinquitur igitur hos libros originaliter esse scriptos Græcè. Secūdum arg. Quia hæ Additiones ex diametro pugnant cū Scrip. canonica.

Quod ex diametro pugnat cum Scriptura Canonica, hoc non est canonicum. Sed hæ Additiones ex diametro pugnant cum Scriptura cacanonica. Ergo non sunt canonicæ.

Maiorem pono extra controuersiam. Minorem probo. Additítius n. Daniel dicit, *se fuisse puerum ætate minimum,* cùm Susannam vindicaret cap. 13, 45. Genuinus verò longè ante dicit, se *cum duobus alijs, à rege 120.*

ge, 120 Satrapis præfectum esse, vt audiret rationes regni, ne rex molestia afficeretur cap. 2.vers. 48.& cap 6. vers. 2. Sed *puer ætate minimus* talibus negotijs præesse non potest. Bellarminus respondet, hæc per anticipationem intelligenda esse. Decimum tertium enim caput debere esse primum. Ac proinde historiam Susannæ primo loco ponendam, vtpote quæ accidit Daniele adhuc puero. Reliqua deinde contigisse, postquam Daniel ad virilem ætatem peruenisset. Sed hoc est falsum. Græca enim editio dicit, ἱστορία σωσάννης παρὰ τῆς τοῦ Δανιὴλ ἀρχῆς ἀφωρισμένη, διὰ τὸ μὴ εἶναι αὐτὴν ὥσπερ τὸ τοῦ δράκοντος τοῦ βὴλ διήγημα, ἐν τοῖς βιβλίοις τῶν ἑβραίων. Vnde sequitur hanc historiam non pertinere ad principiũ Danielis, sed esse prorsus à Daniele separatam. Deinde hæc Bellarmini responsio nodum implicat, non soluit. Nam in eodem capite, vers. 65. fit mentio Cyri, Vnde apparet historiam Susannæ tempore Cyri contigisse. Genuinus verò Daniel dicit se *cum Ioachim* cap. 1. vers. 2. & sequentibus, *à Nebucadnezar captiuũ deductum esse.* Ab hac verò captiuitate ad Cyrum sunt 70. anni, *Ierem. 29. vers. 10.* At vir 70 annorum non est puer ætate minimus. Ad hoc respondet Bellarminus, *vltimum versum capitis 13, ab eo capite rescindendum esse, & addendum ad caput 14.* Atque ita non historiam Susannæ, sed historiam Beli referendam esse ad ætatem Cyri. Sed neque hoc quęstionem soluit, In historia enim Beli dicit Additius Daniel, *se ab Habacuc cibatum esse,* cap. 14. vers. 36. Sed Habacuc longè ante captiuitatem prophetauit. Dicit enim cap. 1. vers. 6. *Ecce ego suscitabo Chaldæos* etc. Vnde sequeretur Hebacuc ferè 100. ãnos prophetasse. Sed

nemo inter omnes prophetas, ne Ezaias quidem, tam longo tempore prophetauit. Deinde *Eusebius & Apollinarius responderunt Susannæ Belísque ac Draconis fabulas non contineri in Hebræo. sed partem esse prophetiæ Habacuc, filij Iesu, de tribu Leui*, Hieron.com.in Dan. Ad hæc respondet Bellarminus, non absurdum esse dicere, *duos esse Danieles, vnum è tribu Iudæ, qui* tempore Nebucadnezar vixit, *alterum è tribu Leui*, qui tempore Cyri vixit, Atque hoc dicit, *multos veteres sensisse, & inter eos Hieronymum* pręf.com.in Dan. Sed hoc est falsum. Hieronymus enim non dicit duos Danieles esse; sed dicit *has fabulas Habacuc esse, qui fuit ex tribu Leui*, & addit 70. *Interpretes in titulo eiusdem Belis fabulæ idem ponere.* Deinde accipio duos Danieles fuisse, vnum è tribu Leui, alterum de tribu Iuda. Sed eum, qui est ex tribu Iuda, cum tota primitiua ecclesia pro propheta accipio, illum verò qui est ex tribu Leui, cum tota primitiua Ecclesia non agnosco. Tertium Argumentum, Quia hæ Additiones nunquam fuerunt in Canone hebræo, hoc pono extra controuersiam. Quartum argumentum, Quia tempore primitiuæ Ecclesiæ non fuerunt in canone Christiano. Hieronymus enim eas disertè reijcit, Pręf. in Dan. *Origenes, Eusebius & Appollinarius negant eas vllam Sanctæ scripturæ auctoritatem præbere.* Hieron. præf. com.in Dan. Idem *faciunt alij Ecclesiastici viri, & doctores Græciæ*, ibidem. Cùm igitur hæ Additiones sint originaliter scriptæ gręcè, & aliquando ex diametro pugnent cum scriptura canonica, nec vnquam fuerint in Canone Hebræo, nec tempore primitiuæ Ecclesiæ in canone Christiano, sequitur eas non esse Canonicas.

CAP.

CAPVT IX.

Tobiam non esse principium Christianorum dogmatum.

ADditiones Danielis sequitur Tobias. Hunc Bellarminus dicit esse regulam Christianorum dogmatum; nos negamus. Ille probat suam sententiam quatuor argumẽtis, quæ ordine expendemus. Primum, Quia *Cyprianus dicit eum esse librum Spiritus Sancti, in* sermone de Eleemosyna.

> Quemcũque librũ aliqs pater vocat librum Spiritus S. ille est regula Christianorum dogmatum. Sed Tobias est ille, quem vnus pater vocat librum Spiritus S. Ergo Tobias est regula Christianorum dogmatum.

Respondeo Maiorem esse falsam. Tertullianus enim de Idololatria cap. 15. dicit Enoch esse librum Spiritus Sancti. *Hæc*, inquit, *Spiritus Sanctus prauidens præcecinit per antiquissimum prophetam Enoch:* neq; tamẽ *Enoch* propterea est canonicus. Origenes lib. 10. ad Rom. in cap. 16. *dicit librum Hermæ esse diuinitus inspiratum*. at hoc nihil aliud est, quàm esse librum Spiritus Sancti. Neque tamen *Hermes* propterea est canonicus. Secundum, Quia *Basilius & Calixtus dicũt eum esse diuinam scripturam*. Sed ad hoc iam antè responsum est. Tertium, Quia Ambrosius vocat hunc librum *propheticam scripturam*.

> Quem librum aliquis pater propheticam scripturam vocat, ille est canonicus. Sed Tobias est ille, quem quidam pater propheticam scripturam vocat. Ergo Tobias est canonicus.

Respondeo Maiorem esse falsã. Augustinus enim

lib. 18. de ciuitat. Dei. cap. 36. dicit *tertium Eſdræ à propheta ſcriptum eſſe*; neq; tamen propterea *tertius Eſdræ* eſt canonicus. Tertullianus dicit *librum Enoch à propheta ſcriptũ eſſe*, lib. de Idololatria cap. 15. vt paulò antè probaui, neque tamen *Enoch* propterea eſt canonicus. Minor eſt quidem vera, ſed non magni momenti. Melito enim, Origenes, Cyprianus, Nazianzenus, Athanaſius, Concilium Laodicenum, Hieronymus, Hilarius, Cyrillus, & tota antiquitas contrarium teſtatur, vt capite quarto & quinto oſtendimus. Illorum autem omnium au-ctoritati vnus Ambroſius poſtponendus eſt. Deinde *Eccleſiam non recipere Tobiam inter canonicas ſcripturas* docet Hieronymus in Præf. ad libros Salomonis. Idem docet Athanaſius *in Synopſi.* Cyprianus *in Symbolo*, & Nazianzenus *in Carmine de libris canonicis.* Ambroſius igitur iudicauit eum κατὰ συνεκδοχὴν propheticum eſse, aut eius iudicium ab Eccleſiæ iudicio diſsentit. Quartum, Quia Auguſtinus *ex eo, tanquam ex canonico libro teſtimonia allegat.* Sed & hoc iam antè refutatum eſt, & ad Auguſtini auctoritatem reſponſum eſt. Atque hæ ſunt Bellarmini rationes pro Tobia. Nunc immotis argumẽtis oſtẽdam eum non eſse, neque eſse poſse regulam Chriſtianorum dogmatum. Ac primùm quia totus liber eſt corruptus & deprauatus.

Quod corruptũ & deprauatũ eſt, illud non poteſt incorruptæ, & certæ doctrinę principiũ, aut regula eſſe. Sed liber Tobiæ eſt corruptus, & deprauatus. Ergo non poteſt incorruptæ, & certæ doctrinæ principium, aut regula eſse.

Maior-

Maior est citra omnem controuersiam vera. Corruptum n. incorrupti regula, & canō esse non potest. Nam inter corruptū & incorruptū nulla similitudo. Minorem probo. Sunt enim duę editiones, vna *Latina Vulgata:* altera *Complutēsis Græca*. Hæ ambæ ita dissentiūt, vt in ijs nihil sit sani. Cap. n. 1. vers. 1. legimus in editione græca, *Liber sermonum Tobiæ fily Tobiæ, fily Ananielis, fily Adouelis, fily Gabaëlis, è semine Asaeiu.* hęc omnia in vulgata latina desunt Eodem cap. vers. 4. in vulgata Latina legimus, *Cúmque esset iunior omnibus in tribu Naphthali, nihil tamen puerile gessit in opere.* at hæc omnia in Complutensi græca desunt. Ibidem in Complutensi græca legimus, *Ac cùm in mea essem patria, in terra Israël adhuc iuuenis, paterna tribus mea defecit a domo Hierosolymitana, ea qua ex omnibus Israël tribubus ad sacrificia omnium offerenda selecta fuerat, vbi templum tabernaculi altißimi conseruatum fuerat, atque ad omnes ætates ædificatum.* at hęc oīa in vulgata Latina desunt. Eodem cap. ver. 7. legimus in Cōplut. Gręca, *Primas omnium fructuum decimas dabam sacerdotibus ab Aarone ortis, qui Ierosolymis ministrabant. alteras decimas vendebam: & profectus, quæ inde confecissem, Hierosolymis annis singulis impendebam. Tertias verò ijs, quibus par erat, elargiebar, sicut Debora mater patris mei mihi præceperat. nam me quidem pater pupillum reliquerat.* Hęc omnia in Latina vulgata desunt. Ibidem in Latina vulgata legimus. *Ita vt tertio anno proselytis, & aduenis administraret omnem decimationem. Hæc & his similia secundum Legem Dei puerulus obseruabat.* At horum nihil est in Complutensi græca. Eodem cap. vers. 10. in Latina vulgata legimus, *Quem ab infantia timere Deum*

um

um docuit,& abstinere ab omni peccato. At hæc in Complutensi græca desunt. Eodem cap. vers. 16. in Latina vulgata legimus, *Cùm autem venisset in Rages Ciuitatem Medorum,& ex ijs,quibus honoratus fuerat a rege, habuisset decem talenta argenti,& cùm in multa turba generis sui Gabelem egentem videret,qui erat ex tribu eius, sub Chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.* At hæc omnia in Complutensi græca desunt. Eodem cap.vers.24.in Complutensi græca legimus, *Qui cùm in montes Ararath aufugisset, Sarchedonus eiusdem filius illi in regnum successit: atq; Archiacharum Anaëlis fratris mei filium omnibus patris sui rationibus, totiq; gubernationi præfecit.* At hæc omnia in vulgata Latina desunt. Eodem cap.vers.23.in vulgata Latina legimus, *Tobias verò cũ filio suo,& cum vxore fugiens nudus latuit, quia multi diligebant eum.* At horum nihil est in Complutensi græca. Eodem cap.vers.25.in Complutensi græca legimus, *Erat autem ille à poculis, atque ab annulo signatorio,tũ à rationibus ac dispensator, vicariumq; sibi Sarchedonus constituerat è fratre meo natum.* At hæc omnia in vulgata Latina desunt. cap.3,1. legimus in græca editione, *Cum aũt domum meam rediissem, vxorq; mea Anna vna cum filio Tobia restituta mihi esset, in festo Pentecostes, quod septem hebdomadarum sacrum est.* At hæc desunt in vulgata Latina. Eodem cap.vers.12. legimus in vulgata Latina. *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus euenire illi,vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, vt Sancti Iob. Nam cùm ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum,quòd plaga cæcitatis euenerit ei: Sed immobilis in Dei timore permansit agens gratias*

tias Deo, omnibus diebus vitæ suæ. Nam sicut beato Iob insultabant reges: ita isti parentes & cognati eius irridebāt vitam eius, dicentes, vbi est spes tua, pro qua Eleemosynas & sepulturas faciebas? Tobias verò increpabat eos, dicens: nolite ita loqui, quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est ijs, qui vitam suam nūquam mutant ab eo. At hæc omnia in Complutensi græca desunt. cap. 3. vers. 6. legimus, in Græca, *vt dissoluar atq; in terram redigar.* Hoc in vulgata latina deest. Eodem versu legimus, in Græca; *quoniam exprobrationes immeritas audiui, in magnóque dolore sum, iube nunc, vt ijs solutus angustijs, in locum æternum concedam, ne tuam à me faciem auertas.* Hęc in vulgata Latina desunt. Eodem cap. vers. 8. legimus in Editione gręca, *An nescis, inquiebant, te viros tuos suffocauisse? septem iam viros habuisti, neque vllius, illorum nomine fuisti cognominata.* Hæc in vulgata Latina desunt. Eodem cap. vers. 11. legimus in vulgata Latina, *Sed in Oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam: factum est autem die tertia, dum compleret orationem, benedicēs Dominum.* At hæc in editione græca desunt. Eodem cap. vers. 17. legimus in editione græca, *Nec vnquam nomen meum patrisq; mei in terra captiuitatis meæ aliqua turpitudinis macula inquinasse. vnica sum filia patri meo, neq; puellus ei est, qui eius hæres futurus sit, neq; frater propinquus, aut filius ab eo natus, cui ego me ipsam reseruem vxorem. Quid est cur ego in vita diutius maneam. Quid si tibi non placet, vt occidar, fac vt ad me respicias, misericordiamq; in me conferas, ne ego posthac eiusmodi probrum amplius audiam.* Hæc omnia in vulgata Latina desunt. Eodem cap. vers.

verſ. 18. legimus in vulgata Latina, *Virum autē cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere, & aut ego indigna fui illis, aut illi, forſitan mihi non fuerunt digni: quia forſitan viro alij conſeruaſti me, non eſt enim in hominis poteſtate conſilium tuum, hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita eius, ſi in probatione fuerit, coronabitur, ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur: &, ſi in corruptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit. non enim delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis, Sit nomen tuum, Deus Iſraël, benedictum in ſecula.* Hæc omnia in Complutēſi deſunt. Eodem cap. verſ. 25. legimus in græca editione, *vt & Tobiæ oculorum albumen abſtergeret, & Saram Ragaelis filiam Tobiæ filio vxorem daret, Aſmodæumq́ malum Dæmonium cōſtringeret, quoniam ad Tobiam iure quodam hæreditario pertinebat, eodemq́ ipſo tempore reuerſus Tobias, introiuit domum ſuam, & Sara è cœnaculo deſcendit.* Hæc omnia in vulgata Latina deſunt. cap. 4, 5. legimus in Editione græca, *Iuſtitiam autem cole omnibus vitæ tuæ diebus, neq; vias iniuſtitiæ conſecteris: ſi enim veritati ſtudueris, omnia quæ geres, tibi bene ac feliciter ſuccedent, omnibuſq; ijs, qui iuſtitiam coluerunt.* Hæc in vulgata deſunt. Eodem cap. verſ. 13. in editione græca legimus, *Neq; alienigenam mulierem, quæ è tribu patris tui non ſit, tibi adiungas. Sumus enim prophetarum filij, Noë, Abraham, Izaac, Iacob, priſcis orti maioribus; memento fili, illos duxiſſe vxores e fratribus ſuis, atque in ſobole ſua benedictos fuiſſe, ſemenq́ ipſorum terram poſſeſſurum.* Hæc in vulgata deſunt. Eodem cap. verſ. 20. in Græca legimus, *Omniaq́ tua inſtituta & Conſilia*

proſperentur

prosperentur, neque enim est vlla gens, quæ consilium habeat, sed ipse dominus omnium bonorum auctor est; & quem vult, quo vult modo, humiliat. Nunc igitur fili memineris præceptorum meorum, neque ex animo tuo ea vnquam deleantur. Hæc omnia in vulgata Latina desunt. Eodē capite ver.21. in vulgata Latina legimus, *Et chirographum eius apud me habeo, & ideo perquire, quomodo ad eum peruenias, & recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, & restituas ei chirographum suum.* Hæc omnia in Græca editione desunt. Cap. 5. vers. 12. In vulgata Latina legimus, Et ait Tobias *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video. Cui ait iuuenis: forti animo esto, in proximo est, vt à Deo cureris. Dixit autem illi Tobias, nunquid potes perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum, & cùm redieris, restituam tibi mercedem tuam? & dixit ei angelus, ego ducam & reducam eum ad te.* Hæc omnia in editione Græca desunt. Eodem cap. vers. 20. legimus in editione vulgata, *Dixit autem ei angelus, ego sanum ducam, & sanum reducam filium tuum. Respondens autem Tobias ait: Benè ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & angelus eius comitetur vobiscum. Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo, & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul.* Hæc omnia in editione græca desunt. Ibidem in editione græca legimus. *Nam tu quidem frater meus es, ex honesta bonáque ortus progenie: cognoui enim Ananiam & Ionathan magni illius Samariæ filios, cùm vnà Hierosolymam ad orandum accederemus, primogenita, & fructuum decimas offerentes. neq; vnquam in errore fratrū nostrorum versati fuerunt.*

Sed die

Sed dic quam tibi dem mercedem? drachmámne in dies singulos, simulq́ & ea, quæ sunt ad iter necessaria, vt & meo filio? quinetiam si vos incolumes redieritis, ad hanc mercedem aliquid addam. Itaq; cùm inter eos conuenisset, Tobias filium monuit, vt se ad iter pararet, faustamq́; eis profectionem precatus est. Cùm aũt ille, quæ ad iter sunt necessaria, parauisset, pater ei dixit, tu quidem cum hoc homine proficiscere. Egreßi sunt igitur ambo vt abirent, & canis adolescentis vna cum illis. Hęc omnia in vulgata Latina desunt. Reliqua capita æquè sunt deprauata, & corrupta. imò si quis has duas editiones diligenter inter se conferet, videbit vix vnam periodum esse, in qua hæ duæ editiones per omnia conueniant, sed mihi non libet plura describere. Hæc enim hominibus non contẽtiosis euidenter ostendunt Tobiam esse corruptum. At quod corruptum est, ex eo nihil per se, nisi quod corruptum est, colligi potest. Deinde hæ duæ editiones sæpè inter se ex diametro pugnant. Vulgata enim dicit Tobiam fuisse *quinquaginta sex annorum*, cùm visum amitteret, cap. 14, 3. Græca verò dicit eum tum fuisse *annorum quinquaginta octo*, cap. 14. vers. 2. Deinde vulgata dicit, eum *quatuor annos cæcum fuisse*, cap. 14. vers. 3. Græca verò dicit eum *octo annos fuisse cæcum*, cap. 14. vers. 2. Denique vulgata dicit Tobiam iuniorem habuisse *septem filios*, cap. 14. vers. 5. Gręca verò dicit eum tantùm *sex filios habuisse* cap. 14. vers. 5, Prætereà vulgata dicit Tobiã seniorẽ habuisse *102. annos cùm moreretur*, cap. 14. vers. 2. At Græca dicit eum habuisse *annos 158, cùm moreretur*, cap. 14. vers. 7. Adde vulgatam dicere Senacheribum post *quadraginta quinque dies* occisum esse à filijs suis,

cap. 1.

cap.1.vers.24.Græca verò dicit eum poſt *quinquaginta quinque* dies à filijs ſuis occiſum eſſe. Quid, quòd Vulgata dicit Tobiam iuniorem *vixiſſe annos nonaginta nouem*, cap.14.vers.16.Græca verò dicit eum vixiſſe *annos centum vigintiſeptem*, cap.14.vers.16.At quod ita incertum eſt, hoc vtique certæ doctrinæ principium eſſe non poteſt. Secundum argumentũ, Quia neutra editio eſt ſibi ipſi conſentanea.

Quod reuera ſecũ pugnat,hoc non poteſt indubitatæ & certæ doctrinæ principiũ eſſe.Sed quælibet editio Tobiæ ſecũ pugnat.Ergo non poteſt indubitatę & certę doctrinę principiũ eſſe.

Maiorem pono extra controuerſiam.Quod enim non apparenter,ſed verè ſecum pugnat; illud non poteſt eius doctrinæ, quæ immutabiliter vera eſt, principium eſſe.Minorem probo.Duæ,vt dixi, ſunt huius libri editiones, vna *Latina Vulgata*,altera *græca*. Neutra eſt ſibi ipſi conſentanea. Græca enim dicit cap.1.ver.4.*Defectionem Iſraelis factam eſſe Tobia ſeniore adhuc iuuene*.At illa(ſequor Funcium)incidit in annũ mundi 2970. Eadem dicit eum *poſt mortem Senacheribi* (quæ contigit anno mundi 3230) *cæcum factum eſſe*,cap.2. vers.11.Vnde apparet eum non annumeratis annis iuuentutis ſuæ 260 annos vixiſſe priuſquam cæcus fieret. Eadem dicit cap.14.vers.2.*eum octo annos cæcum fuiſſe*.Ex eodem capite colligi poteſt eum *nonaginta duos ãnos* vixiſſe poſt viſum recuperatum.Hęc oĩa in vnum collecta,& iuuẽtutis annis annumeratis oſtendunt,eum ad minimũ *360.annos* vixiſſe.Atqui eadem Græca editio dicit eum mortuũ eſſe *anno* ætatis ſuæ *158*.cap.14,13.Quę omnia ſi ve-

 ra ſunt

ra ſunt, ſequitur eum 212.annos vixiſſe, poſtquam mortuus eſſet. Deinde antè oſtendi ex græca colligi poſſe, Tobiam ſeniorem non annumeratis annis iuuentutis ſuę,habuiſſe *annos 254* cùm viſũ perderet. At eadem græca dicit eum *anno ætatis ſuæ quinquageſimo octauo* viſum perdidiſſe.Manifeſtum igitur Græcam editionem ſibi ipſi non eſſe conſentaneam. Sed & Vulgata Latina eſt nihilo conſtantior.Dicit enim cap. 1. vers.11. *Tobiam iuniorem ſimul cum patre à Salmanaſſar captum eſſe.* Illa captiuitas incidit in annum mundi (ſequor Funcium) 3224. Eadem dicit *templum domini fuiſſe exuſtum Tobia iuniore adhuc viuente,* cap. 14.vers. 7.At hoc exuſtũ eſt anno mundi 3356. Ibidem ſcriptum eſt, *eum parentibus mortuis in Mediam profectum eſſe, atque iſthic tam diu vixiſſe, vt viderit quintam generationem,filios filiorum ſuorum*,cap.14.ver. 15. vnde ſequitur eum non annumeratis iſtis annis, quos in patria ante captiuitatem, & in Media poſt obitum patris,vſq; ad quintam generationem vixit, fuiſſe centum triginta duorum annorum,cùm moreretur. At eadem vulgata dicit eum *anno ætatis ſuæ nonageſimo nono mortuum eſſe*, cap.14.verſ.16.Manifeſtum igitur neq; vulgatam ſibiipſi cõſentaneam eſſe. At quod ſibi ipſi contradicit,hoc vtique non poteſt immotę & conſtantis doctrinę principium eſſe.Tertium argumentum, Quia docet vana.

Quod docet vana,illud non poteſt eius doctrinę, quæ immutabiliter vera eſt, principium eſſe. Sed hic liber docet vana.Ergo non poteſt eius doctrinæ, quæ immutabiliter vera eſt,principium eſſe.

Maior

Maior eſt certa, ex vano enim & mendaci, nihil per ſe, niſi vanum & mendax colligi poteſt. Minorem probo cap. enim 15. verſ. 18. dicit angelus *ſe eſſe Azariam Ananiæ filium*. capite autem 12. verſ. 15. dicit ſe *eſſe Raphaëlem angelum Domini*. At ſi eſt angelus Dei, tum non eſt Ananiæ filius, & ſi Ananiæ filius eſt, tum non eſt angelus. Ad hunc locum Franciſcus Iunius veteris Teſtamenti optimus interpres. *Hoc eſt, inquit, mendacium, quo neque Deus, neque veri eius angeli in canonicis libris leguntur vſi, quod mendacium (licet multæ hinc inde rationes comportentur) eſt mendacium à Deo, & ab electis eius angelis alieniſſimum.* Simile eſt, quod cap. 12. verſ. 16. dicit, ſe eſſe vnum ex *iſtis ſeptem angelis, qui aſtant ante Dominum.* Hoc æquè verum eſt, atque illud prius. Daniel enim illuſtrior teſtis cap. 7. verſ. 10 dicit *millies mille miniſtrare ei, & decies milies centena milia coram eo ſtare*. Aut igitur falſum docet Daniel, aut falſum docet hic perſonatus Raphaël. Scitè idem Iunius, *Nihil in toto orbe terrarum magicũ dici poteſt, aut hoc ex principijs magiæ petitum eſt, quorum doctores primarij ex India, & Bactriania profecti, cum Iudæis ſuum virus cõmunicauerunt: Nam ſtatuunt illi Angelos horarios, diarios, & alios cæli regionibus attributos, principes, miniſtros, ex quibus Zoroaſtres Bactrianus, Menaſtor Indus, & alij ſcelerum concinnatores ſuas magiæ obſeruationes elaborauerunt. Atque hoc quidem vitio Iudæos fuiſſe inquinatos, oſtendit Epiphanius, hæreſi de pharıſæis. Ipſorum libri, & diuina obſeruationes idem teſtantur, diem enim Solis Raphaëli, diem lunæ Gabriëli, diem Martis Gammaëli, diem Mercurij Michaëli, diem Iouis Tzidkiëli, diem veneris Hanaëli, diem Sabbati Kephariëli attribuunt, eóſque*

dominos statuunt omnis administrationis, in illum diem necessaria. Ex ijsdem fontibus profecta est illa *Medicina* cap.6.vers.8. Talibus enim medicamentis fugari Sathanam non docent sacræ literæ. Franciscus Iunius respondit *totum illud esse Talmudicum*. Lyra, *si Dæmones*, inquit, *haberent corpora sibi naturaliter vnita, sicut dicit Apuleius, quod dæmones sunt animalia, corpore aërea, tempore æterna, animo passiua: non esset impossibile, quod res naturales facerent in eis impressionem ratione corporum; sed quia secundum fidem nostram, & etiam Philosophorum doctrinam, sunt substantiæ simpliciter intellectuales, ideo nulla corporalis creatura potest in eis facere aliquam impressionem.* Et paulò post, *Quod autem aliquando Dæmones ab obsessis corporibus recedunt, ad deportationem aliquorum lapidum, & herbarum; & pronunciationem carminum & huiusmodi; non fit virtute talium, sed Dæmones hoc fingunt voluntariè, vt teneant homines in errore, &c*: Simile penè ijsdem verbis memini me aliquando apud Thomā legere, Et apud VVierum *de Præstigijs Dæmonum lib. 4. cap. 17. & 18.* Sed hæc sufficiant ad huius scripti vanitatem ostendendam. Quod autem vanum est, hoc veritatis regula esse non potest. Quartum argumentum, Quia Esdras hunc librum in canonem non retulit, hoc constat ex prioribus. Vnde sequitur hunc librum eo tempore aut fuisse, aut non fuisse scriptum; si fuit scriptus, tum non est canonicus, Esdras enim non reliquisset eum extra canonem. si non fuit scriptus, tum etiam non est canonicus. quod enim post illam ætatem scriptum est, hoc non habere canonicam auctoritatem iam antè ostendimus. Deinde hic liber tempore primitiuæ

Ecclesię non fuit in canone Christiano, hoc item patet ex prioribus. Quam ob caussam & nunc in canone esse non potest. Postremò hic liber tempore Hieronymi exstabat Chaldaicè, *vt docet Hieronym. in Prologo Tobiæ*, neque fuit ab eo diligenter versus, Hieronymus enim eam linguam ignorabat. ideo *vtriusq; linguæ peritißimum loquacem reperiens, vnius diei laborem accipiebat, & quicquid ille hebraicis verbis exprimebat, hoc Hieronymus accito notario latinis verbis exponebat.* Hinc illa vitiosa exēplariũ varietas. Quid aũt si ille *loquax* Tobiæ mentem non fideliter expreßit? quid verò si quædam addidit, quædam detraxit? Quod sanè factum esse docet illa portentosa varietas, & frequens contradictio. Exstant nunc quidem duæ Hebraicæ editiones, sed quas *ab audaculis hominibus, & neque de Hebræa lingua, neq; de Ecclesia benè merentibus scriptas esse spondet Franciscus Iunius.* Cùm igitur totus liber vitiosus sit, & sibiipsi contradicat, cùm deniq; multa vana in eo doceantur, & cùm ille tempore Iudaicæ, & primitiuæ Ecclesiæ non fuerit in canone, manifestum est eum nunc in canone esse non posse. Nos concludimus *eum receptum esse ab Ecclesia, vt ad morũ informationem in ea legatur; tamen eius auctoritatem ad probandum ea, quæ in contentionem veniunt, minus idoneam reputari*, vt dicit Hieronym. in Prolog. super Iudith, & in Prolog. super parabol. Salomon. Lyra in præf. ad Tobiam.

CAPVT X.

Iudith non eße principium, neque regulam Christianorum dogmatum.

TObiam sequitur Iudith. Hâc Bellarminus dicit esse Regulam Christianorum dogmatum. nos negamus. Ille probat suam sententiam duobus argumentis. Primum, Quia Nicena Synodus eam canonicam esse dicit.

Quē librū Nicena Synodus ita in sanctis Scripturæ libris numerat, vt sit idoneus ad fidei dogmata cōprobāda, ille est canonic⁹. Sed Iudith est ille liber, quē Nicena Synodus, teste Hieronymo ita in sanctis &c. Ergo Iudith est canonica.

Respondeo in Maiore esse fallaciam à non caussa vt caussa. Nulla enim Synodus habet auctoritatem ex libro non canonico faciendi canonicum, vt antè ostendimus. Quam ob caussā si Iudith ante non fuit canonica, tum propter Nicenæ Synodi auctoritatem canonica fieri non potest. Minorem dico esse manifestè falsam. Nullum enim verbum apud Hieronymum de ea re exstat. Verùm quoniam Bellarminus Minorem probat, audiamus ipsius probationem. *Hieronymus*, inquit, Præfat. ad Iudith, *asserit Iudith apud Hebræos censeri in libris sanctis. Deinde Nicena Synodus teste Hieronymo, ita retulit librum Iudith in numerum sacrorum librorum, vt eum censuerit idoneum esse ad fidei dogmata cōfirmanda*. Hîc duo dicit Bellarminus. Vnum *Hebræos numerare Iudith in sanctis libris*. Alterum, *Nicenam Synodum, teste Hieronymo, ita retulisse Iudith in numerum sanctorum librorum, vt censuerit eum idoneum esse ad fidei dogmata comprobandā*. Ad primum respondeo esse mendum descriptoris. Aliqui enim libri legunt *hagiographa*, alij *apocrypha*. Hoc testantur ipsi papistici doctores. Brito in pręfat, Hieronymi ad

Iudith

Iudith: *Hic liber*, inquit, *apud Hebræos inter apocrypha computatur. Quod dicit Hieronymus in Prologo, qui inchoat. Viginti & duas litteras. Si ergo in prologo super Iudith alicubi legitur, inter Hagiographa, vitium scriptoris est, hucusque verba Magistri*. cum hoc testimonio consentit auctor glossæ ordinariæ in Præfat. Hieronymi ad Tobiam; *alia littera*, inquiēs, *habet apocrypha, quod est melius, quia Hieronymus in Prologo Galeato, enumerans libros canonicos, inter quos iste non est, refert quicquid extra hos est, inter apocryha esse computatum*. Quin ipse Hieronymus disertè negat Iudith inter hagiographa numerari. In Prologo enim Galeato dicit *tantùm nouem libros esse hagiographos*. Idem docet Glossa ordinaria *in Præfat. Hierony. ad Tob.* Sed Iudith non est inter illos nouem. Deinde Hieronymus in eadem prefatione reijcit Iudith inter *apocrypha*. Si igitur hoc loco eum numeraret inter hagiographa, tum contradiceret sibiipsi. Prætereà Iudęi asserunt se tantū viginti duos libros sanctos habere. Testis Iosephus *lib. 1. cont. Appion*. In ijs autem non est Iudith. Manifestum igitur Iudith ab hebræis in sanctis libris non numerari. Si tamen Bellarminus istam vocem *Hagiographa* pertinaciter vrserit, respondebo cum glossa ordinaria in præfationem Hieronymi ad Tobiam, *eum potius & verius dixisse inter apocrypha, vel largè accipere hagiographa, quasi sanctorum scripta, & ita non esse de numero illorum nouem, quæ propriè dicuntur hagiographa*. Vnde apparet duplex esse hagiographū, vnum propriè, alterum impropriè dictum, illud est simpliciter sanctum, & ob eam caussam idoneum ad fidei dogmata confirmanda, hoc tantùm κατά τι sanctum est,

 ac

ac proinde ad fidei dogmata confirmanda non idoneum. Hoc ipsum & Bellarminus innuere videtur, de verb. Dei lib. 1. cap. 12. *Dicit enim Iudith numerari in sanctis libris, qui tamen non sint idonei ad fidei dogmata confirmanda.* plura vide capite quinto. Aliquod igitur sanctum non est idoneum ad fidei dogmata confirmanda. Atque hæc de primo membro. Alterum membrum est prorsus falsum. In tota enim præfatione Hieronymi ne verbum quidem de ea re exstat, Et nisi Bellarminus testimonium hoc in ista præfatione ostenderit, manifestum est eum falsa allegare. Deinde Hieronymus in Prologo Galeato dicit, *Iudith inter Apocrypha ponendam esse.* Ibidem dicit *eam non esse in canone.* Contradiceret igitur manifestè sibi ipsi Hieronymus, si verum allegaret Bellarminus. Prætereà idem Hieronymus in præfat. ad libros Salom. dicit *Ecclesiam quidem legere Iudith: sed eam inter canonicas scripturas non recipere.* Aut igitur errat Ecclesia, dum librum à Nicena Synodo approbatum non recipit: aut falsum allegat Bellarminus, dum hoc Nicenæ synodo tribuit. Imò non solùm Hieronymus asserit Iudith ab Ecclesia inter canonicas scripturas non recipi: Sed omnes reliqui patres, qui canonem Ecclesiasticum conscripserunt, vt Athanasius *in Synopsi*, Cyprianus *in Symbolo*, Nazianzenus *in carminibus de genuinis S. scripturæ libris* idem testantur. Cum hoc testimonio congruit Brito & glossa ordinaria in *Præfat. Hieronymi ad Tobiam & Iudith*, quemadmodum antè ostendimus. Aut igitur concilium Nicenum pugnat cum Ecclesia, aut fuit ab Ecclesia repudiatum, aut deniq; non dixit Iudith esse canonicam

nicam. Sed quid ego hæc diſputo? manifeſtum eſt Hieronymũ hoc non ſcripſiſſe. Et vt hoc rectiùs intelligatur, adſcribam ipſa Hieronymi verba, Præfat. ad Iudith. *Cuius*, loquitur Hieronymus de Iudith, *auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicena in numero ſanctarum ſcripturarum legitur computaſſe, acquieui poſtulationi veſtræ, imò exactioni. & ſepoſitis occupationibus, quibus vehemẽter artabar, huic vnam lucubratiunculam dedi, magis ſenſum è ſenſu, quàm verbum ex verbo transferens.* Ex his verbis liquidè apparet, Hieronymum non dicere concilium Nicenum ita referre Iudith in numerũ ſanctarum ſcripturarũ, vt eam cenſuerit idoneã eſſe ad fidei dogmata confirmanda. ſed ſimpliciter dicere Nicenam Synodum computaſſe Iudith in numerum ſanctarum ſcripturarum. At hæc duo, nempe computari in numero ſanctarum ſcripturarum, & ita computari in numero ſanctarum ſcripturarum, vt idoneum cenſeatur ad fidei dogmata comprobanda, longè differunt. Vnũ enim dixit Hieronymus, Alterum non dixit. Deinde vnum eſt verum, alterum non eſt verum. Liber enim aliquis dupliciter computatur in numero ſanctarum ſcripturarum: vel quod idem eſt, libri ſancti ſunt duplices, alij propriè, alij impropriè ſic dicti. Illi ſunt idonei ad fidei dogmata comprobanda: Hi non ſunt, vt ſuprà ex Britone & Gloſſa ordinaria probatũ eſt. Iudith autem impropriè ſancta eſt. Poteſt enim *in Eccleſia legi: ſed ad ea, quæ in cõtentionem veniunt, probanda, non eſt idonea.* Hoc docet Hieronymus in Prologo Galeato: negat enim *eam eſſe in cano-*

ne. Si non est in canone, quomodo potest rerum controuersarum canon esse. Et vt omnis tergiuersandi materia tollatur, Hieronymus dicit Præfat. ad lib.Salom.*Iudith legere quidem Ecclesiam, sed in numero canonicarum scripturarum non recipere*. Idem docent Athanasius, Cyprianus, Nazianzenus & alij, quemadmodú suprà ostendimus. Potest igitur Iudith inter sanctos libros censeri, & tamẽ non esse canonica. Deinde Hieronymus non dicit Iudith ideo esse idoneam ad fidei dogmata confirmanda, quod sit à Nicena Synodo in numero sanctorum librorum computata; sed dicit *se eam ideo vertisse*, quòd Nicena Synodus eam in numero sanctorum librorum computauerit. Manifestum igitur Nicenam synodum ab Hieronymo non vt caussam authenticæ auctoritatis, sed tantùm vt caussam suæ versionis allegari, ac proinde falsum adduci à Bellarmino, & per consequens Iudith non esse canonicam.

Secundum Argumentum, Quia Iunilius Africanus, & Isidorus dicunt hunc librum censeri ab Ecclesia inter diuinos libros. Sed ad hoc argumentum respondimus cap. 8. Atq; hæc sunt Bellarmini argumenta, quibus Iudith esse canonicam asserere conatus est. nunc immotis rationibus ostendam eam non esse canonicam. Primum argumentum, quia non est in canone Hebræo. Testis Iosephus lib. 1. *cont. Appion. & Eusebius lib. 3. cap. 10. Eccles. Hist.* Secundum Argum. Quia tempore primitiuæ Ecclesiæ non fuit in canone Christiano. Testis Hieronymus *in Prologo Galeato*, Cyprianus *in Symbolo*, Nazianzenus *in carminibus de genuinis S. Scripturæ libris*. Epipha-

phanius *Hæresi sexta*, *& in libro de Ponderibus*. Brito & Glossa ordinaria *in Præfat. Hieronymi ad Iudith, & ad Tobiam*. Tertium argumentum, Quia Iudith tempore Hieronymi fuit corrupta & deprauata. Hoc docet Hieronymus in Prologo ad Iudith. *Multorum*, inquiens, *codicum varietatē vitiosissimā amputaui*. Ad hāc Præfationem inquit Brito, *dupliciter ostendi hūc librū non esse authenticum, primò quòd apud Hebræos est apocryphus, secundò quòd apud Chaldæos erat corruptus*. Hæc vitiosa varietas lectores adhuc torquet. Exstant enim duæ Versiones, vna Latina vulgata, altera Complutensis græca. Quæ ita dissentiunt, vt sæpè quatuor & quinque integræ periodi inueniantur, quæ vel in hac, vel in illa non exstant. Exemplum vnum, atque alterum annotabo. Capite primo post versum duodecimum legitur in Complutensi: *Anno autem decimoseptimo aciem cum omnibus suis copijs aduersus Arphaxadem instruxit, atque eū bello superauit, omnemque potentiam, equitatum, omnésque eius currus euertit. Atque vrbibus eius potitus vsque ad Egbatana peruenit: captísque vrbis turribus, plateisq; peruastatis, decus eius ad opprobrium redegit. Ipsum autem Arphaxadem in montibus Ragan assecutus, iaculis confixit suis, eúmque prorsus eo die perdidit. His rebus gestis ipse cum omni turba suorum, & maxima bellicosorum virorum multitudine Niniuem reuersus, otia ibi conuiuiáque cum exercitu per dies centum & viginti agitauit*. Hæc omnia in vulgata editione desunt. Capite secundo post versum decimum quintum legitur in complutensi; *Illic denunciabis, vt aquas & terras præparent mihi, qui in furore meo sum eos invasurus, omnéque solum terræ pedibus copiarum*

arum mearum operturus, quibus ipsos daturus sum diripiendos: ita vt saucy valles & torrentes impleat, effusaq; redundent præ cadaueribus flumina: tum autem me captiuos ex ipsis ad vltimas quasq; terras abducturum. Tu autem prægressus, mihi praoccupabis omnes ipsorum fines, eosq; tibi deditos mihi in diem redargutionis asseruabis. Hæc in vulgata Latina desunt. Capite quarto post versum decimum legimus in Complutensi. *Exaudiuit itaque Deus precationem eorum, afflictionemque respexit. porrò populus per totam Iudæam, ac Hierosolymam complures dies ante sanctuaria omnipotẽtis domini ieiunia suscipiebat.* Hęc in vulgata Latina desunt. Eodem capite post versum decimum legimus in vulgata Latina, *Tunc Eliacim sacerdos domini magnus circuiuit omnem Israel, allocutusq; est eos dicens, Scitote quoniam exaudiet Deus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiunijs, & orationibus in conspectu domini. Memores estote Moysi serui domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, & in potentia sua, & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus orando deiecit. Sic erunt vniuersi hostes Israël, si perseueraueritis in hoc opere, quod cœpistis. Ad hanc igitur exhortationem eius deprecantes permanebant in conspectu Domini.* Hæc omnia in Complutensi desunt. Capite quinto post versum decimum quartum in vulgata Latina legimus. *Illinc fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cœlo cõsequuti sunt. Vbicunq; ingressi sunt, sine arcu & sagitta, & absq; scuto & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit. Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui. Quotiescunq; autem præter ipsum*

ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium & in opprobrium. Quotiescunq; autem pœnituerunt se recessisse à cultu Dei sui, dedit eis Deus virtutem resistendi. Hæc omnia in Complutensi desunt. Capite septimo post versum nonum legimus in Complutensi: *Nos autem cum populo nostro in propinquos montium vertices ascendemus, ibi vallum faciemus præsidio futurum, ne quis vrbe egrediatur. Ita ipsi vxoresq; ipsorum ac liberi fame tabescent, & antequam gladius in eos sæuiat, in domesticis plateis interibunt, tuq; ita rependes vicem ipsis perniciosam, eo quòd seditionem moliti sunt, nec placidè tibi ad tuum nutum obsequuti.* Hæc omnia in vulgata Latina desunt. Eodem capite post versum decimum in Complutensi legimus: *Filij autem Esau & Ammonitæ in regionem montanam ascenderūt, castraq; locauerunt è regione Dothaim. Porrò partem suorum miserunt ad Austrum & Subsolanum aduersus Ecrebel iuxta Chusi, quæ super torrentem Mochmur sita est: reliquus Assyriorum exercitus in campo castra habuit, totamq; terræ faciem operuit, vt cuius tentoria atq; impedimenta multitudine latißimè paterent. Filij autem Israël clamabant ad Dominum deum ipsorum collapsi animis, quòd ab hostibus conclusi essent, nec haberent è medio ipsorum effugium.* Hæc omnia in vulgata Latina desunt. Eodem capite post versum decimum octauum legimus in vulgata Latina, *Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus. Tu quia pius es, miserere nostri: aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te populo, qui ignorat te. Vt non dicant inter gentes, vbi est Deus ipsorum? Et cùm fatigati his clamoribus & his fletibus lassati siluissent.* Hæc

omnia

omnia in Complutensi desunt. Deinde hæ duæ Versiones ex diametro pugnant. Vulgata enim dicit Nabuchodonosarem anno *decimo tertio* consilium cepisse de toto orbe subiugãdo, at Cõplutẽsis Græca dicit hoc factũ esse anno *decimo octauo. Cap. 2, 1.* Deinde vulgata dicit fõtes fuisse *vigĩti dies* obsessos: Cõplutẽsis verò dicit fuisse *trigĩta quatuor dies* obsessos *Cap. 7, 10.* Præterea qui duas istas editiones diligẽter inter se conferet, ille videbit vix vnam periodum esse, in qua hæ duæ versiones per omnia conueniũt. Cùm igitur totus liber ita corruptus sit, manifestum est eum incorruptæ, & indubitatæ doctrinæ regulam esse non posse. Quartum Argumentum, Quia oratio Iudith ad Holofernem *cap. 11, 4. & cap. 12. 18.* eius item periuria & falsæ obtestationes non valde conueniunt viduæ sanctæ, qualis Iudith esse fingitur. Quintum Argumentum, Quia hic liber pugnat cum ijs, qui citra controuersiam canonici sunt. Capite enim nono, versu secundo dicit *Deum dedisse Simeoni gladiũ ad vlciscendum alienigenas.* Sed Spiritus Sanctus per Iacobum apud Mosen *Libro 1. cap. 49, v. 5. & 6.* factum illud improbat, & detestatur. Neq; hic audiendus est Lyra, qui *zelum probat, factum improbat.* Fecerunt enim contra fœdus & iusiurandum, imò contra voluntatem Dei; at talis zelus nunquam laudabilis esse potest. Sextum Argumentum. Quia nullum seculum nominari potest, quo hæc historia contigerit. Cùm igitur Iudith non sit in Canone Hebræo, & tempore primitiuæ Ecclesiæ non fuerit in canone christiano, cùm denique liber sit corruptus, & pugnet cum sacra scriptura, neq; commodum tempus nominari

possit

possit,quo contigerit,sequitur eam non esse canonicam.Sed hîc non possum satis mirari ingenium Bellarmini. Reijcit enim opinionem Driedonis,Genebrardi, Mercatoris, imò veterum & recentium omnium; neque tamen affert meliorem. Asserit hanc historiam contigisse sub Manasse,neq; audet definire,an sub eius captiuitate,an post eam contigerit.verùm nos ostendemus eam sub Manasse non contigisse. deinde patefaciemus falsitatem rationum,quibus in hanc opinionem adductus esse videtur. Ac primum Holofernes ex Ammonitis & Moabitis discit, quinam sit hebræorum populus. Cap.enim.5.vers. 2,*Significate*,inquit Holofernes, *quisnam sit populus ille montanam regionem insidens. quas habitet vrbes, quantus copiarum eius numerus, in quo potentia eius, virésque consistant, quisnam rex, aut militiæ dux est constitutus?* Vnde apparet Iudæos eo tempore Babylonijs ignotos fuisse.At tempore Manassis Iudæi Babylonijs ignoti non erant. Hierosolyma enim erat à Babylonijs capta,& Manasses Babyloniam abductus.Deinde Iudith conqueritur cap.5 vers. 22. *templum solo æquatum esse.*At tempore Manassis templum non fuit solo æquatum.Ad hoc respondet Bellarminus,librũ esse corruptum. Sed si ad quaslibet difficultates respondere licebit, librum esse corruptum: tum nihil erit tam difficile, quod hac vna responsione soluere non possimus. Deinde Augustinus,Eusebius,Beda & alij, teste Bellarmino,propter hanc caussam, istam historiam reiecerunt ad captiuitatem Babylonicam. Illorũ igitur libri cum græco fuerunt consentientes. Prætereà si nos ita tractarem⁹ bonos auctores,quem-

admodum papistas facere *index purgatorius* ostendit: tum posset quis cogitare librum corruptum esse. Huc accedit Israëlitas tempore Iudith fuisse cum Iudæis fœdere, & amicitia iunctos, imò Israëlitas vel Samaritanos eo tempore paruisse Iudæis. Capite enim 4. vers. 3. *Hierosolymitani in omnes vicos ac fines Samariæ & Bethoron, & Belmen, & Iericho, & Choba, atque Esora vallémque Salem dimiserunt; qui excelsa omnium montium iuga præoccuparent, Vicos ibi muris includerent, frumentumq; in belli apparatum reconderent. Pontifex etiam Ioacim, qui eo tempore Ierosolymis erat, scripsit ad incolas Betuliæ, ac Betmestham, iubens, vt insiderent montium accessus, quibus introitus in Iudæam pateret. Fecerunt item filij Israël, quemadmodum constituerat ipsis summus sacerdos Ioacim, senatusq; vniuersi populi Israël, qui Hierosolymæ consederant.* Manifestum igitur vel Samaritanos eo tempore Iudæis paruisse, vel cum ijs summa necessitudine & fœdere iunctos fuisse. At sacra historia docet Israëlitas, Iam ante ætatem Manassis à Rege Assyriorum in captiuitatem, & miserrimam seruitutem fuisse abductos, & in multas regiones dispersos. Samariam aũt colonis Babylonijs, & Hamateis fuisse habitatam, *2, Reg. 17, 24*, qui oẽs fuerũt idololatræ, & adiunctis postea nonnullis sacerdotibus religionem veram cum idololatria miscuerunt. *2. Reg. 17, 27*. Ab eo tempore cõstat Samaritanos fuisse Iudæis infestos & execrabiles, tantum abest, vt vel ijs paruerint, vel cũ ijs fœdere iuncti fuerint, vel deniq; eos contra regem suum defẽdere voluerint. Deinde tempore Manassis Iudæi fuerũt idololatria polluti. Fecit *n. Manasse rex Iuda abominationes faciendo peiora, quam fuerint*

rint omnia, quæ fecerunt Emoræi, & peccare fecit Iuda in idolis suis. Quamobrem Deus minatur se velle *super Ierusalaim lineam Someron extendere*, hoc est, Iudæam eodem modo perdere, quo Samariam iam antè perdiderat. Samaritani verò, vt scriptura inquit 2. Regũ 17. vers. 30. *fecerunt Succhot Benoth, Nergal, Asima, Nibhaz, Thartac, & cõburebant filios suos igni ipsi Adramelech & Anamelech dijs Sepharuæorum*. At temporo Iudith neque Iudæi, neque Samaritani se Idolatria polluerunt. *Nostra enim*, inquit Iudith, *ætate, non extitit, neq; est hodie tribus, aut familia, aut populus, aut ciuitas e nobis, quæ deos adoret manufactos*. Postremò si hæc historia contigit sub Manasse, tum vel antè captiuitatem ipsius, vel sub ea, vel post eam contigit. Ante non contigit, nisi vel historia sacra, quæ *2. regum cap. 17. & 21*. totam Iudæam & Samariam idololatria pollutam esse queritur, vel historia Iudith, quæ *cap. 8 vers. 17*. nullam tribum alienos Deos colere contendit, falsa esse dicatur. Sed historia sacra fallere non potest. Ergo aut Iudith errat, aut hæc res ante Manassis captiuitatem non contigit. Sub eius captiuitate etiam non contigit. Manasses enim tum, & omnes Iudęi cum illo Idololatrię pœnas luebant. At Iudith dicit neminem se sua ętate Idololatria polluisse. Deinde si hæc historia contigit sub eius captiuitate, quis crediderit regem Assyriorum tanta fuisse patiētia. vt accepta à Iudęis, quibus erat infensissimus, tanta clade & ignominia, nihilominus Manassem regem eorum, quem habebat in vinculis, tam liberaliter dimiserit, & in regnum restituerit; Aut igitur historia Iudith falsa est, aut nõ contigit sub Ma-

naſſis captiuitate. Sed neque poſt eius captiuitatem contigit. Incredibile enim eſt Manaſſem tam liberaliter dimiſſum, tanti beneficij tam ſubitò oblitum fuiſſe,& populum contra regem incitaſſe,atque iterum regis victoris vires experiri voluiſſe. Deinde Iudith dicit *Iudæos non ſequutos eſſe peccata patrum ſuorum, & ſua ætate nullam tribum, neque familiam ſe idololatria polluiſſe*, cap.8.verſ.18. At ne tum quidem cùm Manaſſes dimiſſus eſſet, Iudæi Deum purè coluerũt. Spiritus enim ſanctus conqueritur, 2.Paralip.33.ver. 17.*populum adhuc immolaſſe in excelſis*. Et paulò poſt dicit: *Amon immolaſſe cunctis ſculptilibus, quæ fecit Manaſſe pater eius*. Vnde apparet verum Dei cultum ante Ioſiæ ætatem in Iudæa non fuiſse purè reſtitutum. In Samaria verò omnes Babylonij coloni Deos patrios colebant, vt ſuprà ex *2.Regum cap.17.verſ.30.* probaui,& ſi qui ex Iſraële relicti fuerunt, illi ſe etiã ad gentilium Deorum cultũ conuerterunt, vt ex eodem capite oſtẽdi poteſt. Sequitur igitur vel ſacram Scripturam, vel Iudith errare, vel hãc hiſtoriam poſt Manaſsis captiuitatem non contigiſse. Sed ſacra Scriptura errare nõ poteſt. Ergo vel Iudith errat, vel hęc hiſtoria non contigit poſt Manaſsis captiuitatem. Deniq; tempore Iudith ſummus ſacerdos fuit Eliacim, quem & Ioachim eſse volunt. At tempore Manaſsis ſummus ſacerdos non fuit Eliacim. Ioſephus enim lib.10.cap. 11. recenſet ſummos pontifices, qui ante captiuitatem Babylonicam vixerunt. Sed Eliacim non meminit. Deinde inter Ezechiam & Ioſiã, quo tempore Manaſses vixit, ſummi ſacerdotes fuerunt *Neri, Ioas, Selam & Chelcias*, Teſtis Nicephorus

lib.2.cap.4. Deniq; Eliacim succeſsit Ieſu filio Ioſedech, vt docet Lyra *in cap. 4. Iudith*, & Nicephorus *loco ſuprà citato.* At filius Ioſedech fuit poſt captiuitatem. fuit enim inter eos, qui altare Dei ædificarunt, Eſd.3,2. Ergò eius ſucceſsor tempore Manaſsis eſse non potuit. Poſtremò res ipſa hoc loquitur. Spiritus enim ſanctus Ezechiæ liberationem tam ſæpè & tã graphicè deſcribit, & hanc, quæ nullo modo minor cenſeri poteſt, ꝑpetuo ſilẽtio præteriret? Niſi igitur Bellarminus tempus magis idoneum excogitauerit, ſequetur hanc hiſtoriam ne vnquam quidem geſtam fuiſſe. Ob hanc cauſsam ſemper mihi placuit eorum Iudicium, qui hunc librum piam Tragędiam eſse pronunciant. Nunc expendemus rationes, quibus Bellarminus motus, aliorum Theologorum iudicium repudiarit, & hanc hiſtoriam tempore Manaſsis accidiſse aſseruerit. Prima ratio quia *cap.4.ver. 2. fit mentio templi Domini.* At tempore Manaſsis, inquit Bellarminus ſtetit Templum Domini. Ergo hæc hiſtoria contigit tempore Manaſsis. Ridiculum eſt hoc argumentum. Nam & reliquorum regum, quiante Manaſsem vixerunt, ætate ſtetit templum Domini. Nihil igitur ſequitur ex hoc argumento. Deinde Gloſsa ordinaria dicit *ea falſa videri, & propterea Iudeos non recipere hũc librum.* Neq; habet, quod hic comminiſcatur, *niſi templum Domini, per ſynecdochen accipiatur pro altari Domini*, diſertè enim fatetur templum Domini eo tempore non fuiſse reædificatum. Deinde cap.5.vers.22. legimus Templum Dei eſse *ſolo æquatum.* Neque eſt, quod quis regerat, librũ eſse corruptum. Complutenſis enim liber, Antuer-

pianus Regius, argentinensis & Aldinus vnanimiter legunt καὶ ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος. Deinde quomodo probabit Bellarminus quintum caput magis corruptum esse, quàm quartum? Quod de Hieronymi versione dicit, nihil est. Libro enim secundo ostendemus hanc versionem non esse Hieronymi, & si maximè Hieronymi esset, hoc tamen non iuuaret caussam Bellarmini. Libri enim Iudith Hieronymi ætate fuerunt valdè corrupti, vt antè ostendi, quin ipse Hieronymus fatetur, se non magnam diligentiam in eo vertendo posuisse, *huic vnam*, inquiens, *lucubratiunculam dedi magis sensum ex sensu, q̃ ex verbo verbum transferens. Multorum codicum varietatem vitiosissimam amputaui. sola ea, quæ intelligentia integra in verbis chaldæis inuenire potui, Latinis expressi.* Vnde apparet ab Hieronymo firmum argumentum in hac re afferri non posse, & per consequens incertum esse, an hæc historia tempore Manassis contigerit. Secunda ratio, quia summus pontifex, qui tempore Iudith vixit vocatur Eliacim. Et tẽpore Manassis, inquit Bellarminus est summus sacerdos vocatus, Eliacim. Ergo hęc historia contigit tẽpore Manassis. Sed hoc falsum est. Tempore enim Manassis summus sacerdos non fuit Eliacim. Inter Ezechiam enim & Iosiam, quo tẽpore Manasses vixit, summi sacerdotes fuerunt *Neri, Ioas Selam & Chelcias.* Testis Nicephorus *lib. 2. ca. 4.* Eliacim verò, quẽ aliq. Ioacim vocant, successit Iesu filio Iosedec, vt docet Lyra *in quartũ caput Iudith*, & Nicephorus *loco suprà citato.* Iesus aũt filius Iosedec fuit longo tempore post Manassẽ. Vnde apparet & eius successorẽ Eliacim post Manassem fuisse.

isse. Quod aũt Bellarminus dicit, Nicephorum *inter Sobnam*, qui fuit tẽpore Ezechiæ,& *inter Chelciam*, qui fuit tẽpore Iosiæ, ponere *Eliacim*. Hoc falsũ est. Sobnæ.n. nequidẽ mentionem facit. Deinde inter Ezechiã & Iosiã nõ ponit Eliacim. sed eos quatuor, quos paulo antè numeraui. Eliacim verò reijcit post captiuitatẽ Babylonicã, dicit.n. eum Iesu Iosedec successisse. Huius rationis falsitatẽ videns Bellarminus, adiungit aliã, et dicit tempore Ezechiæ fuisse Sobnam, eiq; ex Dei mãdato ab officio remoto, successisse Eliacim, idq; probat ex *4. Lib. Reg. ca. 18. et. ex Esaia cap. 22.* Sed quid hoc ad rem Bellarmine? Eliacim n. cuius in quarto capite Iudith mentio fit, est summus sacerdos, Sobna verò nõ est summus sacerdos, sed *scriba*, vt 2. Reg. 18. v. 2. scriptum est, vel *Thesaurarius*, vt docet Esaias cap. 22. vers. 15. Si igitur Eliacim Sobnæ successit, sequitur eum non summũ sacerdotem, sed vel scribam, vel thesaurarium fuisse. Deinde scriptura disertè dicit Eliacim fuisse non summum sacerdotem, sed *præpositum domus*, græca versio dicit fuisse *οἰκονόμον*, *2. Regum 19. vers. 2.* Et ne putes eum prius fuisse præpositum domus, & deinde factum esse pontificem, docet Esaias eum tum demum domui regiæ præfectum esse, cùm in locum Sobnæ constitueretur. Dicit enim 22. vers. 15. Sobnam fuisse *thesaurarium*, nempe domus præfectum, eumque loco motum, & Eliacim eius potestate, vel vt Græcus vertit, eius *οἰκονομίᾳ* donatum esse, h.e. eius loco thesaurarium, vel domus præfectum fuisse. Versu deinde vicesimo secundo eiusdem capitis *ponam*, inquit, *clauem domus David super humerũ eius*. Hoc est,

vt interpretatur Pagninus, *donabo illum consilio, quo totam aulam Ezechiæ possit regere.* Manifestũ igitur Eliacim non ecclesiasticum, sed politicum officium administrasse, & ob eam caussam Eliacim, cuius Ezaias, & historia Regum meminit, non est ille, cuius quarto capite Iudith mentio fit, ob eandem caussam incertum est, an Iudith tempore Manasſis fuerit. Tertia ratio. *Quia illud longum tempus pacis, cuius in Iudith mentio fit, sub Manasſis imperio inueniri potest.* Sed & hoc est falsum. Cap. enim 16. vers. 30. scriptum est, *Non exstitit autem in vita Iudith, nec post mortem quidem eius, multis temporibus, qui Israëlitis terrorem vllum afferret.* Hæc *multa tempora* definiamus esse triginta annos, qui tamen exiguum tempus sunt. Vnde sequeretur triginta annis post mortem Iudith altam pacem in Israële fuisse. Deinde cùm Iudith Holophernem occideret, erat *venusta forma, aspectuq; perpulchra cap. 8, 7.* Vnde credibile est, eam tum tricesimum ętatis annum nondum superasse. Porro cap. 16. v. 28. dicit græca editio *eam vixisse centum & quinque annos,* vulgata autem dicit, *eam mansisse in domo viri sui centum & quinque annos,* quę lectio si vera est, vixit Iudith ad minimũ centũ triginta annos, sed nos sequemur numerũ minorem, dẽptis igitur ijs annis, quos antè hoc factũ transegit, & adiectis istis, quibus post eius mortem pax fuit in Israële, sequitur centum annos & amplius in Israële pacem fuisse. Sed à liberatione Manasſis tam longo tempore pax in Israële non fuit. Imò post liberationem Manasſis Israël vel à seruitute, vel à bello nunquam liber fuit. Nam cùm Deus Manasſi minaretur exitium, dicit se velle *line-*

am

am Someron super Iudæam extendere, vt suprà ostendi. Esaias addit Deum ita velle *atterere Ephraim, ne sit populus*, cap. 7. vers. 8. Doceat Bellarminus, quando, & per quem Samaria sit in libertatem vindicata? Quod ad tribum Iudæ attinet, illa post Manasßis liberationem aliquandiu pacem habuit, sed hoc nihil facit ad rem, Iudith enim loquitur de *vniuerso Israële*, & non de vna tribu tantùm. Capite enim octauo, vers. 17. dicit, *nulla tribus, nulla familia, aut populus, aut domus ex nobis*, etc. Ex summa etiam ista coniūctione, quam inter Israëlem & Iudam eo tempore fuisse docui, patet eam de vniuerso populo loqui. Etsi igitur eo tempore in Iudæa aliqua pax fuerit, tamen propter reliquarum tribuum calamitatem, non rectè dixeris, neminem tum fuisse, qui Israëlitis terrorem afferret. Deinde non facilè definieris, quàm longa ista pax in Iuda post Manasßis liberationem fuerit. In sacra enim historia scriptum non est, quando Manasses captus sit, neque quicquam nisi ex incertis conjecturis de ea re afferri potest. Funcius notat istam captiuitatem incidisse in annum Manasßis *quadragesimum primum*. Bellarminus dicit eam incidisse in annum Manasßis *decimum sextum* lib. 1. cap. 12. Melanchthon addit eū *decem annos in ista captiuitate detentum esse*. Alij aliud affirmant. Nos sequemur opinionem Bellarmini, ad istos verò sedecim annos, si illos decem, quibus in carcere fuit, addideris, erunt 26. supersūt de imperio Manasßis viginti noue, regnauit enim ānos 55. Ad istos 29. adde 2. ānos Amō, post Amō regnauit Iosias. Hic regnauit ānos triginta vnū. In fine regni Iosię Iuda turbatus est, & in ijs turbis Iosias perijt, *2. Regum*

23. verſ. 29. Hos omnes ſi collegeris, habebis annos ſexaginta duos, quibus in Iuda pacem fuiſſe probabiliter dixeris: at tempore Iudith longior pax fuit, quemadmodum antè oſtenſum eſt. Aut igitur Scriptura, aut hiſtoria Iudith falſa eſt. Sed hiſtoria regum falſa eſſe non poteſt, hiſtoria igitur Iudith falſa eſt, aut non contigit poſt Manaſsis liberationem. Et vt omnia in pauca contraham. Cum templum tempore Iudith fuerit Solo æquatum, tempore verò Manaſſis non fuerit Solo æquatum. Et cum Eliacim tempore Iudith fuerit ſummus ſacerdos, tempore verò Manaſsis ſummus ſacerdos non fuerit Eliacim; cum deniq; tẽpore Iudith pax in Iſraële fuerit 100. annis. & amplius, tempore verò Manaſsis nulla pax fuerit in Iſraël; in Iuda etiam non niſi ſexaginta duobus annis, aut circiter pax fuerit: ſequitur hiſtoriam Iudith tempore Manaſsis non contigiſſe, Et ſi cauſſa iſtius opinionis falſa eſt. tum ipſam opinionem, quæ ex ea colligitur, falſã eſſe neceſſe eſt. Pronuncio igitur cum Hieronymo in præfatione ad libros Salomonis, *Hunc librum* (loquitur de Iudith) *à plebe ad ædificationem legi poſſe: ſed non cenſeri ab Eccleſia inter ſcripturas Canonicas.*

CAPVT XI.

Sapientiam non eſſe principium aut regulam Chriſtianorum dogmatum.

Hactenus oſtendimus librum Iudith non eſſe in canone, ſequitur liber Sapientię. Hunc Bellarminus canonicum eſſe dicit, nos negamus. Ille probat ſuam ſententiam 6. argumentis, quæ ordine expendemus. Primum argum. Quia *concilium Sardicenſe apud*

se apud Theodoretum lib. 2. cap. 8. ex libro Sapientiæ cap. 7. probat Christum esse verum Deum. Argum. tale.

Ex quo libro Concilium Sardicense probat Cristum esse verũ Deum, ille liber est canonicus. Sed concilium Sardicense ex libro Sapientiæ probat Christũ esse verum Deum. Ergo liber Sapientiæ est canonicus.

Respondemus Maiorem esse falsam. Clemens enim *in Stromatis* Lactant. *in Instit.* & alij ex *Sybillinis* idem, & similia probant. Neq; tamen libri *Sybillarũ Lactantij*, & *Clementis* propterea sunt canonici. Quod ad Minorem attinet, fatemur apud Theodoret: lib. 2. cap. 8. hæc verba ex Sapiẽtia cap. 7. v. 21. *Sapientia omnium me docuit*, ad Christi Deitatem probandam adducta esse. Sed quàm commodè hoc factum sit, iudicent doctiores. Equidem si non haberemus alia testimonia, quibus Christi Deitatem probaremus, essemus valde miseri. Multi sunt, qui existimant hæreticos minus pertinaces futuros fuisse, si orthodoxi hæc & similia non protulissent. Non igitur sequitur Bellarmine, Sapientiæ librum propterea esse canonicum, quod patres hoc testimonium ex eo petiuerint: Sed rectè sequitur ipsos patres pigros, & oscitantes fuisse, quod cum alia testimonia, eaq; solida essent in promptu, illi tamen ijs præteritis hæc & similia adhibuerũt. Secundum argumentum: Quia *Consilium Toletanum 11. cap. 1.* citans aliquid ex hoc libro, nominat eum *diuinam scripturam*. Sed hoc argumentum est à nobis antè refutatum. Deinde hoc concilium habitum est Anno 672. Ergo nos vrgere non potest. Dionysius item cap. 4. de Diuinis nomi-

 nibus

nibus idem facit. Sed liber iste est suppositititius, neq; vnquam à Dionysio scriptus est. Dionysius enim trucidatus est sub Domitiano. Auctor verò istius libri eod. cap. citat dictum Ignatij, ad Rom. *meus amor crucifixus est.* At Ignatius hanc epistolam, longo tempore post mortem Dionysij in itinere scripsit, cùm Romam sub Troiano ad supplicium duceretur. Testis Eusebius lib. 3. *Eccles. Hist. cap. 36.* Et Hieronymus *in Catalogo C. Ignatius.* Quomodo verò Dionysius potuerit epistolam nondum editam citare, explicet Bellarminus, qui hos suppositititios libros tam pertinaciter defendit. Tertium argumentum, Quia *Melito* apud Euseb. Eccles. Hist. cap. 26. lib. 4. *eum inter canonicos numerat.* Argumentum tale.

> Quoscunq; libros Melito inter canonicos numerat, illi sunt canonici. Sed Melito numerat librum Sapientiæ inter canonicos. Ergo liber Sapientiæ est canonicus.

Respondemus Minorem esse falsam. Melito enim loquitur non de Sapientia Philonis, sed de *Sapientia Salomonis.* Disertè n. dicit, *Salomonis Prouerbia, quæ & Sapientia.* At nos disputamus de ea Sapientia, quam ipse etiam Bellarminus non esse Salomonis fatetur. Deinde si orientalis Ecclesia (à qua Melito hoc didicit) ita iudicasset, tum Origenes, Athanasius, Laodiceni, Hieronymus, Cyrillus, & alij Orientales doctores eum ex canone non expuxissent, neq; dixissent eum ab Ecclesia reprobari. Postremò Bellarminus cap. 8. dixit Melitonem, & alios non recensere canonem Christianum, Sed canonem Hebræum. Atqui Sapientia Philonis nunquam fuit in canone hebræo

bræo. Ergo non potuit recenseri à Melitone. Causa quæ decepit Bellarminũ hæc est. Putauit Melitonem cum reliquis patribus recensere 22. *libros*, & hoc recte. Sed cum videret Hesther à Melitone prętermitti, non putauit istos *viginti duos* apud Melitonem inueniri posse, nisi *Prouerbia Salomonis*, & eius *Sapientia* in duos libros discerperētur. sed hoc malè. Melito enim *Hesther* sub alio libro comprehendebat (quod à quibusdam factum esse, docet Athanasius *in Synop.*) & librum *Iudicum* atque *Ruth*, quos nos pro vno accipimus, in duos diuisit. Hæc ad Minorem. Sed neque Maiorem admittit ipse Bellarminus. Nam si isti libri sunt canonici, quos Melito numerat, sequitur eos non esse canonicos, quos Melito præterit. At præterit *Iudith*, *Tobiã*, *Baruch*, *Ecclesiasticũ* & *Machabaicos*. Inde sequeretur eos omnes non esse Canonicos. Quartum argum. Quia Augustinus eum defēdit *lib. 2. de doctrina Christ. cap. 8*. Et *lib. 1. de Prædest. Sanctor. cap. 14*. Sed ad Augustini auctoritatem respondimus, & hoc argumentũ diluimus antè. Quintum argum. Quia *aliqui patres ex eo testimonia citant*. Et hoc argumentum est à nobis anteà refutatum. Sextum argumentum, *Quia aliqui patres putauerunt eum esse Salomonis*. At ipse Bellarminus cogitur fateri eum non esse Salomonis. Ergo non sequitur, hunc librum propter falsam quorundã patrum opinionem esse canonicum. sed istos patres errasse rectè sequitur. Hæ sunt Bellarmini rationes pro libro Sapientiæ. Nunc immotis argumentis ostendam eum non esse canonicum. Primum, Quia est originaliter scriptus grçcè. Hoc fatetur ipse Bellarminus. At nullus propheta

scripsit

scripsit grecè. Ergò hic liber non est à prophetis scriptus. Secundum argumentum. Quia eius auctor est Philo, Testis Hieronymus *in Præf. Salom.* Et Isidorus *Etymol. lib. 6. cap. 2.* Sed Philo uixit post pasionem Domini. Ergo eius liber non pertinet ad vetus Testamentum. Deinde Philo non voluit Christum recipere. Ergo eius liber non potest canonicus esse. Præterea si hic Philonis liber canonicus est: tum & reliqui eius libri canonici esse debent. Sed hoc non. Ergo neque illud. Ad hæc respondet Bellarminus, hunc librum quidem scriptum esse à Philone, verum à vetustiore quodam Philone, non autem ab eo, qui vixit tempore apostolorum. At hoc dicit absque auctore, neq; si alterius cuiusdam Philonis est, ideo est canonicus. Deinde Iosephus *lib. 1. cont. Appion.* meminit quidem alterius cuiusdem Philonis, Sed qui *Philosophus* est, & *gentilis.* At qui *philosophus* est, & *gentilis*, ille librum canonicum scribere non potest. Relinquitur igitur hunc librum non esse canonicum Tertium argument. Quia hic auctor continet quædam falsa. Argum. tale.

Qui liber continet quædam falsa. ille non est canonicus. Sed hic liber continet quædam falsa. Ergo non est canonicus.

Maiorē pono extra controuersiā. Minorē probo. Capite enim 14. vers. 15. *Acerbo* inquit, *luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem. & illū qui tunc homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cepit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia.* Ad hunc locum scribit Caluinus lib. 1. Institut. cap. 11. §. 8. *Porrò de Idolorum origine publico ferè consensu receptum est,*

quod

quod in libro Sapientiæ habetur. Primos scilicet extitisse eorum auctores, qui hunc honorem detulerunt mortuis, vt eorum memoriam superstitiosè colerent. Et sanè concedo peruersam hunc morem fuisse vetustißimum. sed non concedo hunc morem esse primum mali fontē. Idola enim iam fuisse prius in usu, quam ista in consecrandis mortuorum imaginibus ambitio (cuius apud scriptores creba fit mentio) inualuisset, constat ex Mose. Cum enim Rachelem furatam esse narrat idola sui patris, non secus ac de communi vitio loquitur. Hic Bellarminus Caluinum mendacij arguit. Primò quòd dicat ante *Rachelis Idolum non fuisse idolū humana imagine.* Secundò, quòd neget *Rachelis Idolū fuisse humana imagine.* Sed Bellarminus deprauata Caluini sententia, quam refutare non poteſt, fingit ſibi laruas, contra quas pugnet. Non enim negat ante Rachelis Idolum, fuiſſe idolum humana imagine, neque negat, Rachelis Idolū fuiſſe humana imagine. Sed negat iſtam *mortuorum* ἀποθέωσιν *esse Idolorum Originem.* Hoc probat, quia iam ætate Rachelis Idololatria fuit commune vitium. Non docet igitur ante Rachelis ætatem nullum fuiſſe Idolum humana imagine. ſed confitetur Idololatriam, Rachelis tempore commune vitium fuiſſe, imò fuiſſe eam longo tempore ante ætatem Rachel probat. *Credibile enim esse,* aſſerit. *Superstite adhuc sancto patriarcha* (intelligit Noach) *eius nepotes Idololatriæ fuiße deditos. Nam Thare & Nachor, iam ante natum Abraham, falsorum Deorum cultores erant,* vt teſtatur Ioſua *cap. 24. vers. 2.* Et *Laban iurat per Deos Nachor* Genes. 31. vers 52. Inde colligit, *cum progenies Sem tam citò desciuisset à vera religione, posteros Cham, qui erant à Noach maledicti,*

dicti, se multo citiùs Idololatria polluisse. Hęc est genuina disputatio Caluini, quam penè ijsdem verbis expressi. Iam audiamus Bellarmini ad eam respõsioné. Primùm probat תְּרָפִים *esse simulachrum humana imagine:* Deinde docet *Belum Regem Assyriorum, qui* ante ætatem Abrahæ vixit, *fuisse à Nino filio consecratum in Deum, atque illam esse primam imaginem ad adorandum propositam*, ac proinde Caluini sententiam esse falsam. Nos prius ad illud respondebimus, deinde ad hoc. Ac primum illud nihil facit ad rem. Sapientiæ enim auctor dicit, *primam imaginem filio à patre erectam esse.* At Belo non à patre, sed à filio statua posita est. Deinde si existimas Belo mortuo esse primã statuã positã, tum nihil dicis ad rem, nõ enim disputatur, cui primùm statua sit posita: sed vnde Idololatria initium sumpserit. Si verò existimas Beli simulachrum esse primum idolum, erras. *Nachor* enim *fuit falsorum deorum cultor*, Genes. cap. 31. vers. 51. & Iosu. cap. 24, 2. At Nachor est Beli coętaneus. Ergo ãte Beli ætatem fuerunt idola. Quin & *Nimrod* (ut docet Berosus lib. 4.) *furatus est rituales Iouis sacerdotes.* Ergo si eo tempore fuit sacerdos, fuerunt etiam sacra, & fuit idolum, cui ea à sacerdote fiebant. Sed primum. Ergo secundum. Ac proinde non tantum ante ętatem Beli & Nachor, sed etiã ante ætatẽ Nimrod fuerũt Idola. Quam ob caussam credibile est, *Noachum*, (vt inquit Caluinus) *cũ dolore vidisse terrã Idolis fœdari.* Sed quænam ista idola prima fuerint, quę publicè ad adorandum fuerunt proposita, non satis constat, nisi quod constat, non fuisse humanam imaginem. Lactantius lib. 2. cap. 14. *At ille, profugus* (loquitur de Chamo)

consedit

consedit in ea terra parte, qua nunc Arabia vocatur, eaq; terra de nomine suo Chanaam vocata est. Eius posteri orbem totum repleverunt, & à stirpe sancta radicis auulsi nouos sibi mores ac instituta pro arbitrio cōdiderunt. Sed oīm primi, qui Ægyptum occuparūt, cœlestia suspicere, & adorare coperunt. Et paulò post in eodem cap. *Cateri aūt qui per terram, dispersi fuerunt, admirantes elementa mundi, calū, solem, terrā, mare sine vllis imaginib. ac templis venerabātur, et his sacrificia in aperto celebrabāt, donec pceßu temporis potentißimis regib. templa & simulachra fecerunt, eáq; victimis colere & odorib. instituerūt. Sic aberrātes à noticia Dei gentes esse caperūt.* Euseb. etiā li. 1, c. 6. de Præparat. Euangel. docet *priscos nō coluisse idola, sed Solē & Lunā.* Quæ si vera sunt, sequitur Caluini, nō sapiētiæ sentētiam veram esse. Secūda ratio est, quia תרפים significāt *imaginem humanam.* Sed hoc nihil facit ad rem, neque hoc negat Caluinus. Deinde etiamsi verum esset תְּרָפִים (quod tamen in dubio relinquo) semp significare *humanā imaginem:* tamen hoc non iuuaret caussā Bellarmini. Nam si *prisci homines prius adorarunt calum & Astra, quàm vllas imagines fecerunt*, vt ex Lactātio & Euseb. docui. manifestū est, hoīs imaginem non esse Idololatriæ principium. Quarta ratio, Quia hic liber nunq̄ fuit in canone Iudaico, neq; Christi & apostolorū tēpore fuit in canone christiano, vt antè ostendimus. Cùm igitur hominum ἀποθέωσις (vt hic auctor dicit) non sit Idololatriæ principium; & hic liber sit Originaliter scriptus græcè, ac sit scriptus vel à Iudæo Christum contemnente, vel à gentili christum ignorante, neq; vnq̄ fuerit in canone Iudaico, neque tempore Christi & apostolorum fuerit in ca-

none christiano, manifestum est eum inter canonicos censeri non posse. Nos concludimus cum primitiua ecclesia, eum esse χρήσιμον καὶ ὠφέλιμον, ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν τῶν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρεσθαι. Epiphan. lib de pōderib.

Capvt XII.

Ecclesiasticum non esse principium aut regulam christianorum dogmatum.

Librū Sapiētię non esse canonicū ostēdimus capite Superiore, sequitur Ecclesiasticus. Hūc Bellarminus dicit esse regulam christianorum dogmatum, nos negamus. Ille suam sententiam probat tribus argumentis, quæ ordine expendemus. Primum argumentum. Quia Clemens lib 7, Stromatum & cyprianus lib 3, Epist 9, *ex eo, tanquam ex diuino, testimonia citant*. Sed hoc argumētū est à nobis antè refutatum. Deinde Euseb. lib. 6 Eccles. hist. cap. 13. *vtitur autem, in illis* (loquitur de Clemente) *etiam earum scripturarum testimonijs, quibus contradicitur, & eius quoque, quæ Salomonis Sapientia vocatur, & eius, quæ est Iesu Syrach, denique & Barnabæ & Clementis epistolis.* Hinc apparet nō omnes libros esse canonicos, ex quibus patres testimonia allegant. Deinde si omnes libri, ex quibus *Clemens*, tanquam ex scriptura, testimonia citat, sunt canonici, tum sequitur & *Barnabæ* & *Clementis* epistolas esse canonicas. Quod ad Cyprianum attinet, ille citat *tertium Esdræ*, in Epist. ad Pomp. Non igitur quicunque libri à patribus citantur, illi sunt canonici. Secundum Argumentum. Quia Epiphanius *in Hæresi Anomeorum librum Sirach numerat inter canonicos.* Argumentum tale.

Quoscunque libros Epiphanius numerat inter

canonicos.

canonicos, illi ſunt canonici. Sed Eccleſiaſticus eſt ille, quem Epiphanius numerat inter canonicos. Ergo Eccleſiaſticus eſt canonicus.

Reſpõdeo Minorem eſſe falſam. Epiphanius enim duobus locis enumerat canonem. Hæreſi ſcilicet 8. & lib. de menſuris & ponderib. In primo loco, nempe hæreſi 8. enumerat prorſus eoſdem libros, quos nos enumerauimus, niſi quod Baruch cum Ieremia coniungat. Deinde poſt eorũ enumerationem dicit εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι δύο βίβλοι παρ' αὐτοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ, ἡ σοφία τοῦ Σιράχ καὶ ἡ Σολομῶντος. in libro verò de pond. & Menſur. καὶ αὗται inquit χρήσιμοι μὲν εἰσὶ καὶ ὠφέλιμοι (loquitur de Sapientia & Eccleſiaſtico) ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρον). Sed eſt hîc & alius Bellarmini error. Dicit enim Epiphanium in lib. de pond. *recenſere canonem ex Iudæorum ſententia*, hæres. verò 8. *eundem recenſere ex Chriſtianorum ſententia.* Quod eſt manifeſtè falſum. Credo Bellarminum hîc vel memoria lapſum eſſe, vel eſſe typographi culpam. Quare n. hoc non benignè contra virum doctum interpretarer? Hæreſi enim 8. dicit Epiphanius ἔσχον δὲ οὗτοι οἱ ἰουδαῖοι ἄχρι τῆς ἀπὸ Βαβυλῶνος αἰχμαλωσίας ἐπανόδου, βίβλους τε καὶ προφήτας τούτους. Et paulò pòſt αἱ ἐκ θεοῦ, inquit, δοθεῖσαι τοῖς ἰουδαίοις. Vnde manifeſtè apparet, eum loqui de canone ſecundum Iudæorum ſententiã. Si verò Bellarminus ita ſcripſit, deceptus eſt fallacia cõſequentis. Quia enim *Baruch* recenſet inter eos, hæreſi. 8. ideo opinatus eſt, eum Chriſtianorum canonem deſcribere. Sed hoc malè. Non enim quia *Baruch* nominat, ideo recenſet chriſtianorum canonem, ſed quia *Baruch* in catalogo Iudaico numerat, ideo vel Epiphanius errat, vt antè

notaui, vel liber est corruptus. Baruch enim à Iudæis nunquam agnitus est, neque in Catalogo Iudaico recensetur. Sed mendum hic esse monuit me illud decus Belgicæ Nobilitatis, Philippus Marnixius Dominus de Sanct. Aldegõda. In libro verò de Põderib. recenset græcas versiones, & cum ijs ex sua & græcæ Ecclesiæ sententia hebræum textum confert. At hæc oĩa pertinent ad solos Christianos, vt omnis æquus lector fatebitur. sequitur igitur in lib. de ponder. canonẽ ex Christianorũ sententia recẽseri. Tertium argumẽt. Quia aliqui patres putauerunt *Ecclesiasticũ esse Salomonis.* Sed ante respõdimus, nullũ librũ propter falsam eiusmodi patrum opinionem esse canonicum. Atque hæc sunt Bellarmini argumenta pro Ecclesiastico. Nunc immotis rationibus ostendam, Ecclesiasticum non esse canonicum. Ac primum, Quia est vitiosus. Sunt enim duæ editiones, vna Græca, altera Latina Vulgata. Hæ inter se non consentiunt. In Vulgata enim legimmus cap. 1. vers. 14. *Dilectio Dei honorabilis sapientia: quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, & in agnitione magnalium suorum.* Hæc omnia in Græca desunt. Eodem cap. vers. 27. in Græca legimus, *& quamdiu præsens est, iram auertit.* Hæc in Vulgata desunt. Cap. 2. vers. 16. in Vulgata legimus, *Et qui dereliquerunt vias suas, & diuerterunt in vias prauas,* hæc in græca desunt. Eodem cap. vers. 21. in Vulgata legimus, *Qui timent Dominum, custodiunt mandatum illius, & patientiam habebunt, vsq; ad inspectionem illius,* hæc in Græca desunt. Cap. 3. vers. 20. *Multi quidem altitudine fortuna gloriaq; excellũt Sed mansuetis reuelatur arcana.* hæc in vulgata desunt.

Eodem

Eodem cap. vers. 28. legimus in Vulgata, *Cor ingrediẽs duas vias non habebit successus. Prauum cor in illis scandalizabitur.* hæc in græca desunt. Ibidem legimus in Græca, *Pupillis orbus lumine carebis, cognitionem autem cuius expers es, ne profitearis.* hæc in Vulgata desunt. Reliqua omnia capita sũt ęquè deprauata. At quod deprauatum & vitiosum est, hoc vtique sanæ & integrę doctrinę principium aut regula esse non potest. Ex corrupto enim & deprauato nil necessariò nisi corruptum & deprauatum colligi potest. Si quis tamen hanc vel illam editionem pertinaciùs tuebitur, dicam cum Hieronymo, *non posse vtique verum esse, quod dissonat.* Præfat. in Iosue. Secundum argumentum, Quia scriptus est ætate Euergetis, in Præf. vers. 8. sed quicquid eo seculo, & post, tempore veteris Testamementi scriptum est, hoc non habere canonicam auctoritatem, ex Iosepho & Eusebio docuimus, & proximo capite prolixiùs docebimus. Tertium argumentum, Quia nunquam fuit in canone hebræo, neq; tempore Christi & Apostolorum fuit in canone Christiano, Testis Hieronym. *in prologo Galeato*, Athanas. *in Synop.* Cyp. *in Simbol.* Epiphañ. *in lib. de Ponderib. & Mensur.* Quartum argumentum, Quia Iesus nepos eum à patre & auo collectum edidit, & scripsit græcè, Præfat. vers. 5. *Hunc librum propè collectum Iesus ille primus vita defunctus reliquit, Sirach post mortem illius eundem acceptum Iesu filio suo tradidit, qui eum in manus sumptũ concinnè totum redegit in volumen.* Vnde apparet auum Iesum, quædam hebraicè collegisse, patrem Sirachidem quædam addidisse, nepotẽ Iesum ista omnia digessisse, vertisse in græcum ser-

monem, & edidiſſe græcè. Idem ex altera præfat. verſ.9.colligi poteſt. *Multum vigiliæ*, inquit Ieſus nepos *ſcientiæq; adhibui, vt liber ad finem perductus ederetur.* Ergo antè nondum fuit abſolutus, neque editus. cum hoc conſentit Epiphanius libr. de ponderibus ἣν ὁ ἔκγονος αὐτοῦ Ἰησοῦς ἑρμηνεύσας ἑλληνιστὶ ἔγραψε. Simile docet Iſidorus libr. 6. & Lyra *in Prolog. Sirach.* At Hieronymus dicit ſe *Hebraicum reperiſſe*. præfat. ad lib. Salom. Reſpondeo hoc de aui patriſq; collectaneis, quæ nepos digeſsit, & edidit, intelligi poſſe. Si quis tamen mauult eum originaliter hebraicè ſcriptum eſſe, ille per me fruatur ſuo iudicio, modo ſciat hebraicum Sirach nunquã fuiſſe in canone, & ob eam cauſſam, eius græcam verſionem in canone eſſe non poſſe. Quintum argum. Quia auctor petit veniam ſui ſcripti, in præf. verſ.5. *Vos igitur*, inquit, *monitos volo, & hortor: vt veniam detis, ſi minus aſſecuti eſſe videmur vim quarundam dictionum, quas interpretando exprimere conati ſum9.* Sed nihil eſt, quod Spiritus S. aſſequi non poteſt. Ergo venia non habet opus. At huius libri auctor fatetur ſe *quædam aſſequi non potuiſſe*, & ob eam cauſſam *ſe venia opus habere.* Ergo non eſt ſcriptus à Spiritu S. Cùm igitur hic liber ſit deprauatus, & ſit ſcriptus ætate Evergetis, neque vnquam fuerit in canone Iudaico, neque tempore Chriſti & apoſtolorum fuerit in canone Chriſtiano, & ſit editus græcè, deinde non potuerit quædam aſſequi, & ob eam cauſſam venia opus habeat; manifeſtum eſt eum regulam Chriſtianorum dogmatum eſſe non poſſe. Pronunctio cum primitiua eccleſia, *eum non eſſe in canone*, Hieronymus in prolog. galeato, addo cũ eadẽ

pri-

primitiua ecclesia, *eum ab ecclesia legendum esse, ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Hieronym. præfat. in lib. Salomonis.

CAPVT XIII.

Libros Machabaicos, non esse principium neq; regulam christianorum dogmatum.

ECclesiasticum sequũtur Machabęici. Hos Bellarminus Canonicos esse dicit: nos negamus. Ille probat suam sententiam tribus argumentis, quæ ordine expendemus. Primum, Quia aliqui patres eos honorificè producunt. Secundum, Quia aliqui patres eosdem libros diuinam scripturã appellãt. Tertium, Quia Ecclesia eos habet pro canonicis. Ad hæc omnia nos quidem antè respondimus. Sed quoniam tertiam rationem Augustini auctoritate probans irridet Caluinum, quod is Augustino multum tribuat & tamen libros reijciat, quos ille ab Ecclesia pro canonicis receptos testatur. Ideo ad hanc tertiam denuo aliquid respondebimus, æquus lector dabit nobis veniam, si ex prioribus nobis quædam repetenda erunt. Augustinus lib. 18, de ciuit. Dei cap. 36. *Quorum supputatio,* inquit, *temporum, non in scripturis sanctis, quæ canonicæ appellantur: sed in alijs inuenitur, in quibus & Machabæorum libri: quos non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet, propter quorũdam martyrum passiones graues, atq; mirabiles.* At quanta sit Augustini hac in re auctoritas, ostendimus antè. Deinde idem Augustinus in eodẽ cap. dicit, *Quartũ Esdræ, esse opus prophetæ Esdræ.* At hoc est tam verum, quàm illud. Adde, Augusti. non simpliciter dicere, eos libros esse in canone.

nonc. sed tantum κατά τι. nempe *propter quorundam martyrum vehementes & admirabiles perpessiones*. Idem docet libr. 2. contra Gaudentij epistolam cap. 23. *Machabaeorum scriptura recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur* vel audiatur, maximè *propter istos martyres*. Sed ob hanc caussam in canone morum, non fidei censeri posset. Et hoc docet Lyra. *Recepti sunt*, inquiens, *ab Ecclesia, vt ad morum informationem legantur*, præfat. in Tobi. Idem testatur Brito, *Libri Machabaeorum*, inquiens, *non sunt in canone, & tamen legũtur in Ecclesia per constitutionem Romanæ Ecclesiæ in* prolog. Machab. & Rabanus ad regem Ludouicum. *Nunc tempus illud est, quo Romana Ecclesia constituit libros Machabaeorum legi in Ecclesia*. Manifestum igitur eos non ad dogmata probanda, sed tantùm ad mores formandos receptos, & lectos esse. Quod verò ad canonem fidei attinet, etiam Augustini iudicio non sunt canonici. Libro enim. 1. de ciuit. Dei. cap. 20. *In sanctis*, inquit, *canonicis libris nusquam nobis diuinitus præceptũ permissũve reperiri potest, vt vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel vllius carendi cauendive mali caussa, nobismet ipsis necem inferamus*. At Razis seipsum occidens laudatur 2. Mach. 14. v. 42. Nihil autem laudabile, quod non licitum. id igitur, quod secundum libros canonicos illicitum est, hoc Machabæici vt licitum, & laudabile permittunt. Deinde auctor Machabæicorum laudat Razin, *quod voluerit nobiliter mori*, At hoc reprehendens Augustinus, *Melius*, inquit, *vellet humiliter, ita enim vtiliter. Illis enim verbis historia gentium laudare consueuit, sed viros fortes huius seculi, non Martyres*. Hinc apparet, eos ne quidem

Augus-

Auguſtini iudicio, eſſe canonicos fidei. Quid quod ipſe Auguſtinus diſertè neget, eos eſſe in canone. Lib. enim ſecundo de mirabil. S. Scripturæ, cap. 34. *In Machabæorum*, inquit, *libris, etſi aliquid mirabilium numero inſerendum conueniens fuiſſe ordini inuematur, de hoc tamen nulla cura fatigabimur. quia tantùm agere propoſuimus, vt de diuini canonis mirabilibus exiguam hiſtoricam expoſitionem tangeremus.* Atque hæc ſunt Bellarmini argumenta pro auctoritate Machabæicorũ. Iam immotis argumentis oſtendemus, eos non eſſe in canone. Ac primum, Quia tempore Machabęorũ non fuit propheta, 1. Mac. 4. 46. *Lapides depoſuerunt, donec exoriretur propheta, qui de his reſpondere poſſet.* Et. 1 Mac. 9, 27. *Et accidet Iſraëlitis calamitas tanta, quanta nulla unquam exſtitit, ex quo nullus inter eos propheta viſus fuit.* Ad hunc locum ſcribit Vatablus. *Nam tum prophetiæ ceſſauerant, neq; à Malachia propheta vllus fuerat, qui eos de rebus futuris admoneret.* Eodem libr. cap. 14. verſ. 41. *Fecerunt Simonem principem & ſummum pontificem perpetuo, donec propheta certus exiſteret.* Vbi Vatablus. *Nam eo tempore, & iam diu antè prophetiæ defierant.* Ioſeph. lib. 1. cont, Appion. dicit *à tempore Artaxerxis non fuiſſe* ἀκριβῆ διαδοχὴν τῶν προφητῶν. Idem docet Euſeb. lib. 3. Eccles. hiſt. cap. 10. Hieronimi. lib. 13. in Eſaiam cap. 49. *Poſt Aggeum*, inquit *Zachariam & Malachiam nullos alios prophetas, neq; ad Iohannem baptiſtam videram.* Auguſt. lib. de Ciuit. Dei. 17. cap. 24. *Toto*, inquit, *illo tempore, ex quo redierunt de Babylonia, poſt Malachiam, Aggæum & Zachariam, qui tunc prophetarunt, & Eſdram, non habuerunt prophetas vſque ad ſaluatoris aduentum, niſi alium Zachariam patrē*

Iohannis.Euſeb.libro 10.cap.3.de prepar,Euang.*poſt Aggæum,Zachariam,& Malachiam,non fuit amplius propheta apud Iudæos*. At poſt Malachiam Machabæici libri ſcripti ſunt. Aut igitur doceat Bellarminus quo tempore poſt Malachiam propheta fuerit,& quis ille fuerit, qui hos libros ſcripſerit, aut fateatur eos non eſſe à propheta ſcriptos, vel denique concedat eſſe aliquem librum Vet. Teſt. canonicum,qui non eſt à propheta ſcriptus. 2, Quia eorum auctor Ioſephus. Hierony. lib. 2.cont. Pelag.*Machabæorum*,inquit *hiſtoriæ ſcriptor eſt Ioſephus*. Euſebius lib. 3. cap. 10, *Eſt adhuc aliud eius* (*de* Ioſepho loquitur) *elegans ſatis volumen,quod animus ſit,qui imperium teneat in nobis, quem libellum quidam Machabæorum attitulauerunt, pro eo quod certamina inibi & agones pro pietate à Machabæis fratribus deſudata contineat*. Hierony. in catal. c. Ioſephus. *Alius quoque eſt liber eius* (loquitur de Ioſepho)*in quo & Machabæorũ ſunt digeſta martyria*. At Ioſephus Chriſtum agnoſcere non voluit. Aut igitur homo Chriſtum repudians potuit ſcribere librum canonicum, aut Machabæici non ſunt canonici. 3, Quia eſt gentilis & non canonici libri compendium. Libro enim 2. cap. 2. verſ. 24. *Quæ à Iaſone Cyrenæo quinque libris explicata ſunt, nos vno volumine perſtringere conabimur.* Ad quem locum Vatablus. *continet igitur hic liber Epitomen eorum, quæ à Iaſone Cyrenæo pluribus verbis & libris ſunt explicata*. At ſi Epitome librorum Iaſonis eſt canonica, tum etiam libri Iaſonis canonici ſunt. Eptome enim non habet plus auctoritatis,quàm ab illo cuius Epitome eſt,accepit. & ob eam cauſſam vel gentiles libri, & eorum Epitomæ ſunt

ſunt canonicæ, vel liber Machabæorum non eſt canonicus. 4, Quia pugnat cum veritate hiſtoriæ gentilis. Lib. enim 1. cap. 1. v. 7. *vocatis ſuis illuſtribus*, loquitur de Alexādro, *qui vnà cum eo à iuuētute educati fuerant, viuus adhuc illis regnum ſuum diſpertiuit.* At hoc non eſſe verum docent omnes hiſtoriæ. Pleroſque enim ſeruos illuſtres Clytum, Parmenionem, Philotam & alios necauit priuſquam mortuus eſt. Deinde cùm *interrogaretur, cui regnum relinqueret, reſpondit, ei, qui optimus eſt.* Curtius lib. 10, & Arrianus lib. 7. Diodorus Siculus lib. 17, τῶν δὲ φίλων ἐπερωτώντων, τίνι τὴν βασιλείαν ἀπολείπεις; εἶπε τῷ κρατίστῳ. Lyra. *Quærunt quem imperij faciat hæredem*, reſpondit, *digniſsimum. Tanta illi magnitudo animi fuit, vt cum Herculem filium, cum Aridæum fratrem, cum Roxanem vxorem prægnantem relinqueret, oblitus neceſsitudinū, digniſsimū nuncupauit hæredem, prorſus quaſi nefas eſſet, viro forti alium quam virum fortem ſuccedere, aut tanti regni opes alijs, quam probatis relinqui. Hac voce veluti bellicum inter amicos cecinißet, aut malum diſcordiæ miſiſſet: ita omnes in æmulationem conſurgunt, & ambitione vulgi tacitum ſermonem & fauorem militum quærunt*, & paulò poſt. *Non tam ipſe hoc diuiſit, quam alijs hoc diuidendum reliquit.* Prætereà poſt eius mortem de ſucceſsione tantum certamen fuit, *vt corpus per multos dies inhumatū iacuerit*, Teſtis plutarchus in eius vita. Atque hoc eum præuidiſſe, & prędixiſſe docet Arrianus lib. 7. Curtius lib. 10. Diodorus lib. 17. Denique cùm duces eum decumbentem deflerēt *inuenietis*, reſpondit, *cum exceſſero, dignum talibus viris regem.* Poſtremò omnibus nota ſunt bella & certamina, quæ poſt eius exceſſum ob ſucceſsio-

cessionem contigerunt, vt taceam omnes eos, qui Alexandrum sanguine attingebant, esse à successorib. vt Curtius docet, occisos. Sed hæc omnia non accidissent, si ipse regnum seruis suis dispertiuisset. Errat igitur historia Machabęorũ. 5, Quia vnus liber est scriptus Græcè. Hieron. in prolog. Galeato. *Secundus Græcus est, quod ex ipsa quoq; phrasi probari potest.* At nullus propheta scripsit gręcè. Omnes aũt libri V. T. à prophetis scripti sunt. Nullus igitur ex ijs omnibus originaliter græcè scriptus est. 6, Quia non est in canone Iudaico. Hoc fatetur aduersarius. At canon Christianus ex Iudaico factus est. Hoc probaui ante. Non potest igitur esse in canone Christiano. Quod enim Iudaicus canon non habet, hoc Christianus ab eo accipere non potest. Et ob eam caussam tempore primitiuę Ecclesię canõ V. T. Christianus & Iudaicus per omnia consentiebant. 7, Quia tempore primitiuæ Ecclesiæ non fuit in canone christiano. Hoc antè probatum est. Ergo & nunc in eo esse non potest. Ecclesia enim non habet potestatẽ librũ, qui non est canonicus, faciendi canonicum. 8, Quia sunt in ea quædam, quæ pugnant cum canonica scriptura. Libro enim. 2. cap. 12. v. 43. *laudatur Iudas, quòd obtulerit sacrificium pro mortuis.* At in Dei verbo nullum sacrificium pro defũctis institutum est. Deut. 5, v. 32 *Custodite ergò vt faciatis quemadmodum præcepit Iehoua Deus vester vobis, ne declinetis ad dextram, aut ad sinistrã.* Aut igitur ostendat Bellarminus, vbi Iehoua sacrificium pro mortuis instituerit, aut fateatur Iudam vel ad dextram, vel ad sinistram declinasse. Porrò in cultu diuino non licebat quicquam facere, nisi quod

Deus

Deus præceperat. Leuit. 10.1 *obtulerunt coram Iehoua ignem alienum, quod non præceperat eis. Tum egressus est ignis a facie Iehoua, & consūpsit eos.* Doceat Bellarminus vbi Deus præceperit pro mortuis sacrificiū offerre, Aut fateatur Iudā fecisse, quod nō erat mādatū. Hoc cū doctissimus Caluinus te moneret, rectè feciffes, si secutus fuisses. At *Augustinum Caluino opponis, & doces illum ex hoc loco probare, pium esse orare pro mortuis.*

Ex quo libro Augustinus probat pium esse orare pro mortuis, ille est canonicus. Sed liber Machabæorum est ille, ex quo Augustinus hoc probat. Ergo liber Machabæorum est canonicus.

Respondeo Maiorem esse falsam, & iam antè docui Patres sæpè ex libris apocryphis, & gētilibus sua dogmata probasse, & ob eam caussam nō omnes eos esse canonicos, ex quibus patres sua dogmata probant. Deinde conuertis te ad conuitia, & dicis, *tantum interest inter Spiritum Augustini, & Caluini, vt Augustinus quia libros Machabaorum credit esse canonicos, inde colligat bonum esse pro mortuis orare, Caluinus quod existimat malū esse orare pro mortuis, inde deducat libros non esse canonicos.* Comprime paululum hūc furorem. Hieronymus enim dicit *libros Machabaorum esse apocryphos.* Idem docet Cyprianus *in symbolo* cum eo cōsentit Nazianzenus *in carmine de genuinis S. Scriptura libris.* Idem facit Melito, Epiphanius, Origenes, Laodicenum concilium, vt antè ostensum est. Imò *Ecclesia*, vt inquit Hieronymus in prolog, ad lib. Salomonis, *non recipit eos inter canonicas scripturas*. Possemne igitur eodem modo dicere. Tantum interest inter spiritum

ſpiritum primitiuæ eccleſiæ & Bellarmini, vt Vetus Eccleſia à Spiritu S. gubernata eos inter canonicas Scripturas non receperit; Bellarminus verò receperit eos inter canonicas Scripturas. Deſine igitur cō-uitiari. In promptu enim eſt, quo reprimaris. Quod verò attinet ad inuocationem pro mortuis, reſpondebimus ſuo loco. 9, Quia petit veniam orationis impolitæ lib. 2. cap. 15. verſ. 39, *Etſi quidem rectè, & commentario congruenter, hoc & ipſe volui, ſin exiliter ac tenuiter, hoc eſt, quod potui*, aut vt vetus habet. *ſin autem minus dignè, concedendum eſt mihi.* Bellarminus reſpō-det & paulum impoliti ſermonis veniam petere. 2. Cor. 11. 6. *Quod ſi rudis ſim ſermone, non tamen ſum rudis ſcientia.* At nuſquam hic veniam petit, ſed potius gloriatur ob imperitum ſermonem. Theophylactus. *Oſtendit Paulus ſe nihil defugere ruditatem, quin vel maximè de ea gloriari. Vult enim oſtendere ſe non vti fucata, & polita oratione, vt quemquā decipiat, quemadmodum pſeudoapoſtoli faciūt. ſed vti rudi ſermone, vt omnis vis diuina gratiæ tribuatur.* 1. cor. 2. 4. *Neq; oratio mea & prædicatio mea verſata eſt in perſuaſorijs humanæ ſapiētiæ verbis: ſed in demonſtratione ſpiritualis potentiæ.* Deinde potuiſſe Paulū politè loqui, ſi voluiſſet, teſtatur Chryſoſt. *in homilijs de Paulo, & in 4. libro de ſacerdotio*, & res ipſa indicat. Hic verò auctor conqueritur, ſe non potuiſſe rectiùs loqui. *ſin exiliter*, inquit, *& tenuiter, hoc eſt, quod potui*, τοῦτο ἐφικτὸν ἦν μοι. Non igitur huius libri auctor eſt Spiritus S. Illi n. nihil īpoſsibile. Prætereà etſi Paulus rudi vtebatur ſermone, cōmodè tamē & conuenienter ſua dogmata elocutus eſt, 2. cor. 11. 6. *Omnino manifeſti facti ſumus in omnibus apud vos*, Act.

20.27. *Annũciaui vobis omnẽ Dei consilium.* At auctor Machabæicorum dubitat, an historiæ conuenienter scripserit, & addit se non potuisse meliùs scribere. Non rectè igitur hoc loco allegatur Paulus, nulla enim inter eos similitudo. 10. Quia quædam, quæ in hoc libro promittuntur, sunt falsa. lib. n. 2. cap. 2, vers. 7. *Dicit ignotum fore locum istũ in* quo sc. arca erat abscondita, *dum Deus recollegerit multitudinem populi, ac placatus fuerit, tum denique Dominum illa ostensurum, gloriãque eius cum nube apparituram.* Sed Deus est per mortem filij sui placatus, arca verò nusquam inuenta est. Ergo falsum promisit auctor Machabæicorum. Quod verò Bellarminus hoc vel de *vltimo Christi aduentu*, vel de *ipso Christo mysticè* intelligendum esse dicit, hæsitationem arguit, & cùm ipse hæsitet, neque sciat, quid definire debeat, non est necesse, vt eum pluribus verbis refutemus. Sed neque Epiphanius eum iuuat, liber enim ille de vitis prophetarum non est Epiphan. Hieron. enim *in catal.* eius non meminit. Sed neque Trithemius eum recenset, nisi *in additiuncula*. Deinde in Greco codice Basileę edito non exstat. Prӕterea auctor libri, de vitis prophetarum, hanc historiam de arca abscondita conuertit in allegoriam. Ex allegoria autem certum argumentum afferri non potest. Ad Tuitiensem non habeo necesse respondere. Porrò totum illud de arca abscondita vanum est. Ieremias enim rem tanti momenti in suo libro non prӕterijsset, neq; Esdras & Nehemias illud post reditum intactum reliquissent. Prӕtereà, Ieremias, neq; ante, neq; post captiuitatem potuit arcam auferre. Antè non potuit, tenebatur enim captiuus,
vsq;

vſq; ad vrbis excidium, *Ierem. 37. & 38.* poſt etiam non potuit, nam tum omnia erãt in manu Chaldæorum. Deinde *arca & altare erant auro obducta,* vt docet Moſes, Exod. 25.11. Tantam verò prædam non paſsi fuiſſent crudeles milites ſibi eripi. Prætereà 2. Reg. ca. vlt. docet Scriptura *Chaldæos omnia diripuiſſe, neq; quicquam reliquiſſe,* quid igitur ſuſtulerit Ieremias, viderit Bellarminus. Quod autem Bellarminus dicit Ieremiam non potuiſſe tempore Zedechiæ, quo captus erat, arcam auferre, potuiſſe verò tempore Ioacim, quo liber erat, hoc pugnat cum Sixto Senẽſi. ille n. cõtendit Ieremiã illud tẽpore Zedechię, dum in carcere erat, per alios feciſſe, li. 8. her. 12. Reſp. ad ob. 5. Deinde eſt infirmum. A poſſe enim ad eſſe non valet conſequentia. Prætereà cùm hoc abſque ſcripturis dicatur, eadem facilitate à nobis negatur, qua à Bellarmino affirmatur. Rectiùs Lyra. *Quod hîc dicitur de abſconſione arcæ, & altaris incenſi per Ieremiam, non habet magnam apparentiam. quod Ieremias in carcere fuit clauſus vſq; ad diem captionis Ieruſalem per Chaldæos. vt pat. Iere. 37. & 38. Et ſicut ante captionem ciuitatis iſta non fecit, nec poſt captionem, vt videtur: quia capta ciuitate Chaldæi omnia pretioſa, non ſolum aurea, & argentea, ſed etiam ærea confregerunt, & totum rapuerũt, & aſportarũt* 4. Reg. 25. & *Ierem. vlt. Propter quod non videtur veriſimile, q̃ Ieremiæ dimiſerint arcam Domini, & altare incenſi: quæ erant de auro puriſsimo, vt habetur in Exodo, igitur propter iſta, & alia ſupradicta de morte Antiochi, à tempore Demetrij: quæ cum difficultate magna poſſunt cũ alijs Scripturæ locis concordari, vt patet ex ſupradictis. liber iſte ſecundus, & maximè quantũ ad præfationem, reputatur à*

mul-

multis multùm apocryphus. 11. Quia lib.1. cap.8. vers. 16. *dicit Romanos imperium suum vni homini annuum committere, qui vniuersæ ipsorum terræ dominetur, cui omnes dicto sint audientes.* At hoc falsum esse nemo ignorat. Romani enim non vni, sed duobus consulibus imperium committebant. Bellarminus dicit *apud Romanos in more positum fuisse, vt consules alternis diebus imperarent*, idq; probat exemplo Terentij Varronis, & Pauli Æmylij in pugna Cannensi. Quod equidem miror homini docto excidisse. Varro enim non ex prisca consuetudine, sed per vim alternis diebus imperabat. Plutarchus in vita Fabij. *Varro, cùm extorsisset ei alternis vt imperaret, castra castris coniungit ad vicum Cannas.* Minutius & Fabius, cùm in eodem bello simul imperatores facti essent, non alternis imperabant, sed copias inter se partiebantur, Plutarchus ibidem. *In castra vt venit, offendit Minutium nihil iam modicè præ se ferentem, sed tumidum & inflatum, imperiumq; postulantem alternis diebus. Id haud quaquam placuit ei, sed diuisit cum illo copias.* 12. Quia templum *eodem die dicit profanatum, & expiatum esse, nempe 25. die Casleu*, 1 Machab.4.52. & 2. Mach. 10. 5. Eodem cap. v. 3. scriptum est templum expurgatum *esse duobus annis, & sex mensibus, postquam sc. pollutum erat.* Vatablus. *Tantum enim temporis spacium intercessit inter templum profanatum, atque illud idem expurgatum.* Explicet Bellarminus, quomodo eodem die templum, nempe vicesimo quinto Casleu profanatum, & expiatum sit, & quomodo inter eius profanationem & expiationem spacium biennij & sex mensiũ intersit. Alterutrum enim falsum esse necesse est.

Deinde

Deinde Vulgata versio dicit istam *Expiationem post biennium factam esse*, græca verò dicit post *biennium & 6. menses factam esse*. Vtrumque simul verum esse non potest. Quomodo persuadebit Bellarminus latinum textum Græco veriorem esse? 13. Quia lib. 1. cap. 6. 16. dicitur Antiochus in Persia *in lecto suo mortuus esse*. At lib. 2. cap. 1. vers. 16. dicitur *in templo Naneæ membratim casus esse*. Et rursus li. 2. ca. 9. v. 28. dicitur *peregrè inter montes miserrimo mortis genere vitam finiuisse*. Hæc omnia si vera sunt, tum vnus & idem homo tribus diuersis locis mortem oppetijt. Hîc variè tumultuantur papistæ. Sed illis aqua hæret, vt est in proverbio. Alij diuersos somniant Antiochos, alij aliud comminiscũtur. Nos alijs neglectis solum Bellarminũ persequemur. Ille hæc de vno & eodem Antiocho dici confitetur, & dicit eum lib. 2. cap. 9. non esse peregrè mortuum, sed *cepisse peregrè ægrotare*, & ęgrum domum deportatum esse. Capite verò primo eiusdem libri non ipsum sed *eius exercitũ Naneæ cæsum* esse, atque ita istum locum κατὰ συνεκδοχὴν intelligendum esse. Nisi Bellarminus Iesuita esset, dicerem eum somniare. Nam lib. 2, cap. 9. v. 28. dicitur Antiochus *peregrè inter montes miserrimo mortis genere vitam finiuisse*, & vt omnis dubitatio tolleretur, additur eius *corpus à Philippo domum deportatum esse*. Si ille qui peregrè vitam morte finit, & cuius cadauer domum defertur, mortuus non est, tum concedo, Bellarmine, peregrè mori, idem esse atque peregrè ægrotare, & ægrum domum deferri. Ad locum lib. 2, cap. 1, v. 16. quod attinet, dicitur istic *lapidibus obrutus*, & *membratim dissectus esse*, *caput* item *eius amputatum foras*

foras proiectum esse. Excipit Bellarminus, hoc exercitui Antiochi, non ipsi duci Antiocho contigisse. Hanc suam responsionem probat ex 14. Genes. vbi regem Sodom cæsum esse narrat scriptura, & eundem postea viuentem & loquentem introducit. At in decimo quarto Genes. regem Edom non cæsum, sed *cecidisse* scriptum est, atque hoc variè exponunt. Deinde synecdoche illic locũ habere potest, hîc non potest. Auctor enim lib. 2. cap. 1. v. 17. *percusserunt*, inquit, *ducem, et eos qui cum eo erant*, etc. Vides manifestè ipsum ducem cum satellitibus cæsum esse. Si igitur probabilibus argumentis docere potes, eum, qui lapidib. obrutus, & membratim consectus est, non esse mortuum; tum fatebor Antiochum hic mortuum non esse. Lyra, *clauserunt templum, cùm intrasset Antiochus: & sic nõ videtur quod euaserit, quia sacerdotes mortem eius magis quærebant, quàm aliorum. ideo subditur, percusserunt ducem primò & principaliter, & eos, qui cum eo erant consequẽter, & diuiserunt membratim. Quod autem per ducem intelligatur Antiochus, patet ex principio huius partis. Nam cùm in Perside esset dux ipse. i. Antiochus* etc. In 10, cap. 2. lib. idem dicit *hunc librum propter hanc de Antiochi morte difficultatem & propter alia quædam à multis apocryphũ reputari*. Relinquitur igitur, vel vanum esse, quod Machabæici docent, vel vnum & eundem hominem ter mortuum esse. 14. Quia Iudas *occubuit anno 152. Seleuci*, 1. Mach. cap. 9. v. 3, & 18. Idem *anno 188. Seleuci scripsit epistolam ad confratres suos*, 2. Mach. 1, 10, Quæ si vera sunt, sequitur eum anno 36. post mortem suam epistolam scripsisse. Respondet Bellarminus *numerum istum esse fi-*

nem præcedentis Epiſtolæ, & non pertinere ad ſequentem Epiſtolam, idq; probat, quia in Græcis libris poſt iſtum numerum eſt magna diſtinctio. Sed hoc eſt valde incertum. Latini enim codices vnanimiter iſtũ numerum cum ſequentibus coniungunt. Idem facit Lyra, & reliqui expoſitores. Deinde ſi hoc verum eſt, tum Latini libri ex Gręcis emẽdãdi ſunt. At hoc negat Bellarminus lib. 2. Præterea non omnes græci codices ita diſtinguunt. Biblia enim regia, quæ Arias ad exemplum Complutenſe edidiſſe dicitur, eodem modo diſtinguunt, atque libri Latini. 15. Quia laudat Razin ſemetipſum interficientem, 2. Mach. 14, 42. *generoſè mori malens.* Bellarminus reſpondet, *Factum narrari, non laudari.* At narratur & laudatur ſimul, Poſuit enim hoc ex opinione Hebræorum, qui hoc modo ſibi ipſi necem conſciſcere, non putarunt illaudabile eſſe. Lyrã. *In his duobus caſibus dicũt Hebræi, quòd non ſolùm licitum, ſed etiam meritorium ſit ſemetipſum interficere: quòd talis interfectio ordinatur in Deum.* Et paulò poſt, *Vnde & ſcriptura libri huius, quæ recepta eſt ab Eccleſia ad legendum pro informatione morum, non videtur hîc Razin arguere; ſed potiùs commendare de ſui ipſius interfectione.* Manifeſtum igitur Razis factum ab auctore laudari. At idem factum à Spiritu S. improbatur, Deinde verſ. 46. *Iam prorſus*, inquit, *exanguis prehenſa vtraque manu inteſtina protulit, & in turbam proiecit, ac Dominum vitæ ac Spiritus precatus, vt hæc eadem rurſus ſibi redderet.* At hæc impoſsibilia ſimul & abſurda ſunt. Impoſsibilia, homo enim iam prorſus exanguis, inteſtina ſibi ipſi auellere, & in alium proijcere non poteſt. Abſurda, qui enim in tam

tam improbo facinore, tanto feruore & æstu occupatus est, Deum in ipso facinoris perpetrandi momento inuocare non potest. Propter hæc & similia pronunciamus cum Hieronymo, *Machabæorum libros legere quidem Ecclesiam, sed eos inter canonicas scripturas non recipere.* præfat. in libr. Salom.

CAPVT XIV.

Iudicium Veteris Ecclesiæ de libris Noui Testamenti.

HActenus disseruimus de libris Veteris Testamenti, nunc de libris Noui Testamenti pauca addemus. Hi etsi apud nos in eadem sunt auctoritate: tamen quoniam Veterum de ijs diuersum fuit iudicium, operæpretium erit, vt secundum nostram promissionem ostendamus, quid veteres de ijs iudicauerint. Libri igitur Noui Testamenti in duas Classes diuidi possunt. nempe in eos, de quibus nemo dubitauit, & in eos, de quibus aliquando dubitatum fuit. Primi ordinis sunt 4. Euangelia, Actus Apostolorũ, Tredecim epistolę Pauli, Prima epistola Iohannis, & prima Petri, *Euseb. li. 3. cap. 25. Et lib. 6. ca. 18.* Secundi ordinis sunt duæ posteriores epistolæ Iohannis, Secunda Petri, Epistola Iudæ, Epistola Iacobi, Apocalypsis Iohannis, & Epistola ad Hebræos. *Euseb. lib. 3. cap. 3. & cap. 25. in eodem libro. Et lib. 6. cap. 18.* Posteà verò re diligentiùs explorata, & cognita, vniuersæ Ecclesiæ hos posteriores agnouerunt. Testis Athanas. *in Synop.* Cyprian. *in Symb.* & Hieronym. *in prolog. Galeato.* Non igitur damnamus Musculi, Heshusij, & aliorum sententiam, qui hos posteriores à prioribus, cum quibusdam patribus primitiuę Ec-

clesiæ discernunt, libenter tamen cum Athanasio, Cyrillo, Hieronymo & alijs profitemur, eos habendos esse eodem loco, & honore. Atque ita iudicat confessio Belgica, *Articulo. 4.* Confessio Gallica, *Articulo 3, de verbo Dei*, & Harmonia confess. *Sect. 1. de Scriptura.*

Conclusio.

Vt omnia in pauca contraham. Manifestum est principia Christianorum dogmatum, debere esse certa, ante concessa, extra omnem controuersiam posita, integra, immutabiliter vera, & diuina. Ego verò ostendi hos sex libros cum istis additionib. esse dubios, ab altera parte negatos, in controuersia positos, falsos, vitiatos, & humanos. Necessariò igitur concludo eos non posse principia Christianorum dogmatum esse.

Finis.

SIBRANDI

SIBRANDI LVBBERTI De *Principiis Christianorum dogmatum* Liber secundus.

CAPVT I.

Status controversiæ proponitur.

SVPERIORE libro ostẽdimus, quinam libri sint Canonici: nũc ostendemus, quænã sit authentica canonicorũ librorũ editio. Hoc est secundum papisticę religionis principium. Ex libris n. apocryphis nõ possunt oẽs suos errores defendere. Ideo vulgatam versionem, quæ multis errorib. scatet, pro secũdo principio acceperunt. Quoniam verò varię sunt versiones Veteris & N. Testamenti, eæq́; in varijs linguis extant; æquum fortè esset de singulis cum Bellarmino conferre. Sed de omnibus inter nos controversia non est. Existimamus igitur non necesse esse de singulis versionib. & editionibus disputationem instituere, & ob eam causam reliquis missis, tantùm ea, quę inter nos controversa sunt, prosequemur. Ac primũ de veteri Testamento, deinde de Nouo differemus. Veteris Testamenti sunt duæ Editiones, de quibus cõtrouersia est. Vna *Hebræa*, à prophetis ipsis scripta; Altera *Latina* (quã *Vulgatam* dicũt) ex hebræo in Latinũ versa. De his duabus editionibus controuersia est. Aduer-

sarij enim volunt Hebræam editionem corruptam esse, ac proinde authenticam esse non posse. Nos illud negantes dicimus Hebræum textum ab omni corruptione liberum, ac proinde authenticum esse. Sed quoniam aduersarij non omnes idem dicunt, ideo illorum sententia paulò diligentiùs explicanda est. Illi sese ita implicant, vt difficile sit verum cõtrouersiæ statum proponere. Arias enim Benedictus, Vatablus, Mercerus, Pagninus, Eugubinus Steuchus, & alij Hebræum textum prorsus incorruptum esse ostendunt. Contrà Canus *libr. 2. cap. 13.* Hebræos libros prorsus corruptos esse clamat, idem facit Lindanus. Bellarminus eos neque prorsus corruptos, neque prorsus integros esse asserit, sed tamen ita corruptos esse dicit, vt regula fidei esse nõ possint. Vera igitur Bellarmini sententia est, Hebręos libros neq; prorsus corruptos esse, tamen ita corruptos esse, vt authẽtici esse non possint. Nos ex aduerso hoc negamus, & dicim⁹ Hebręos libros ab omni corruptione liberos esse, & proinde esse authenticos. Hę duę sententię quoniam ex diametro pugnant, simul veræ esse non possunt. Nos more nostro prius adversarij sententiam expendemus, & ad eius rationes respondebimus. Deinde nostram explicabimus, eamque immotis argumentis probabimus.

Capvt. II.

Bellarmini rationes, quibus Hebræum textum corruptum esse adserit, examinantur.

Statu cõtrouersię intellecto, Bellarmini argumẽta ęxcutiemus. Ille suam sententiam probat 5, argumentis.

gumētis.Primum,Quia Caluinus lib.1.Inſtit.cap.13. §.9.in nono cap.Eſaiæ v.6.legendum aſſerit, *Et vocabitur nomen eius admirabilis.* At in Hebræo eſt ויקרא non autem יקרא.Inde concludit hebræum textum eſſe deprauatum. Argumentum tale,

Vbicunque Caluinus aliter legendum cõtendit,q̃ in hebręo textu legitur,ibi Hebręus textus eſt deprauatus.Sed hoc loco Eſaię 9.Caluinus cõtendit legendum eſſe, *& vocabitur admirabilis,* etc. cùm tamen in Hebræo textu legatur, *Et vocabit.* Ergo textus Hebræus etiam Caluini confeſsione eſt deprauatus.

Minorem probat ex Inſtitutione lib.1.cap.13.§.9. Vbi Caluinus *Neque eſt,*inquit,*quod Iudæi oblatrent,& ſic lectionem inuertant:hoc eſt nomen quo vocabit eum Deus fortis, pater futuri ſeculi, ac demum hoc vnum reliquũ filio faciant, vt ſit princeps pacis, quorſum enim tot epitheta in Deum congeſta forent.*Ergo etiam Caluini confeſsione turbidus alicubi fluit ipſe fons.

Nos prius ad argumentum, deinde ad Caluinum reſpondebimus. Ac primum dicimus Maiorem eſſe falſam.Caluini enim interpretatio non eſt regula authenticæ veritatis in textu Hebręo:Sed cõtrà textus Hebræus eſt regula Interpretationis Caluini. Quam ob cauſſam, quãdo Caluini Interpretatio cum textu hebræo congruit,tum eam recipimus,quando verò cum textu hebræo non congruit, tum nos eam cum bona gratia Caluini,textui hebręo poſtponimus.Ad Minorem reſpondemus eam non eſſe Caluini. Nam & vetus Interpres ante illũ ita vertit, idem fecit Hieronymus lib. 3. in Eſaiam in fine, quin & Græca

translatio quæ nunc exstat, vertit καλέσει. Hanc Interpretationem sequutus est Caluinus. Deinde hęc versio ex Hebræo textu commodè colligi potest. Sæpè enim accidit apud Hebræos, vt verba actiua tertiæ personæ passiuè, vel vt alij dicunt, impersonaliter accipiantur. vt ידכאום *conterent eos*, id est, conterentur, Iob 4. v. 19. Et ibi Mercerus. Et Gen. 15, 6. ויחשבה *imputauit ei ad iustitiam.* hoc est, imputatum est ei ad iustitiam, Rom. 4, 3. Et ærumnosæ noctes מנו לי *constituerũt mihi*. h. e. ærumnosæ noctes mihi constitutæ sunt. Iob. 7. 3. Et ibi Mercerus. Et *repetunt hac nocte animam tuam a te*, h. e. anima tua repetitur abs te, Luc. 10. 20. Mercerus in Iob. 4. 19. Ad hunc modũ *Vocabit nomẽ eius*, non ineptè verti potest *Vocabitur nomen eius.* Hinc apparet Interpretationem Caluini non pugnare cum textu hebręo, sed frequẽtiss. vsu loquẽdi ex eo deductã esse; neq; tamẽ errant, qui hoc verbum actiuè accipiunt, neq; pugnant cum Caluino, modo rectè intelligatur. Hebræi n. sæpè verba actiua tertiæ personæ singularis numeri, sine certo Nominatiuo ponũt, subaudito Benoni eiusdẽ verbi, vt ישפק *plaudet super eum manibus suis*, Iob. 27. 23. h. e. complodẽs complodet manus suas, vel quod idem est, manus super eum complodẽtur. Mercerus in Iob, cap. 27. 23. Et ויגד *annũciauit Iacobo*, Genes. 48, 2. h. e. nuncius nunciauit Iacobo, vel quod idem est, nunciatum est Iacobo, Mercerus in Iob. 27. v. 23. Et, eo die ישא *tollet super vos parabolam*, Michcæ 2. 4. h. e. lamentator lamentabitur, & tollet super vos parabolam, vel quod idem est, tolletũr super vos parabola. Mercerus in Iob. 27. v. 23. Eodem modo *vocabit*

cabit eius nomẽ Deum fortem, h.e. vocator vocabit nomẽ eius. Ille verò vocator est Deus, solus n. Deus talia nomina accipere, & dare potest. Esa. 42, 8. *Ego sum Iehoua, & hoc est nomẽ meum & gloriam meam alteri non dabo.* Siue igitur dicas, *Deus pater vocauit nomen eius, nempe filij sui Deum fortem*, Siue dicas, *nomen eius a Deo patre vocatur Deus fortis*, perinde est. Sententia enim est eadem. Vtraq; etiã interpretatio est orthodoxa, & cum textu hebræo congruit, ac proinde textus hebræus hoc loco corruptus non est. Hæc ad argumẽtum, nunc ad Caluinum respondebimus. Ille non reijcit cõmunem hebraici textus lectionem: sed reprehendit impiam Iudæorum Interpretationem, quam illi ex detortis prophetæ verbis eliciunt, & vt res sit clarior, proponam ipsa Caluini verba in illum ipsum locum Esaiæ. *Quãquam*, inquit Caluinus, *actiuum est verbum quia tamen indefinitè capitur, non dubitaui reddere in neutro genere. Tantundem enim valet, ac si in plurali numero dixisset, vocabunt. Et nos Galli phrasin hanc imitamur*, on appellera. *Quod enim ad Deum referunt Iudæi, & legunt vno contextu*, vocabit nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater æternus, princeps pacis, *facilè apparet studio, vel potius libidine obscurandæ Christi gloriæ fieri. Ni enim nimis cupidè eum sua Deitate spoliare contenderent, optimè flueret cõtextus, sicut nostri reddunt, Deinde quorsum opus fuit Deum insignire istis Epithetis, si tantum hoc volebat propheta, Nomen ab eo impositum fuisse Messiæ. Nam epitheta, quibus ornari solet Deus, vel perpetua sunt, vel accõmodantur ad caussam præsentem, quorum neutrum hic agnoscere licet.* Deinde non erat hęc recta series inter diversa elogia

medium *Dei nomen inserere, sed continuo post verbum* יקרא *debuerat subjci, Deus fortis*, etc. Ex his manifestè apparet Caluinũ non cõtendere, in textu hebręo aliter legendum esse, quàm hodiè legatur: dicit enim apertè *verbum esse actiuum, & contextum optime fluere, & phrasin esse planè similem Gallica phrasi, qua dicitur, on appellera*: sed tantùm impudentem Iudæorum deprauationem refellere, illi enim dicunt יקרא esse verbum actiuum, ideo volũt omnia ista Epitheta, quæ sequuntur, non referri ad puerum, qui eiusmodi Epithetis dicitur esse ornatus, sed ad Deum patrem referri, qui sit *ille admirabilis, ille cõsiliarius, ille Deus fortis, ac potens ille pater seculi*, qui puero daturus sit nomen *principis pacis*. Et vt Christum Deitate spolient, spoliant eum omnibus Epithetis, quæ Spiritus S. ei tribuit. Hoc illud est, quod reprehendit Caluinus, & docet, etsi verbum vocandi sit actiuum, tamẽ pro more hebręis vsitatissimo sumi impersonaliter, ac proinde non dubitasse se id reddere in neutro genere. Tale igitur est Bellarmini argumentum,

Quicunque verbum actiuæ vocis vertunt indefinitè, seu neutraliter, illi fatẽtur textum hebraicum esse deprauatum. Sed Caluinus vertit verbum vocandi, quod est actiuæ vocis, neutraliter. Ergo textus hebræus etiam Caluini confessione corruptus est, & deprauatus.

Huius Maiorem falsam esse aut ipse Bellarminus non audebit negare, aut ostendet toti mundo se esse hebræi sermonis imperitum. Qui enim vel prima rudimenta Hebrææ linguæ attigerunt, illi sciunt hoc esse hebræis usitatissimum, vt verba impersonalia

vel

vel neutra exprimant per verba actiua, quandoque plurali, quandoq; singulari numero. Ita pro eo quod nos dicimus, *Quid agitur? luditur, dormitur*, illi dicunt, *Quid agit? Ludit, dormit.* vel *quid agunt? ludunt, dormiunt*, subaudiunt enim *homines* vel *quivis homo*, vel *Benoni eiusdem verbi*, nempe, *quid agit? sc. quivis agens, dormit, quivis dormiens, ludit, quivis ludens*, & hoc non solum Hebręis, sed omnibus penè gentibus vsitatum est. Ita Græci in plurali dicunt, *φασί*. Latini, *sic aiunt, ferunt*, sc. quivis homines, quod idem est, ac si dicas, *sic fertur*, Germanicè, *Man thuet*, Galli, *on fait*, q. d. *homo facit*, i. *fit a quolibet homine*. Idem in hebræa lingua sæpissimè fieri euicimus, cùm argumentum destrueremus. Et vt res sit clarior, adducam adhuc vnũ atque alterum exemplum de eodem verbo Genes. 16, 14. *Idcirco vocauit puteum viuentis, videntis me*. Illud etsi quidam vertunt, *propterea appellauit puteum*, quemadmodum habet vulgata versio, & Pagnini, tamen certum est, verbum appellandi non accipi hic actiuè, neque referri ad Agar, ponendum enim esset in fœminino genere, quemadmodum positum est versu præcedenti, vbi dixerat de Agar, *quod ipsa vocauerat* ותקרא (in fœminino) *nomen Domini*, qui loquebatur cum ea, *Tu Deus, qui vidisti me*: sed accipi neutraliter, seu impersonaliter. Ideo notat ibi Vatablus *Subaudiendum est*, inquiens, *is qui ei nomen indidit. Satis tritum est Hebræis verbum sic indefinitè accipi. Quo tamen sensus clarior sit, quidam in passiuum resoluunt, vocatus est*. Ex his perspicuum est, eos qui ita resoluũt, non propterea fateri textum hebręum esse corruptũ. Sed clarè exprimere latinè, quod clarè significat

ficat phrasis hebręa. Planè eodem modo Gen. 19, 22 textus hebręu. habet, *propterea vocauit nomen ciuitatis Soar*, vbi vulgata legit. *Idcirco vocatum est nomen vrbis illius Segor*. & cap. 21, 31. Hebræus textus habet, *Ideo vocauit locum illum Berseba*, vulgata autem legit, *Idco vocatus est locus ille Bersabee*. Huiusmodi exempla passim occurrunt, grauiter igitur impingit Bellarminus, dum dicit Caluinum contendisse in hebræo legendum esse יִקְרָא passiuè, & non, יִקְרָא actiuè, proptereà quòd maluerit ad clariorem intellectũ, & ad præripiendam Iudæis occasionem calumniandi, resoluere neutrum verbum in vocem passiuam, vt solent Latini resoluere, & ob eam caussam falsum est, quod asserit textum hebręum etiam Caluini confessione corruptum esse. Secundũ argumentum, Quia Caluinus lib. 1. Iustitut. cap. 13. §. 9. locum Ieremiæ cap. 23. v. 6. vertit. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum*, cùm in hebræo sit יִקְרְאוֹ *vocabit eum*. Est enim numerus singularis. Argumentum tale,

Quicunque interpretando Hebraica resoluunt verbum singulare, quod potest accipi neutraliter, in plurale, & pro *vocabit eum* sc. *vocans*, vertunt *vocabunt eum* phrasi Latinis vsitata, illi fatentur textum hebraicum esse deprauatum. Sed Caluinus ita resoluit verbum יִקְרְאוֹ *vocabit eum*, & pro eo vertit *vocabunt eum*. Ergo textus hebræus etiam Caluini confessione est deprauatus.

Miror nisi Bellarminum horum argumentorum pudeat. Nos respondemus Maiorem esse falsam. Caluini enim Interpretatio, vt ante dictum est, non est regula

regula authenticæ veritatis in textu hebræo. Et ob eam caussam hæc & similia argumenta ridicula sunt, & indigna ad quæ respōdeatur. Deinde Bellarminus hic ostendit non ferendam sophisticandi libidinem. Siue enim pluraliter vertas verba actiuæ vocis indefinitè posita, siue ea vertas singulariter per vocem passiuam, eòdem res redit. Hoc enim nihil aliud est, quàm phrasin hebraicam hebræis vsitatam, reddere alia phrasi, quæ Latinis sit vsitata. Ad Minorem dicimus hanc Interpretationem non esse Caluini. Antè eum enim vetus Interpres vertit *vocabunt*. Idem facit Pagninus. Hos imitatur Caluinus. Deinde hæc Interpretatio cum hebræo textu optimè congruit, pręcedit enim nomē collectiuum ישראל cum quo verbum plurale & singulare rectè iungi potest. Israël enim ponitur pro toto populo Iudaico, vel saltem pro 10. tribubus, quæ peculiariter Israël vocabantur. Hanc ob caussam Hieronymus vertit *Vocabunt eum*, & *vocabit eum*. In Ierem. ad dictum locum. Similia loca passim occurrunt in sacris & prophanis literis, Genes. 1. versu 26. *Faciamus hominem, vt dominentur piscibus maris*, cùm tamen homo sit singularis numeri. Non errant igitur, qui in singulari numero vertunt *Vocabit*, neque errant, qui in plurali vertunt *Vocabunt*. Sensus enim est idem, vtraque enim Interpretatio orthodoxa, & cum hebręo textu congruit. Manifestum igitur textum hebræum hoc loco corruptum non esse. Tertium Argumentum, Quia Paulus ad Rom. 10, 19. vertit, *In omnem terram exiuit sonus eorum*, cùm tamen in hebręo sit קוָם *linea eorum* Psal. 19,5. Argumentum tale, Qui-

Quicunque locus veteris Testamenti à Pauli explicatione discrepat, ille est deprauatus. Sed hic locus Psal. 19, 5. à Pauli explicatione discrepat, Ergo textus hebræus hoc loco deprauatus est.

Maiorem concedimus esse veram. Quicunque n. locus rectè intellectus à Pauli explicatione discrepat, is citra controversiam est malus, & deprauatus. Sed Minorem nunquam probabit Bellarminus. Nos autem eam disertè negamus. Apostoli enim verba à Dauidis non discrepant. Nam cùm Paulus doceret Gentiles electos esse, regerebant Iudæi, hoc verum non esse, Gentiles enim non esse vocatos. Sed hoc Paulus negat. Docet enim sonum eorum *cælorum* in vniversam terram exiuisse, h.e. vniversam cælorum fabricam fuisse illis magistram, vel quod idem est, eos iam à creatione mundi, per visibilem cælorum structuram, ad inuisibilem Deum colendum vocatos esse. At idem docet Dauid, dicit enim *cælos enarrare gloriam Dei*, hoc autem fieri, cùm *linea & verba cælorum in vniuersam terram exiuerũt*, quod nihil aliud est, quàm vniuersas gẽtes per visibilem cœlorum fabricam, ad inuisibilem Deum vocatos esse. At tamen, inquis, Dauid dixit, *Linea eorum*, & Paulus dixit, *Sonus eorũ.* Ad hoc respondeo, primùm, Apostolos in citandis scripturarum téstimonijs magis de legitimo sensu, quàm de verbis fuisse sollicitos. *Origen. in Epist. ad Rom. lib. 3. Hieron. lib. 3. in Esaiam cap. 7. Et in Præfat. libr. 16. in Esaiam, & ad Algasiam Quæst. 2. Et ad Pammachiũ in libello de optimo genere interpretandi,* vbi hanc materiam ex professo tractat, & multis exẽplis illustrat. Deinde *cælorum linea* est *ocularis vox* siue *sonus*

nus calorum.Paulus igitur vel eandem vocem expresſit, vel effecto tribuit, quod Dauid cauſſæ tribuerat, idque manente eodem ſenſu & ſententia. Manifeſtum igitur, & hoc loco textum hebræum corruptum non eſſe. Quartum argumentum, Quia in omnibus Græcis & Latinis libris legitur, *Foderunt manus meas, & pedes meos*. Pſalm. 22. 17. Cùm tamen in hebræo ſit כארי *Sicut Leo*. Argumentum tale,

Quando Græci & Latini codices vnanimiter ab Hebræo textu diſcrepant, tum hebræus textus eſt corruptus. Sed in Pſal. 22. v. 17. omnes codices Latini & Græci ab hebræo textu vnanimiter diſcrepant. Ergo hebræus textus hoc loco eſt corruptus.

Reſpondeo Maiorem eſſe falſam. Græcorum enim & Latinorum librorum conſenſus non eſt regula authenticæ veritatis in textu hebræo. Omnes enim Græci & Latini libri (loquor de Interpretationibus vulgatis) dicunt arcam conſtitiſſe *27. die Menſis ſeptimi*, cùm tamen hebræi rectè dicant, hoc factum eſſe *17 die menſis eiuſdem*, Geneſ. 8. 4. Cuiuſmodi exempla plura colligi poſſunt. Ex ijs tamen non ſequitur, libros hebræos, ſed Græcos & Latinos deprauatos eſſe. Nam cùm numeri in Heb. Græcis & Latinis libris diſcrepant, tum hebræos ſequi debemus. *August. de Ciuit. Dei lib. 5. cap. 11. & lib. 18. cap. 44.* Sed neque Minor vera eſt. Quidam enim libri habent duas lectiones. Vnam כארי, alteram כארו, & ſunt, qui dicunt ſe vidiſſe libros, in quibus tantum כארו ſcriptũ erat. *Pet. Galat. lib. 1. cap. 8. & lib. 8. cap. 17. Mullerus in dictum locum, Andrada lib. 4. pro concil. Trident. Ioan.*

Iſaac

Isaac lib. 2. *cont. Lindanum. Pagninus & Vatablus ad dictum locum*. Deinde Masoritæ monent legendum esse כארו, & si quis legit כארי, docent illud in genuina significatione accipiendum non esse. *Tremell. & Iunius in Psalm.* 22.17. *Bellarminus de verbo Dei, lib.* 2. *cap.* 2. Quam ob caussam Hieronymus legens כארו vertit, *foderunt*, & Paraphrastes Chald. vtramque lectionem coniunxit. Quod autem in כארו Aleph abundat, nouum non est. Verba enim in quibus *media quiescit*, solent aliquando Aleph adsciscere, vt קאם Ozeæ cap. 10, 14. Et ראמה Zachariæ 14. 10. *Muller. in Psal.* 22.17. Postremò si illud est corruptum, in quo duplex est lectio, tum sequetur nullum penè versum in vulgata Editione esse integrũ, Nam vt Biblia nunc sunt à Louaniensibus edita, nullus penè versus est, in quo non sit adnotata lectionis varietas. Ex his manifestum est, hebræum textum hoc loco corruptum non esse. Quintũ argumentũ, Quia Exod. 2. post versum 22. in Græcis & Latinis exemplaribus legitur integer versus, qui non est in hebræis, nempe, *alium quoq; genuit, et vocauit nomen eius Eleezar, dicens, Deus patris mei auxiliatus est mihi, & liberauit me de manu Pharaonis*. Argumentum tale,

Quicunque libri non habent omnia quæ sunt in Græcis & Latinis libris, illi sunt deprauati. Sed Hebręi non habent omnia, quę sunt in Gręcis & Latinis libris. Ergo hebræi libri sunt corrupti & deprauati.

Sed iam ante respondimus Latinos & Græcos libros non esse regulam authenticæ veritatis in textu hebræo. Deinde æquè facile est ad Græcos & Lati-

nos

nos libros addere, quàm ab Hebræis detrahere. Nisi igitur Bellarminus ostẽdat, Hebræos libros mutilatos esse, frustrà laborat. Deinde & Minor falsa est. Caietanus enim doctissimus papista & Cardinalis, dicit *istum versum esse supervacuum*. Est igitur fallacia consequentis. Non enim sequitur hebræos libros, qui eum non habent, esse mutilatos, sed sequitur ad Græcos & Latinos libros adulterinum aliquod appositum esse. Hoc Caietani iudiciũ verum est, Editio enim Roberti Stephani in Fol. eum non agnoscit: Libri item Louanienses notant eum asterisco. Manifestum igitur libros hebræos hoc loco corruptos non esse. Et cùm Bellarminus alia argumenta non habeat, quibus ostendat libros hebræos esse deprauatos; & illa omnia vel falsa sint vel nihil concludant: sequitur falsum esse quod docet hebræos corruptos esse. Aut si hoc nõ concedit, negare non potest, quin reliqua omnia (loquor ex hypothesi) his quinq; locis exceptis, sint integra, sana & incorrupta, ac proinde sint regula & norma fidei.

CAPVT III.

Hebræam Editionem esse authenticam.

BEllarmini argumentis contra Hebræam editionem refutatis, sequitur vt immotis argumentis ostendamus textum hebræum in Veteri Testamento esse authenticum. Primum argumentum, Quia hebręus textus ante ætatem Christi, & post eam vsq; ad concilium Tridentinum fuit authenticus.

Quæ Editio ante ætatem Christi, & post eam, vsque ad concilium Tridentinum fuit authenti-

ca, ea & nunc eſt authentica. Sed hebræa editio ante ætatem Chriſti, & poſt eam vſq; ad concilium Tridentinum fuit authentica. Ergo hebræa editio & nunc eſt authentica.

Maiorem aduerſarij, volũt nolũt, coguntur cõcedere, niſi probent veteris Teſtamenti editionem eſſe deprauatã, & Latinam, quam volunt ipſi ſubſtituere, eſſe ea integriorem. Vel quod idem eſt, eſſe eam Latina corruptiorem. Hoc equidem aliqui impudentes monachi aſſerere non erubeſcunt, ſed qui inter eos modeſtiores ſunt, vt Arias, Sixtus Senẽſis, Eugubinus, Steuchus, Caietanus, Mercerus, Vatablus, Pagninus, Bellarminus, & alij hoc iure improbant, & illorum argumenta doctè refutant. Sed inter hos etiam eſt aliqua diſcrepãtia. Arias n. Vatablus, Pagninus, Caietanus, & alij volunt hebræam Editionem eſſe prorſus incorruptam. Bellarminus verò aſſerit eam non prorſus incorruptã eſſe, ſed non adeò curruptam, vt Lindanus, Canus & alij volunt, interea ita corruptam eſſe dicit, vt non poſsit eſſe authentica. Nos eam corruptam eſſe prorſus negamus. Nam ante ætatem Chriſti corrupta non eſt, Ioſephus n. lib. 1 Cont. Appion. docet Iudæos tanta fide conſeruaſse S. Scripturam, vt maluerint mortem oppetere, quàm quidquã in ea immutare. *Nam cùm tot*, inquit, *ſecula interceſserint, nemo tamen quicquam addere, vel auferre, vel permutare auſus fuit, omnibus enim noſtræ gentis hominibus inſita quodammodo atque ingenita fides eſt, credere hæc Dei eſſe conſulta, & his acquieſcere, ac pro ipſis, ſi ita res popoſcerit, libenter animam ponere.* Idem ijſdem verbis docet Euſeb. *lib. 3. Eccles. Hiſt. cap. 10.* Idem Euſebius

bius ex Philone, *Mirabile*, inquit, *mihi videtur duobus annorum millibus, imò maiore tempore iam ferè transacto, nec verbum vnum in lege illius esse immutatum, sed centies vnusquisq; Iudæorum morietur, quàm legi Mosaicæ derogabit*. lib. 8. pręparat. Euāg. cap. 2. Deinde si Iudæi adulterassent Scripturam āte tempus Christi, Christus & apostoli tam nefarium flagitium non dissimulassent. ad eorum enim officium pertinebat, talia flagitia patefacere. At Christus & apostoli nunquam accusarunt Iudæos adulteratæ scripturæ. Denique si Iudæi ante ætatem Christi adulterassent scripturam, Christus & apostoli nō monuissēt suos auditores vt scripturā legerēt. At Christus & apostoli monuerūt eos vt scripturam eo tempore vsitatam legerent, Ioan. 5. 39, *Scrutamini scripturas*. Luc. 16, 29. *Habent Mosen & prophetas, audiant eos*. Præterea si Iudæi adulterassent scripturā ante ætatem Christi, Christus & apostoli ex ea suam doctrinam non pbassent. At Christus & apostoli passim ex ea suam doctrinam probāt Act. 28, 33. *Suadens eis, quæ de Iesu Christo sūt ex lege Mosis & prophetis, à manè vsq; ad vesperam*. Et Luc. 24. 27. *Et incipiens a Mose & ab omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnib. scripturis, quæ de se scripta erant*. Deinde si Iudæi ante Christum adulterassent scripturam, tum Paulus non dixisset, *se credere omnibus istis, quæ sunt in Mose & prophetis*, Act. 24. 14. Postremò, si scriptura āte Christi ætatem fuit adulterata, tum tota doctrina Noui Testamenti est falsa. Paulus enim disertè dicit, *Se nihil dicere extra ea, quæ sunt in Mose, & prophetis*, Act. 26. 22. Ex his & similibus euidenter concludo scripturam ante ætatem Christi non fuisse corruptā. Sed

neque post ætatem Christi corrupta est. Philo enim & Iosephus suum testimonium supra allegatum protulerunt post Christi ætatem. Eusebius claruit anno domini 320. Ille suo tempore in communi Ecclesiæ historia testatur hebræam editionem esse incorruptam. Idem testatur Origenes apud Hieronymum in 6. caput Ezaiæ. *Quod si*, inquit, *aliquis dixerit Hebræos libros postea à Iudæis esse falsatos: audiat Originem, quid in octauo Volumine Explanationum Ezaiæ, huic respondeat quæstiunculæ, Quod nunquam dominus & apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerint post aduentum domini Saluatoris, & prædicationem apostolorum, libros hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, vt saluator & Euangelistæ, & apostoli ita testimonia protulerunt, vt Iudæi postea falsaturi erant.* Idem docet Augustinus de Ciuitat. Dei lib. 15. cap. 13. *vbi si*, inquit, *quæram, quid sit credibilius, Iudæorum gentem tam longè latéq; diffusam, in hoc conscribendum mendacium vno consilio conspirare potuisse; & dum alijs inuideant auctoritatem, sibi abstulisse veritatem.* Et paulò post, *Sed absit*, inquit, *vt prudens quispiam, vel Iudæos cuiuslibet peruersitatis atq; malitiæ tantum potuisse credat, in codicibus tam multis, & tam longè latéq; dispersis.* Simile est in lib. 12. con. Faustum Manichæũ cap. 23. *Quid est enim*, inquit, *aliud hodiè gens ipsa, nisi quædam scriniaria Christianorum, baiulans legem & prophetas in testimonium Adsertionis Ecclesiæ.* Idem de Ciuitat. Dei lib. 18. cap. 46. *Nobis quidem illa*, inquit, *sufficiunt, quæ de nostrorum inimicorum codicibus proferuntur, quos agnoscimus propter hoc testimonium, quod nobis inuiti perhibent,*

bent eosdem codices habendo atq; conseruando, per oẽs gentes etiam ipsos esse dispersos. Et in Psal. 56. *Propterea autem*, inquit, *adhuc Iudæi sunt, vt libros nostros portent ad confusionem suam. quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus paganis istas litteras. Et ne fortè dicant duri ad fidem, quia nos illas Christiani composuimus, vt cum Euangelio, quod prædicamus, finxerimus prophetas, per quos prædictum videretur, quod prædicamus, hinc eos conuincimus, quia omnes istæ litteræ, quibus Christus prophetatus est, apud Iudæos sunt, omnes istas litteras habent Iudæi. Proferimus codices ab inimicis, vt confundamus alios inimicos, codicem portat Iudeus, vnde credit Christianus, librarij nostri facti sunt* &c. Simile extat apud Augustinum *in Psalm. 39*. Hæc & similia non dixisset Augustinus, si libros hebræos iudicasset esse deprauatos. Deinde Iudęi à tempore Christi vsq; ad hanc ætatem, tanta religione conseruant codicem S. Scripturæ, vt *ieiunium indicent, si ille in terram ceciderit*, Testis Ioannes Isaac *cont. Lindanum de optimo genere interpretandi, & Bellarm. lib. 2. de Verb. Dei. cap. 2.* Ergo non est credibile eos voluisse sacrã scripturã falsare. Praetereà si Iudęi scripturam adulterare voluissent, tamen nõ potuissent. Libri enim erant per vniuersum orbem terrarum dispersi, Ergo in vnum conferri, & tanto consensu adulterari non potuerũt. Si quis tamen hoc fieri potuisse pertinaciter contendat, ille sciat libros hebræos non tantùm fuisse in potestate Iudæorum, sed etiam in potestate Christianorum. At Christiani nunquam tolerassent libros hebræos, qui sunt fundamentum vitæ & fidei, adulterari. Adde si Iudæi voluissent S. Scripturam adul-

terare, sanè adulterassent ea loca, quę de Christo contra eos adduci possunt. Sed ea non adulterârunt. Illa enim omnia sunt multò illustriora in hebræis libris, quàm in latinis. Huc accedit, omnia loca Veteris Testam. quæ ab apostolis in Nouo Testam. citantur, ita adhuc in Veteri Testamento legi, atque ab apostolis in Nouo Testamento citata sunt. Ex his & similibus argumentis, quæ ipse Bellarminus probat, concludo hebræam editionem post ætatem Christi corruptam non esse. Et ne quis dicat hæc vsque ad Augustini & Hieronymi ætatem ita quidem fuisse, post eam verò ætatem hebræā editionem esse à Iudæis deprauatam, manifestum est, nunc omnia eodē modo legi, atque tempore Hieronymi legebantur, & ab eo versa extant. Testis etiam ipse Bellarminus *lib. 2. de Verb. Dei cap. 2.* & communis omnium doctorum sententia. Cùm igitur scriptura hebræa neq; ante ætatem Christi, neque post eam corrupta sit, euidenter concludo, eam nunc authenticam esse debere, vt in Veteri Ecclesia erat. Hæc de Maiore, nunc ad Minorem, quæ est eiusmodi, Hebræa editio ante ætatem Christi, & post eam fuit authentica vsque ad Trident. Concilium. Eam ante ætatem Christi authenticam fuisse extra controversiam pono, tempore item Christi eam fuisse authenticam, æquè certum est. Sed & post ætatem Christi fuit authentica. Omnes enim translationes ad eam examinabātur, & eatenus recipiebantur; quatenus cum hebræo textu congruebant. Hieronimus n. ad Suniam & Phretellam, *sicut autem*, inquit, *in Nouo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas,*

rietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo nouum scriptum est Instrumentũ: ita in veteri Testamento, si quãdo inter Græcos Latinosq́ diuersitas est, ad hebraicam recurrimus veritatem. Idem in.8. caput Zachariæ, *Cogimur ad hebræos,* inquit, *recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis, quàm de riuulis quærere.* Quod adeo Gratiano placuit, vt illud inter decreta retulerit, *Distinct. 76. cap. Ieiunium.* Idem Hieronymus in Epist. ad Vitalem dicit se *ad hebræam veritatem tanquam ad arcem confugere.* August. lib. 2. de doct. Christ. cap. 11. *Latinæ linguæ homines,* inquit, *hebrææ & græcæ linguæ cognitione opus habent, vt ad exemplaria præcedentia recurrant, siquam dubitationem intulerit latinorum interpretum infinita varietas.* Gratianus affirmat *hebrea volumina impendere libris veterum auctoritatem,* Distinc. 9. C. vt veterum. *Vt veterum,* inquit, *librorum fides de hebræis voluminibus examinanda est, ita nouorum veritas græci sermonis normam desiderat.* Hoc docet ipsa natura. Nam vt docet Glossa ad dictum locum, *quantumcunque authẽticum sit aliquid, si tamen de ipso in dubium aliquid reuocetur, semper exhibendum sit illud, à quo originem ducit.* Ex his & similibus colligo hebręam editionem ab ætate Christi vsq; ad Tridẽtinum concilium semper fuisse authenticam. Illa enim decreta, secundum papistas, vim legum habent, & non sunt ante conciliũ Tridentinũ antiquata. Manifestum igitur, textũ hebræum vsque ad concilium Tridentinum authenticum fuisse, & proinde nunc etiam authenticum esse debere. si quis hîc pertinaciùs resistit, illum admoneo, vt consideret quid sit Mahometo responsurus, qui dicit se ꝓptereà vetus testamentũ reijcere, quod

ſit à Iudæis deprauatum, & nouum, quod illud ſit adulteratum à chriſtianis. Deinde Bellarminus tantùm quinque loca adducere potuit, quæ licet immeritò deprauata eſſe exiſtimat, vt oſtendi, tamen inde etiam illo iudice ſequitur, reliqua omnia eſſe incorrupta, ac proinde authentica. Secundum argumentum, Quia in *verſionib. ambiguis, malè deſcriptis, & non iuſtam verborum vim exprimentibus, ad editionem hebream tanquam ad iudicem recurrere debemus.*

Ad quam Editionem in verſionib. ambiguis, malè deſcriptis, diſcrepantibus, & non iuſtam verborum vim exprimentibus, tanquam ad iudicem recurrere debemus, illa eſt authentica. Sed in Veteri Teſtamento hebræa eſt illa, ad quam in illis quatuor caſibus, tanquam ad iudicem recurrere debemus. Ergo in veteri Teſtamento hebræa eſt authentica.

Maior citra omnem cõtrouerſiá vera eſt. Ad quod enim exempla deprauata corrigere debemus, illud authenticum eſſe neceſſe eſt. Minorem ponit Bellarminus, eamque multis exemplis probat, quæ omnia ad quatuor claſſes à Bellarmino referuntur. Prima claſsis, *cùm in Vulgata editione eſt error librarij*. Secunda, *quando codices Latini variant*. Tertia, *quando verba & ſententia in latinis verſionibus ſunt ambigua*. Quarta *quando vis hebræorum verborum non eſt ſatis expreſſa*. His quatuor caſibus docet Bellarminus ad hebræũ textum, tanquam *ad iudicem* recurrendum eſſe. Primi generis exemplum ponit hoc, Pſal. 42, 3. *Ad Deũ fontem viuum.* Legi debet fortem viuum. Nam in hebræo eſt לאל. Secundi generis ponit hoc exemplũ,

Ioſ.

Ios.5. *Quibus iurauit, vt ostēderet eis terram fluentē lacte & melle.* Legi debet, *vt non ostenderet.* In hebræo enim est particula negandi. Tertij generis ponit exemplū hoc, Genes.3. *maledicta est terra in opere tuo.* Hoc est ambiguum. Potest enim intelligi de *opere præterito*, & de *opere futuro*. Sed in hebræo est בעבורך quod caret prorsus omni ambiguitate. Quarti generis exemplum est hoc, Psal.138, *Mirabilis facta est scientia tua à me.* Vis hebræi sermonis est, *scientiam Dei esse admirabiliorem, quàm vt homo eam capere possit.* Canus lib. 2. de locis Theolog. cap.15. Et Georgius Wicelius in censura VVittembergicæ bibliorum editionis in præfatione, multo plura enumerant. Cùm igitur in deprauatis latinis versionibus ad hebræum textum tanquam ad iudicem recurrere debeamus, sequitur hebræum textum esse incorruptum, ac proinde authenticum. Hoc loco non possum præterire, quin ostendam Hebræam editionem esse Latina vulgata puriorem. Nam illa editio, ad quam vulgata debet corrigi, illa est purior, Sed hebrea est illa, *testib. Bellarmino & Cano*, ad quam vulgata debet corrigi. Ergo hebrea est purior, quàm vulgata. Maiorem nisi Bellarminus concedat, sequitur eos vulgatam versionē magis deprauare, quàm corrigere. Illud enim quod bonum est, mutare ad illud, quod deprauatum est, non est corrigere, sed errores cumulare. Minorem posui ex Bellarmino. Cùm igitur hebræa editio sit purior, quàm Vulgata Latina, fieri non potest, nisi cum summo scelere, vt authentica auctoritas dematur hebrææ editioni, & transferatur in Vulgatam Latinam. deinde lib.1. cap. 10. dixisti Bellarmine

Chemnitium impudenter calumniari, dum dicit papistas facere libros canonicos, non canonicos; & contra ex non canonicis facere canonicos. Atque hîc doces Hebræam editionem, quæ usque ad Concilium Trident. fuit authentica, nunc non esse authenticam. Sed hoc est librum canonicum, facere non canonicum. canonicum enim & authenticum idem. Librum item canonicum facere non canonicum, & eius authenticam auctoritatem facere non authenticam, idem est. Aut igitur verũ dixit Chemnitius, & tu eum immeritò calumnię insimulas; aut falsum est, quod dicis hebręam editionẽ non esse authenticam. Deinde est & alia cõtradictionis implicatio. Hebræam n. editionem esse corruptam, ac non esse authenticam, & Latinam esse authẽticam, & tamen debere ex Hebræa emẽdari, simul vera esse non possunt. Nam aut Latina editio ex hebræo emẽdanda non est, aut Latina editio non est authẽtica. Quod n. corruptum est, atq; ex alio emẽdari debet, hoc nõ est authenticũ. Vel, quod idẽ est, Hebræa editio est authentica, vel non est illa, ex qua Latina emendari debet. Hieronymus in lib. cont. Heluidium, *multo purior est fontis vnda, quàm riui.* Tertium argumentum. Quia *Deus exstruxit Ecclesiã suam supra doctrinam prophetarum & apostolorum.* Nũ igitur patietur fundamentum, in quo Ecclesia fundata est, corrumpi & adulterari? aut si ipsum fundamentum corruptum & adulteratum est, quomodo ædificiũ stabit? Deinde si omnino vis hebræam editionem corruptam esse, doce quo tempore, & à quibus corrupta sit, & hærebis. Cùm igitur Vetus Testamentum hebraicum corruptum non sit, & an-

te ætatem Christi, & post eam vsque ad Concilium Tridentinum fuerit authenticũ, cùm denique omnes versiones ad illud emendari debeant, & fieri non posſit, vt Ecclesię fundamentum corrumpatur, neq; Bellarminus docere posſit, quo tempore & à quibus ſit corruptũ: manifeſtum eſt, illud hoc tempore incorruptum, ac proinde authenticum eſſe.

CAPVT IV.

Vulgatam verſionem non eſſe purè Hieronymi, & ipſam Hieronymi verſionem non fuiſſe authenticam in Eccleſia.

HEbræam editionẽ Veteris Teſtamenti eſſe authenticam, oſtendimus capite ſuperiore: nunc de auctore Vulgatæ verſionis, & eius auctoritate diſſeremus. Hæc Diſputatio eſt prorſus inutilis, & ſuperuacua. Siue enim ſit Hieronymi, ſiue non ſit, perinde eſt. Sed quia Bellarminus ea de re diſputationem inſtituit, & ab Hieronymi auctoritate quædam argumenta ducit, cogimur hanc rem paulo diligentius excutere. De auctore huius verſionis ita variant aduerſarij, vt penè tot ſint ſententię quot ſunt capita. Santes enim Pagninus cum alijs quibuſdam negat eam eſſe Hieronymi, *in præfatione ſuæ verſionis ad Clementem.* Auguſtinus verò, Eugubinus, & Ioannes Picus in libris de hac re editis, aſſerunt eam eſſe Hieronymi. Driedo li. 2. cap. 1. & Sixtus Senenſis lib. 8. Bibliothecæ neutram ſentẽtiam probant: dicũt n. eam ex Hieronymi & aliorum verſionib. mixtam eſſe. Sed neque hæc ſententia placet Bellarmino. Nam ille aliquos libros vult eſſe ex Hieronymi tranſlatione, aliquos

quos non. *Ecclesiasticum, Psalmos, Sapientiam & Machabaicos* non vult esse ex versione Hieronymi. Reliquos autem omnes libros Veteris Testamenti, asserit esse ex Translatione Hieronymi. Cùm igitur hæc quæstio ipsis etiam aduersarijs confitentibus adeo sit incerta, vt nihil certi definiri possit, melius fecisset Bellarminus, si illam inter principia nõn tractasset. Illa enim debent esse certa & immutabiliter vera, vt antè ostendimus. Et multo peius facit, dum ab auctoritate Hieronymi, & à commendationib. Hieronymianæ versionis contra nos argumenta ducit. Quæ enim controversa sunt, non possunt, neque debent ab altera parte pro probationib. sumi, multo minus pro principijs allegari. Et quod ad auctorem attinet, non possumus definire, quem auctorem habeat vetus translatio. tamen probare possumus, eum non esse Hieronymum. Hieronymus enim non tantum erat linguæ Latinæ peritissimus, Sed etiam purissimè & Latinissimè scribebat. Hæc autem vulgata interpretatio est sæpè barbara. Cuius rei priusquam exempla subijciamus, protestamur nos simplicitatẽ sermonis non contemnere: veneramur enim eam, & colimus. Et ob eam causam non loquimur de simplicitate sermonis, sed de manifesta barbarie, quam Hieronymus ad Paulinũ *vitium* esse asserit. Exempla ex multis pauca adferemus, Genes. 1. 5. *factúmque est vespere & manè dies vnus*, qui barbarismus iteratus est sexies in eodem capite. At Latini non dicunt *dies factum est*, sed dies *factus* vel *facta* est. Genes. cap. 2. v. 4. *ista sunt generationes cæli & terræ, quãdo create sunt*. Illud *create* refertur ad cælum & terram. At quis vnquam

quam fãdo audiuit in latina lingua duobus vel pluribus ſubſtantiuis, ſubijci nomen adiectiuum plurale in fœminino genere? Genes.2.5.*Et homo non erat, qui operaretur terram.* Quid ſit,*homo operatur terra*, ignorat Latiũ. Eodem cap.v. 15. dicit hominem in paradyſum poſitum eſſe, *vt operaretur eam.* Bis terque quod pulchrum eſt. Eodem cap. v. 18.*faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*, neque ſenſum expreſsit, & ipſa dictio eſt inſulſa.Eod. cap.v.19.*formatis igitur dominus Deus de humo cunctis animantibus terra, & vniverſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam.* Hieronymum ita loquutum eſſe, credat qui volet. Eod. cap. v.20. *Ada verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius.* Hoc ante dixit *adiutorium ſimile ſibi.* Vtrumque æquè venuſtum.Genes.3.15.*ponam inimicitiam inter ſemen tuũ, & ſemen mulieris, & ipſe conteret tibi caput.* Ad hunc locũ excuſandum valdè laborat Lucas Brugenſ.Et tãdem concluditGrãmaticam,& ipſam rationem poſtulare, vt legatur *ipſum*, eſt n.relatiuum *ſeminis*.Geneſ.4,22. *malleator & faber in cuncta opera æris et ferri.* Gen.7,15. *ingreſſa ſunt ad Noë in arcam bina & bina.* Hieronym. dixiſſet *advenerunt*, ſive *ingreſſa ſunt*.Gen. 13,11.*diviſiq́; ſunt alterutrum à fratre ſuo.* Hieronymus dixiſſet, diviſi ſunt alter ab altero. Matth.17.19.*quare nos non potuimus eijcere illum?* Hieronymus dixiſſet, *illud*, refertur enim ad *dæmonium.* Iohan.7.12.*murmur multus.* Hieron.dixiſſet,*multum*.vide Eraſmum. Iohã.14,12.*maiora horum faciet.* Hieronym.dixiſſet, *maiora his.* Vide Vallam. Act.8.2.*erant autem viri timerati*, vox ignota in Latio. Act.8.36.*vade contra meridianum*, Hieronymus dixiſſet,*vade verſus meridiem.*

1,Cor.2.14.*Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus, stultitia n. est ei.* Hiero. dixisset, *sunt ei.* Et 1.cor.6. 19.*membra vestra templũ est Spiritus S.* Hiero. dixisset, *membra vestra sunt templũ Spiritus s.* Valla ad hũc locũ. *Etsi gracè est numeri singularis, tamen transferendum fuisse pluraliter, templum sunt, quia suppositum plurale est, neque enim nobis idem licet, quod gracis.* Huiusmodi exempla possem innumera colligere. Sed satis est ostendisse hanc Interpretationem esse barbaram, & sæpè per grammaticam tolerari non posse. Num verò Hieronymus tam fuerit imperitus Latini sermonis, vt prima eius elementa ignorârit, viderint illi, qui hanc versionem Hieronymi esse, tam pertinaciter defendunt. Deinde Hieronymus palam gloriatur, se ita vertisse S. Biblia, vt cum hebræa veritate maximè congruerent. Præfat. in Pentateuch. *Sicubi,* inquit, *in Translatione videor errare, interroga hebræos, diversarum vrbium magistros consule.* Et Præfat. in libros Regum. *Quanquam,* inquit, *mihi omnino conscius non sim, mutasse me quippiam de hebraica veritate.* Augusţ. de ciuit. Dei lib. 18. cap 43. *Ex Hebræo* (loquitur de Hieronymo) *in Latinum, diuinas litteras conuertit, cuius tantum literarum laborem hebræi fatentur esse veracem.* Idem penè dicit Gregorius lib. 20. Moral. cap. 25. Isidorus lib. 1. de diuinis officijs cap. 12. dicit *Hieronymi versionem esse veraciorem in sententijs, & clariorem in verbis.* Ex his testimonijs colligo Hieronymi versionem cum hebraica veritate fuisse congruentẽ. Sed hæc Vulgata translatio in omnibus penè capitibus, vel ad hebræam veritatem aliquid apponit, vel ab ea aliquid detrahit, vel in ea aliquid immutat.

Quod

Quod si probare potero, manifestũ erit, hanc translationem non esse Hieronymi. Ac primum de ea sæpè aliquid detrahit. Vt Genes. 2. 14. *Ipse vadit contra Assyrios*; deest, *ad Orientalem plagam*. Genes. 3. 6. *Aspectúque delectabile*, deest, *ad intelligendum*. Gen. 1. 30. *Vt habeant ad vescendum*, deest, *omne olus terræ*. Genes. 34. 29. deest, *Sed omnem substantiam deprædati sunt, & quicquid erat in domo*. Gene. 39. 6. deest, *Reliquit igitur omnia, quæ erant sibi, in manu Ioseph*. Genes. 49. 30. deest, *in spelunca, quæ est in agro Machpelach*. Ibidem vers. 32. deest, *emptio agri & speluncæ, quæ est in eo, à filijs Heth*. *Et* Genes. 41. 12, deest. *Interpretatus est nobis omnia nostra, singulis secundum somnium suum interpretatus est*. Et Exod. 26. 19. *Et quadraginta bases argenteas facies*, deest, *sub viginti tabulis*. Exod. 36. 12. deest, *quod quinquaginta laqueolos fecit in cortina vna, & quinquaginta laqueolos fecit in extremo cortinæ secundæ*. Exod. 39. post vers. 18. desunt, *fecerunt item duos annulos aureos, quos posuerunt in duabus extremitatibus pectoralis in ora eius, quæ erat in latere Ephod intrinsecus; fecerunt prætereà duos alios annulos aureos, quos posuerunt in duabus oris Ephod infernè à fronte ipsius, è regione coniunctionis eius, supra baltheum Ephod*. Exod. 20. post vers. 13. desunt. *Filios quoq; eius appropinquare facies & indues eos tunicis, vngesq; illos, quemadmodum vnxisti patrem eorum & sacerdotio fungentur mihi: eritq; vnctio illorum, vt sit eis in sacerdotium perpetuum per generationes*. Leuit. 15. post vers. 22. deest, *quod si instrumentum aliquod fuerit super stratum ipsum, vel super sellam, super quam sederit: cùm tetigerit illud aliquis, immũdus erit vsque ad vesperam*. Num. 15. post vers. 13. desunt. *Et cùm*

peregri-

peregrinatus fuerit peregrinus, aut quicunque est in medio vestri per generationes vestras, feceritq; oblationem ignitam odoris Iehouæ, quemadmodum facietis, sic faciet. O congregatio, statutum vnum erit vobis & peregrino, qui peregrinatur apud vos: statutum inquam perpetuum per generationes vestras: sicut vos, sic & peregrinus erit coram Iehoua. Lex, inquam, *vna, & norma vna erit vobis, & peregrino, qui peregrinatur apud vos.* Huiusmodi plura exempla possent colligi ex veteri testamēto. Sed hæc sufficiunt ad ostendendum, Veterem Interpretem sæpè detraxisse aliquid de textu hebræo. Deinde etiam sæpè apponit aliquid ad textum hebræum. vt Genes. 4.8. appositum est, *Egrediamur foràs*. Ibidem vers. 15. appositum est. *Nequaquam ita fiet*. Genes. 34. 30. appositum est, *quibus perpetratis audacter*. Genes. 27.33. appositum est, *& vltra quam credi potest, & mirans*. Exod. 27.8. appositum est, *non solidum, sed inane*. Psalm. 13. Post vers. 3. apposita sunt, *Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labijs eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, contritio & infœlicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos illorum.* Hęc esse addititia, & non esse hoc loco in hebræo testatur Hieronymus *præfat. in 16. librum Esaiæ. Et in psalm. 13.* Idem docet Origenes *in 3. cap. ad Rom.* Prouerb. 7. post vers. 1. additum est, *fili honora dominum, & valebis: præter eum verò ne timueris alienū.* Proverb. 9. post vers. 18. additū est, *Qui enim applicabitur illi, descendet ad inferos. nam qui abscesserit ab ea, saluabitur.* Prouerb. 10. post vers. 4. additum est, *Qui nititur*

mendacijs,

mendacijs hic pascit ventos, idem autem sequitur aues volantes. Prouerb. 12. post verſ. 11. additum eſt, *qui suauis eſt in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam.* Prouerb. 13. post verſ. 13. additum eſt, *animæ doloſæ errant in peccatis: iuſti autem misericordes ſunt, & miſerentur.* Prouerb. 14. post verſ. 15. additum eſt, *filio doloſo nihil erit boni, ſeruo autem ſapienti proſperi erunt actus, & dirigetur via eius.* Ibidem poſt verſ. 21. additum eſt, *qui credit in domino, miſericordiam diligit.* Prouerb. 15. poſt verſ. 5. additum eſt, *in abundanti iuſtitia virtus maxima eſt; cogitationes autem impiorum eradicabuntur.* Ibidem poſt verſ. 27. additum eſt. *Per miſericordiam & fidem purgantur peccata, per timorem autem domini declinat omnis a malo.* Prouerb. 16. poſt verſ. 5. additum eſt, *Initium viæ bonæ, facere iuſtitiam, accepta eſt autem apud Deum magis quàm immolare hoſtias.* Prouerb. 17. poſt verſ. 16. additum eſt, *Qui altam facit domum ſuam quærit ruinam, & qui euitat diſcere, incidet in mala.* Prouerb. 18. poſt verſ. 8. additum eſt, *Pigrum deijcit timor, animæ autem effœminatorum eſurient.* Ibid. poſt verſ. 22. additum eſt, *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt, & inſipiens.* Prouerb. 22. poſt verſ. 10. additum eſt, *victoriam & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipiẽtium.* Prouerb. 24. poſt verſ. 32. additum eſt, *Vſque quo piger dormies? vſquequo de ſomno conſurges?* Prouerb. 25. poſt verſ. 10. additum eſt, *Gratia & amicitia liberant, quas tibi ſerua, ne exprobrabilis fias.* Ibidem poſt verſ. 20. additum eſt, *Sicut Tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi.* Prouerb. 28. poſt verſ. 22. additum

ditum est, *Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam.* Prouerb. 29. post vers. 27. additum est, *Verbũ custodiens filius extra perditionem erit.* Huiusmodi multa exempla ex veteri Testamento colligi possunt. Sed hæc sufficiunt ad ostendendum, veterem Interpretem multa addidisse ad textum hebræum. Præterea vulgata translatio sententiam aliquandò prorsus peruertit; Genes. 8. 4. in hebræo est, *Et requieuit arca mense septimo, decima septima die mensis.* Vulgata autem dicit hoc factum esse *vicesima septima die mensis.* Genes. 37, 2. in hebræo est, *Iosephcùm natus esset septendecim annos, pascebat cum fratribus.* Vulgata autem dicit, *cùm esset annorum sedecim.* Genes. 41.21. in hebræo est, *& expergefactus sum.* Vulgata autem dicit, *Rursus sopore depressus.* Genes. 49, 24. in hebræo est, *roborauerúntque sese brachia manuum eius.* At in vulgata est, *& dissoluta sunt vincula brachiorum.* Exod. 27, 15. in hebræo est, *Lateri verò secundo quindecim cortinæ.* At vulgata dicit, *In latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim.* Michæ. 5, 2. in vulgata est, *& tu Bethlehem Ephrata paruula es in millibus Iuda.* At ex hebræo prorsus contrarius sensus colligi potest. Osiander in Harm. Euang. & Matthæus planè contrarium reddidit cap. 2. v. 6. Respondet Bellarminus *Matthæum legisse cum Interrogatione, paruula es?* hoc est, *nequaquam paruula es.* De verbo Dei lib. 2. cap. 12. in fine. Hoc etsi probabile videtur, tamen ita nõ legitur in vulgata Latina. Act. 8, 7. græcus textus habet, *spiritus enim impuri ex multis, qui eis tenebantur, exibant,* Vulgata autem versió dicit, *multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, exibãt.* Sententia

tia prorſus deprauata. Græca enim editio dicit *immundos Spiritus exiuiſſe*, at vulgata dicit *ipſos homines exiuiſſe*. Ad hunc locum notat Eraſmus, *Quod genus eſt illud, quod canitur in laudibus Deiparæ virginis. Cuius Dominus humilitatem reſpiciens angelo nũciante, concepit redemptorem mundi. Ex his verbis, quid aliud Latinus intelliget, quàm Dominum grauidum factum eſſe?* Huiuſmodi plura exẽpla poſſunt colligi ex veteri & N. teſtamento. Sed hæc ſufficiunt ad oſtendendum veterem interpretem ſæpè pervertiſſe ſententiam textus hebraici. Cùm igitur Hieronymi tranſlatio optimè congruerit cum textu hebręo; hęc verò vulgata multa detraxerit, multa etiam addiderit, & multa peruerterit, manifeſtum eſt, eam non eſſe Hieronymi. Argum. tale,

Hieronymi tranſlatio congruebat cum hebræo.
Vulgata Tranſlatio non congruit cum hebręo.
Ergo Vulgata Tranſlatio non eſt Hieronymi.

Maior eſt manifeſta ex teſtimonijs Auguſtini, Iſidori; ipſius Hieronymi & Gregorij ſuprà allegatis. Minor cõſtat ex exemplis ſuprà recitatis. Ergo concluſio falſa eſſe non poteſt. Deinde, illa quæ Hieronymus à ſe poſita eſſe contendit, ſæpè non inueniuntur in vulgata tranſlatione, vt Geneſ. 14, 13. habet vulgata, *nunciauit Abraham Hebræo*. At Hieronymus dicit ſe poſuiſſe *tranſitori*, Quæſtion. in Geneſ. Et Geneſ. 25. 18. Vulgata habet, *coram cunctis fratribus ſuis obijt*. Ad quem locum Hieronymus Quæſtionib. in Geneſ. *verius eſt*, inquit, *quod nos poſuimus, coram omnibus fratribus ſuis occubuit*. *Et* Geneſ. 30, 20. Vulgata habet, *etiam hac vice mecum erit maritus meus*. Ad

quem locum Hieronymus in Quęstionib. ad Genes. *vbi nos*, inquit, *posuimus, habitabit mecum*. Marc. 5, 41. legimus in vulgata, *Quod est interpretatum*. At Hieronymus dicit se legere, *quod interpretatur*, ad Pāmach. Ioā. 19, 37. legimus in Vulgata. *videbūt in quem transfixerunt*. at Hieronymus dicit iuxta hebraicam veritatem esse, *videbunt in quem compunxerunt*. Matth. 26, 31. Hieronymus legit, *dispergentur oues*, ad Pammach. at vulgata legit, *dispergentur oues gregis*. Mat. 2, 40. Hieronymus legit, *in propheta*, ad Pammach. at vulgata habet, *per prophetam*. Et vers. 5. Hieronymus legit. *ex te enim egredietur*, ad Pāmach. at vulgata habet, *ex te enim exiet*. Ibid. Hieronymus legit *in ducibus*, ad Pammach. at vulgata habet *in principibus*. Marc. 1. 1. Hieronymus legit, *principium Euangelij*, ad Pammach. at vulgata habet *initium Euangelij*. Ibidem vulgata legit, *filij Dei*, hoc Hieronymus non agnoscit, ad Pammach. Marc. 2, 25. Hieronymus legit, *& socij eius*, ad Pammach. at vulgata habet, *& qui cum eo erāt*. Ibidem Hieronymus legit, *quomodo ingressus domum Dei*, ad Pammach. at vulgata habet, *quomodo introiuit in domum*. Ibidem Hieronymus legit *sub Abiathar pontifice*, ad Pam. At vulgata habet *sub Abiathar principe sacerdotum*. Ibidem Hieronymus legit, *Panes propositionis comedit*, ad Pammach. at vulgata habet, *manducauit*, Ibidem Hieronymus legit, *quibus non licebat vesci*, ad Pammach. at vulgata habet, *manducare*. Ibidem Hieronymus legit, *nisi solis sacerdotibus*, ad Pammach. at vocem *solis* non agnoscit Vulgata. 1. cor. 2, 8. Hieronymus legit, *si enim cognouissent dominum gloriæ, non crucifixissent*, ad Pammach. at vulgata habet,

Si

Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. 1. Cor. 2, 9. Hieronymus legit, *quæ præparavit Deus diligentibus se*, ad Pammach. At vulgata habet, *quæ præparauit Deus, ijs, qui diligunt illum*. Esa. 11. 1. Hieronymus transtulit, *exiet virga de radice Iessæ*, ad Pammach. at vulgata legit, & *egredietur*. Huiusmodi plura exempla ex Hieronymi commentarijs, & alijs libris colligi possunt. Sed hęc sufficiunt ad ostendendum, multa esse in vulgata versione, quæ ab Hieronymo posita, & lecta non sunt, At

> Quæ versio non habet illa, quæ Hieronymus posuit, illa non est purè Hieronymi. Sed hæc vulgata versio non habet illa, quæ Hieronymus se posuisse dicit. Ergo hæc vulgata versio non est purè Hieronymi.

Maior est manifesta. Minor constat ex exemplis suprà allegatis. Manifestum igitur hanc versionem non esse Hieronymi. Et si maximè Hieronymi esset, tamen propterea non esset authentica. In quo enim quædam detracta sunt ex ijs, quæ sunt in Originali; & quædam addita sunt ad illa, quæ sunt in Originali; quędam item prorsus inuersa, & deprauata sunt, hoc authenticũ esse non potest. Sed in hac versione sunt quædam detracta, quædam addita, quædam inversa; ergo hæc versio authentica esse non potest. Hoc si Bellarmino sufficit, benè est, sin minus, dico idem, quod Hieronymus in Præfat. Iosuæ, *Cùm vnusquisque*, inquit, *pro arbitrio suo vel addiderit, vel detraxerit, quod ei visum est, utique non potest verum esse, quod dissonat*. Deinde Hieronymus sæpè errauit. Testatur hoc August. *Epist. 8. ad Hieronymum*, & ipse Hierony-

mus hoc fatetur in 19.cap. Esaiæ, & si non confessus fuisset, tamē hoc ipsum probari posset. Ionę.n.4.cap. vertit *hederam*, at ipse in comment. ad dictum locum *hederam non esse* fatetur. Deinde hāc herbam non esse hęderam, sed *Ricinum*, docuit Lumen illud hebraicarū literarum Mercerus. Deinde Hiero. in Ezec. 25, 2. dicit. *Vbicunq; iuxta 70. secundò ponitur, Dominus, Dominus primum nomē tetragrāmaton est, quod proprie ad Deū pertinet, & ineffabile dicitur.* At eodem loco, ad quem hoc notat, in græcis Biblijs est, τὰ δὲ λέγει κύριος κύριος, in hebræo. autem est אדני יהוה hoc est, *sic dixit dominus Iehoua.* Iehoua enim non primo, sed secundo loco ponitur. Idem in Quæstionib. in Genes. dicit, *Asar beatum, & diuitiam secundum verbi ambiguitatem significare.* Verùm non אשר sed עשר diuitias significat. Deinde Hieronymus dicit in comment. ad Sophoniam cap. 2. *quod nos transtulimus coruus, in hebræo ponitur* חרב*, quod secūdum lectionis diuersitatem, vel siccitatem, vel gladium, vel coruum significat.* At חרב quomodocunque legas, nunquam apud hebræos significat coruum. Prætereà idem Hieronymus in Ezaiam 40, 12. dicit λίχανον *esse minimum digitum.* At λίχανος non est minimus digitus, sed ille, qui est pollici proximus, quem *indicem* appellamus. Denique idem Hieronymus dicit, 11. Cap. Esaiæ, vers. 1. *in hebræo iuxta linguæ illius ἰδίωμα scriptum esse, & Nazaræus de radice eius crescet.* At in eo loco est נצר. Nazaræus aūt non est à נצר, hoc enim significat plantam nouellā, vt inquit R. Dauid, sed à נזיר *separatus*, quia videlicet separabatur à vino. plura vide apud Eliam in Tisbite. Huiusmodi plura possunt colligi ex libris Hieronymi

Hieronymi. Sed hæc sufficiunt ad ostendendum, eum aliquando errasse. Qui verò in scriptis suis errat, eius libri & versiones non possunt esse authenticæ. Sed Hieronymus in scriptis suis aliquando errat. Ergo Hieronymi libri & versiones non possunt esse authenticę. Maiorem illi libenter concedent, qui mentem habent. Minor propter præcedentia exempla & testimonia negari non potest. Siue igitur hęc Interpretatio Hieronymi est, siue Hieronymi non est, sequitur ęam authenticam esse nō posse. Quod autem quędam errata & in vulgata versione, & in Hieronymo detexerimus, non fecimus studio mordendi. Vulgatam enim versionem cum reuerentia legimus, & Hieronymū tanquam magistrum nostrum veneramur. Sed ideo ista deteximns, vt ostenderemus, versionem hanc esse multis erroribus obnoxiam, ac proinde non esse authenticam, & Bellarminum errare, dum incerta, ac controversa inter principia tractat, & dum ea nobis pro principijs obtrudit.

CAPVT V.

Bellarmini responsiones ad superiora argumenta refutantur.

VVlgatam editionem non esse Hieronymi, ostēdimus capite superiori. Nunc examinabimus responsiones Bellarmini, quibus nostra argumenta refellere conatur. Ac primùm respondet ad hoc argumentum,

Hieronymi versio teste ipso Hieronymo, Augustino, Isidoro & Gregorio, cum hebræo congruebat. At hæc vulgata non cōgruit cum hebræo. Ergo hæc vulgata non est Hieronymi.

Bellarminus cõcessa Maiore, respõdet ad Minorem, & dicit *duas causas esse, quod hac vulgata cum hebræo non cõgruit: vnam, incuriam librariorum, alteram, quia Hieronymus non tam verba, quàm sensum reddidit, hoc innuit ipse Hieronymus in lib. de optimo genere Interpretadi.* ob has duas causas dicit Bellarminus hanc versionẽ esse Hieronymi, etiamsi cum hebræo non cõgruat. Nos vtramq; rationem expendemus. Ac primum te ipsum inuoluis. Dicis enim Hieronymum esse causá, quod Latina trãslatio cum hebræo non congruit, & dicis incuriam librariorum eiusdem rei causam esse. Quæ duo simul consistere non possunt, nisi distinguas, in quibus librarij peccauerint, & in quib. Hieronymus ab hebræo discesserit. Nam quod vnum exemplum adfers, in quo Hieronymus nõ verba, sed sensum reddiderit, nihil est. Nullum enim caput est, in quo non sit peccatum à vetere Interprete. Deinde si Hieronymus non verba verbis expresit, sed sẽsum reddidit, errãt sanè Augustinus, Gregorius, Isidorus, & ipse Hieronymus, cùm affirmãt eum fuisse *verborum tenacem*. Quod verò Bellarminus ex lib. ad Pammach. conatur ostendere, Hieronymum *non verbum verbo reddidisse, sed sensum tantùm expressisse in S. Scriptura*, tolerandum non est. Hieronymus enim se ibi tuetur adversus eos, qui eum propterea falsi accusabant, quod *Epiphanij epistolam ad Iohannem Hierosolymitanum non vertisset de verbo ad verbum.* Ad illam criminationem respõdẽs dicit se ea lege non teneri, & producit in eam rem testimoniũ Ciceronis, & omnium penè doctorum, imò etiam exemplum Apostolorum & Euangelistarum. At non dicit se ista

licentia

licentia in S. Scripturis vertendis vti, quemadmodū dicit Bellarminus, ſed contrà, ſacram Scripturam diſertè excipit, *Ego enim* inquit, *non ſolùm fateor, ſed libera voce profiteor, me in Interpretatione græcorum, abſque ſcripturis*, nota ſcripturas excipi, *vbi et verborum ordo, et myſterium eſt, non verbum è verbo; ſed ſenſum exprimere de ſenſu.* Malè igitur Bellarminus à verſione græcorū librorum, ad verſionem S. litterarum argumentatur. Prætereà ex adductis exemplis manifeſtum eſt, veterem Interpretem quædam de hebræo, *detraxiſſe*, quædam *addidiſſe*, in quibus ſenſus eſt obſcuratus, quædam etiam *mutaſſe*, vbi ſenſus prorſus eſt deprauatus. Sed hoc non eſt *ſenſum de ſenſu reddere.* Equidē Hieronymus ipſe ait, *vbi quis pro arbitrio addit, & demit, quod vult, ibi quod diſſonat, vtique non poteſt eſſe verum.* At in hac verſione multa ſunt *detracta*, multa *adiecta*, multa *immutata: diſſonat* igitur. Ac proinde *non poteſt vtqiue vera eſſe.* Si pertinacior eris Bellarmine, Idem vel ſimile tibi reſpondeo, quod Hieronymus ſuis obtrectatoribus in Præfat. in Pentateuch. *Audi igitur*, inquit, *æmule, obtrectator auſculta, non dāno, non reprehendo Septuaginta, ſed confidenter cunctis illis apoſtolos præfero. Per illorum enim os mihi Chriſtus ſonat.* Eodem, inquam, modo tibi reſpondeo, *non damno, non reprehendo veterem tranſlationem, ſed confidenter illi prophetas præfero. Per iſtorum enim os mihi Deus ſonat.* Atque hæc de vna cauſa. Altera cauſa eſt incuria librariorum. Verùm Bellarmine, ſi tanta fuit improbitas librariorum, vt nullum caput ab illorum improbitate ſanum & integrum relictum ſit, qui fieri poteſt, vt in omnibus libris, qui in Hiſpania, Italia,

Germania, Gallia, Anglia, Scotia, Polonia, Hungaria, alijsque regnis descripti sunt, sit tantus demptorum, adiectorum, & mutatorum consensus? Deinde si vestra Latina Biblia ita miserè & impiè à librarijs, idque tanto consensu corrupta sunt: hebræi autem libri, quinq; tantùm locis exceptis, etiam te teste integri sunt, & incorrupti; quare illud quod incorruptum est, negas esse authenticum? Et quare illud, quod etiam te teste corruptum & deprauatum est, facis authenticum? Hoc ad primum argumentú. Deinde respondes ad hoc argumentum,

> Quæ Interpretatio ab Hieronymo passim reprehenditur, castigatur, & quæ aliud habet, quàm Hieronymus vertit, illa non est Hieronymi. Sed vulgata versio sæpè ab Hieronymo reprehenditur, & multa habet quæ Hieronymus non posuit. Ergo hæc vulgata versio non est Hieronymi.

Bellarminus concessa Minore, respondet ad Maiorem, ac fatetur hanc Interpretationem sępè ab Hieronymo reprehendi, addit etiam, multa in ea se aliter habere, quàm Hieronymus vertit, & tamen eam esse Hieronymi. Quod autem quædam in ea ab Hieronymo reprehendantur, quædam etiam in ea aliter se habeant, quàm Hieronymus posuerat, hoc dicit *ob quatuor caussas factum esse. Prima caussa est, culpa librariorum: secunda, ambiguitas verborum: tertia, quia Hieronymus sententiam subinde mutarit: quarta, quia etiamsi Hieronymus priorem versionem aliquãdo mutandam iudicauit, tamen postea Ecclesia hanc approbauit.* Hæc omnia nobis expendenda sunt. Ac primùm quod ad

librariorum

librariorum culpam attinet, satis à nobis responsum est in superiori argumento. Secunda causa est ambiguitas verborum, ob quam Hieronymus eundem locum diuerso loco & tempore diuersè verterit. Verùm Bellarmine, hoc aliquando fieri potest. Tam sæpè autẽ accidisse vni viro, eique doctissimo, credendum non est, nisi dicas eum fuisse valdè varium & inconstantem. Deinde etsi hoc ita esse concederemus: tamen nullo modo concedi potest, virum doctum verba ambigua antè rectè vertisse, deinde verò cùm ea magis expenderet, deteriùs vertisse. Hoc, inquam, nullo modo concedi debet, nisi velis Hieronymum in senectute delirasse, & propter delirium ea in senectute corrupisse, quæ in integra ætate rectè verterat. Multis enim locis in suis commentarijs melius vertit, quàm vulgata habet. *Vt spiritus Domini ferebatur super aquas*, Hieronymus dicit melius esse *Confouebat*, vel *incubabat*, hoc enim sonare verbum hebræum, & hoc verum est, etsi tu, contra ipsam Hieronymi assertionem fingas Hieronymum non reprehendisse, sed tantùm explicasse vim hebrææ vocis. Genes. 4. *transeamus in campum*. Hieronymus notat, *hæc esse superflua*, & rectè. Non enim sunt in hebræo. Huiusmodi plura exempla adduci possunt. Atqui & nunc omnes docti fatentur, melius esse *cõfouebat*, siue *incubabat*, quàm *ferebatur*. Et tamen *ferebatur* est in vulgata. Omnes item videmus illa, *Egrediamur forâs* esse superflua, & tamen sunt in Vulgata. Ergo si Hieronymus priora mutauit, mutauit in deterius. Sed hoc est delirantium. Idem respondeo ad caussã tertiam. Quarta causa est, *Quia Ecclesia priorem versionem*

nem approbauit. De hac iam sæpè respondi. Et quid si Ecclesia versionem multis errorib. scatētem approbauit, an propterea est authentica? hoc quidem hoc loco non apertè dicis: sed tamen cap. 11. asseris *Interpretem non esse prophetam, & posse errare. Verùm Interpretem in ea versione, quam Ecclesia approbauit, non posse errare.* Hoc si verum est, Bellarmine, dic nobis num vulgata translatio sit apud vos principium Christianorum dogmatum, & respondebis, quod sic. Doces enim libros Veteris & Noui Testamenti esse authenticos, & illorum vulgatam versionem esse authenticam. Ergo Vulgata versio Veteris & Noui Testamenti est principium nostræ fidei, idque propter Ecclesiæ approbationem. Sed hoc principium vel per se tale est, vel propter aliam causam tale est. Non per se. Est enim propter Ecclesiæ approbationem tale. At tum non est principium. Omne enim principium est *immediatum*, quod autem medium habet, desinit esse principium. Hoc enim medium, est dicti principij principium. Quam ob caussam, cùm vulgata versio propter Ecclesiæ approbationem principiũ sit, sequitur non ipsam versionem, sed Ecclesiæ approbationem principium esse. Deinde vulgata versio inter nos controuersa est. Ergo principium esse non potest. Principia enim debent esse *certa, præcognita, vera & antè concessa.* Tu probas eam principium esse propter *Ecclesiæ approbationem*. Sed & hoc inter nos controuersum est. Ecclesiam enim habere potestatem faciendi editionem authenticam ex non authentica, negamus, incertum igitur probas per incertum. Denique antè negasti *vos statuere vllum librum*

brum non authenticum, *propter Ecclesiæ approbationem esse authenticum* , & cùm Chemnitius vobis hoc exprobraret, dixisti *esse impudentem calumniam*. At nunc dicis *Vulgatam versionem non posse errare*, nullam aliam ob causam, *quàm quod sit ab Ecclesia approbata*. Sed hoc nihil aliud est, quàm vulgatam versionem, quæ olim non erat authentica, facere authenticam propter Ecclesiæ approbationem. Quid tergiversaris? vel fatere Chemnitium rectè dixisse, vel te tibi ipsi contradicere. Postremò, quod dicis, falsum est. Ecclesia enim vulgatam versionem nunquam agnouit pro authentica, multo minus eam authenticam fecit. Tempore enim apostolorum non fuit authentica. Nam tum nondum erat. Sed neque tempore Hieronymi fuit authentica. Si enim vetus ista Itala est, tum non fuit authētica, Hieronymo enim, etiam te teste, eam emendare licuit, neque si Hieronymiana est, tū fuit authentica. Hieronymus enim relinquit liberum, vt ea vtamur, aut non vtamur. Præfat. in Iosua. *Et vt*, inquit, *sciat*, *me non in reprehensionem veterum noua cudere, sed pro virili parte offerre me linguæ meæ hominibus* , *quos tamen nostra delectant* : *vt pro græcorum* ἐξαπλοῖς, *quæ & sumptu, & labore maximè, indigent, editionem nostram habeant, & sicubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint*, *hæc illis conferentes*, *inveniunt*, *quod requirunt*. Et paulò post. *Vnde cesset aduersus nos insurgere scorpius, & sanctū opus venenata carpere lingua: vel suscipiēs, si placet: vel contemnēs, si displicet*. Idem Præfat. in Iob: *vtraque*, inquit, *Editio*, *& Septuaginta, quæ iuxta græcos, & mea iuxta hebræos*, *in latinum meo labore translata est. Eligat vnusquisque quod vult: & studiosum*

me

me magis, quàm maleuolum probet. Idem in epiſt. ad Damaſum, cuius initium, Multi. *Ita & nunc*, inquit, *ex hebraeis codicibus veritas exprimenda eſt*. Quin ipſe Hieronymus hebraicam veritatem vocat *authenticam in* epiſt. ad Vitalem. Idem in 8. cap. Zachariæ, *Cogimur igitur*, inquit, *ad hebraeos recurrere, & ſcientiæ veritatem magis ex fonte, quàm de riuulis quærere*. Hinc manifeſtũ eſt, Latinam verſionem tempore Hieronymi non fuiſſe authenticam. Sed neq; tempore Gregorij ſuit authentica. Nam ne tum quidem ſola Hieronymi tranſlatio in Latina Eccleſia obtinere potuit, *Præfat. in Iob, cap. 5*. Neque tempore ſubſequente fuit authẽtica. Gratianus enim vult *omnes tranſlationes Veteris Teſtamenti ex hebraeis fontibus æſtimandas eſſe*, Diſtinct. 9. c. vt Veterum. Idem docet Diſtinct. 76. c. Ieiunium. Neq; illa decreta à quoquam papa vel concilio ſunt vnquam antiquata. Præterea multi fuerũt in Eccleſia doctores, qui ad hæc vſque tempora apertè teſtati ſunt, vulgatam verſionem reuocãdam eſſe ad fontem hebraicæ veritatis: quales fuerunt *Caſſianus, Paſchaſius, Albinus, Rabanus, Rupertus Tuitienſis, Strabus, Lyra, Burgenſis*: quod teſtatur Georgius Wicelius in præfat. ad cenſuram verſionis VVitebergenſis. Ipſa etiam Gloſſa ordinaria infinitis locis ad hebraicam veritatem prouocat. Quin & noſtra ætate plęrique viri docti, vt *Pagninus, Vatablus, Mercerus*, & quicunque linguam hebraicam callent, in ea ſunt ſententia. Ergo falſum eſt, quod dicis Eccleſiam approbaſſe vulgatam verſionem tanquam authenticam. Et quoniam ſola Eccleſiæ approbatio eſt cauſa authenticę auctoritatis in vulgata verſione,

& talis

& talis approbatio ab Ecclesia nunquam facta est, sequitur eam non esse authenticam. Sublata enim causa, propter quam res est, tollitur effectum. Deinde cùm vulgata versio propter Ecclesiæ auctoritatem non posit errare, & talis approbatio nunquam facta sit, sequitur Vulgatam versionem errare posse. Nam si ideo non potest errare, quod ab Ecclesia approbata est, sequitur eam posse errare, si ab Ecclesia approbata non est. Sed non est ab ecclesia approbata. Potest igitur errare, & ob eam causam non est authẽtica. Si hęc Bellarmino satisfaciũt, benè est: si non satisfaciunt, æquè benè est. Incertũ enim & controversum, quicquid dicat Bellarminus, nũquam nobis erit principiũ. Deinde si hęc non satisfaciunt, doceat Bellarminus, quo tempore, quo loco, per quem, et quã ob causam Vulgata facta sit authẽtica, & hęrebit. Tridentinum n. concilium allegare hîc, nobis est ineptire. Nisi igitur firmiorib. rationibus nostra argumenta contra vulgatam versionem destruere posit, relinquitur eam esse incertam & controversam:

CAPVT VI.

Adversariorum sententia de Vulgata Editione Latina proponitur & refutatur.

SVperiore capite diluimus Responsiones Bellarmini ad argumenta nostra, quibus probamus Hieronymum non esse auctorem vulgatę versionis. sequitur vt Bellarmini sententiam de eadem Editione examinemus. Ille dicit eius auctoritatem esse authenticam; nos negamus. Hæ duæ sententiæ, quoniam ex diametro pugnant, simul veræ esse non possunt.

sunt. Bellarminus suam opinionem probat quinque argumentis, quæ ordine expendemus. Primum argum. *Quia Ecclesia mille annis usa est vulgata Editione.* Argumentum tale,

Editio, qua Ecclesia mille ānis usa est, illa est authētica. Sed vulgata editio est illa, qua ecclesia mille annis usa est. Ergo vulgata editio est authētica.

Respondeo Maiorem esse falsam. Nām si ætas auctoritatem conciliat, nulla editio est vetustior hebraica. Latina enim si mille annis in Ecclesia vsurpata est, Hebraica penè ter mille annis in ea vsurpata est. Deinde si omnes istę editiones sunt authenticę, quibus Ecclesia mille annis vsa est, tunc Chaldaica, Arabica, Syriaca, Græca, & multæ aliæ editiones sunt authenticæ. Ecclesia enim eas omnes longiore tempore, quàm mille annis vsurpauit. Prætereà, si Latina editio propterea est authentica, quod Ecclesia eam mille annis vsurpauit, tum omnia verba vulgatæ editionis, quæ Ecclesia his mille annis vsurpauit, sūt authentica. Sed multa errata sunt, in ijs verbis quibus Ecclesia his mille annis in ista editione vsa est. Ergo & errores isti sunt authentici. Ex multis paucos proferam. Proverb. 11, 6. Vulgata editio legit, *Lapides seculi*, & ita legit Hieronymus in suis cōment. ad dictum locum. Vnde credibile est istum errorem ab ætate Hieronymi ad hoc vsq; tempus in ista editione hæsisse. Canticor. 2, 17. vulgata editio legit, *super montes Bethel*, & ita legit Gregorius in suis comment. ad dictum locum. Vnde apparet & hunc errorem à tempore Gregorij, ad hanc vsq; ætatem, in ista editione hæsisse. Genes. 8, 4. vulgata dicit *arcam*

sedisse

sedisse vigesimo septimo die mensis septimi, & ita legit Chrysostomus in comment. vnde apparet hunc errorem ab ætate Chrysostomi vsque ad nostram ætatem in vulgatis versionibus hæsisse. Hæc & similia multa exempla produci possunt. Ergo si ista Editio propterea est authentica, quòd ab Ecclesia mille annis vsurpata est, tum propter eandem rationem sequitur, & hos errores esse authenticos, Nam & illi mille annis ab Ecclesia vsurpati sunt. Sed hoc est absurdum. Ergo absurdum ex quo hoc consequitur. Ratio est, quòd non vetustas mille annorum, sed diuina inspiratio est causa, quòd hæc vel illa editio sit authentica. Quoniam verò vulgata Latina non est divinitùs inspirata, ideo non est authentica. Deinde & minor falsa est. Vniuersalis enim Ecclesia eam nunquam vsurpauit. Ecclesia enim Ægyptiaca, Æthiopica, Arabica, Indica, Persica, Lybica, Græca suas vernaculas versiones habuerunt, quemadmodum libro sequente ostendemus, & hac Latina nunquam vsæ sunt. Deinde Ecclesia Latina non vsurpauit eam solam. August. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 9. *Qui scripturas*, inquit, *ex hebræa lingua in græcā verterūt, numerari poßunt, Latini autem Interpretes nullo modo.* Hiero. Præfat. ad Euangelist. ad Damasum, *Tot sunt exemplaria penè latina, quot Codices.* Cùm igitur plures versiones eo tempore in Ecclesia legerentur, manifestum est, hanc solā lectā non esse. Prętereà qui in latina Ecclesia eam vsurparunt, illi nunq̃ receperunt eam pro authentica, sed eatenus approbabant, quatenus cum hebræa editione congruebat, *C. Vt veterum Distin. 9. Et C. Ieiunium Distinct. 76.* Cùm igitur neque Maior,

neque Minor vera sit, sequitur Conclusionem verã esse nõ posse. Deinde Bellarminus adigit nos ad absurdum. *Nisi, inquit, hæc editio sit authentica, & ab omnibus erroribus libera, sequitur Ecclesiam, quæ est stabilimentum veritatis, vsurpasse versionem incerti auctoris, & erroribus obnoxiam.* Sed hoc est puerile. Nam, vt ante dixi, sunt multæ Ecclesiæ, præter Romanam, quæ eam nunquã vsurparunt, neque tota Romana Ecclesia eam vsurpauit. Prætereà auctorem eius incertum esse & multos in ea esse errores, probatum est antè. Postremò facilè cogitare poterat Bellarminus grauiores errores, quàm hi sunt, defendi ab Ecclesia Romana. Quorsum enim ab ea discessionẽ faceremus? quorsum tam funesta bella sustineremus? quorsum omnes fortunas, & vitam ipsam in præsentissima pericula adduceremus, si nulli essent errores in Ecclesia Romana? sed de hac quæstione, num Ecclesia Romana errare possit, agemus suo loco, nunc satis sit dixisse, in ista versione esse multos errores, eosq́; ab Ecclesia Romana vsurpatos esse. Secũdum argumentum. *Quia Augustinus laudat antiquam Italam, & versionem Hieronymianam, eandémque laudat Isidorus* lib. 6. cap. 5. Etymolog. *Et Gregorius* lib. 20. Moral. cap. 25. Argumentum tale,

Quamcunque Editionem laudat Augustinus, Gregorius, Isidorus, illa est authentica. Sed Augustinus laudat veterem Italicã, & Hieronymianam nouam, eandem laudat Isidorus & Gregorius. Ergo si hæc vulgata editio est antiqua Italica, vel si est ista noua Hieronymiana, est authentica.

Respondeo

Respondeo Maiorem esse falsam. Non enim quæcunque versio ab hoc, vel illo homine laudatur, illa est authẽtica. Nam Iustinus, Irenæus, Eusebius, Clemens Alexandr. Epiphanius, Chrysost. Cyrillus, Tertullianus, Augustinus, Hilarius, & ipse Hieronymus laudant *Interpretationem septuaginta.* Neq; tamen illa propterea est authẽtica. Deinde si illa interpretatio est authẽtica, quam Augusti. laudat, tum duę versiones Latinæ sunt authenticæ. Laudat n. *veterem Italicam* lib. 2. de doctr. christ. cap. 15. *& Hieronymianã* lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 43. Præterea si aliqua versio ex his duabus propter laudationem Augustini est authentica, tum tamẽ hęc vulgata non est authẽtica. Illa enim non est Hieronymiana, hoc probauimus antè. & si Hieronymaina esset, tum tamen non esset authẽtica. Nam si illa propter Augustini laudationem facta fuisset authentica, tum eodem tempore, quo ab Augustino laudabatur, authẽtica facta esset. Sed hoc non. tempore enim Gregorij nondum erat authentica. nam *præfa. in Iob. cap. 5.* ostendit eam solam ne suo quidem tẽpore in ecclesia christiana obtinere potuisse. Nec est vetus ista Italica. Nam si Italica in tanta fuit auctoritate, vt Augustinus testatur lib. 2. de doctr. Christ. cap. 15. Et aduersarius affirmat, tum sine dubio fuit eo tempore in Latinis Ecclesijs vsitata. Sed hæc vulgata eo tempore in Ecclesijs Latinis vsitata non fuit. Augustinus enim in libris de Locutionib. veteris testamenti, sine dubio versionem vsitatissimam, ac proinde veterem istam Italicam explicuit. At quæ in illis libris apud Augustinum leguntur, illa in hac vulgata non extant. Dicit enim Gene.

2,7. legi *secundum Orientem.* At in vulgata legitur, *à principio.* Eodem cap. vers. 17. legi dicit, *ex omni ligno, quod est in paradyso esca edes.* At in vulgata est, *ex omni ligno paradysi comede*, Genes. 3,1. dicit legi *serpens erat prudētissimus oīm bestiarum.* At in vulgata est, *Serpens erat callidior cunctis animātibus.* Similia exēpla passim apud Augustinum. Deinde etiamsi hæc vulgata esset ista vetus Italica, tamen non propterea esset authentica. Non enim eam tempore Augustini fuisse authenticam, sed displicuisse viris doctis, constat ex reprehensionibus, quæ sunt apud Augustinū in libris de Locutionibus veteris Testamenti, vt Genes. 8,7. *Qui exiens reversus non est.* August. lib. 1. Locutionum in Genesin, in hebræo contrarium. Et Genes. 11,12. *Et erat Arphaxat annorum 135. cùm genuit Cainam, & vixit Arphaxat postquam genuit Cainam annos quadringentos.* August. lib. 1. Quæstion. in Genes. Quæst. 23. Hoc totum non est in hebræo. Plura exempla passim apud Augustin. in libris Locutionum & Quæstionum. Denique vetus ista Italica, ne ipsi quidem Damaso papæ placuit. Petiuit enim Damasus ab Hieronymo, vt nouam versionem ad hebraicam veritatem institueret. Deinde ipse Hieronymus sepè eam flagellat, Præfat. in Iob. dicit, *se idcirco in hoc volumine laborasse, non vt editionem antiquā reprehenderet, sed vt illa, quæ in ea, aut obscura sunt, aut omissa aut certè scriptorum vitio deprauata, sua interpretatione manifestiora fierent.* Idem in Ezechielem cap. 40. *Volui,* inquit, *breuiter ostendere, quantū temporis longitudine, imò scriptorum vitio, & vt apertiùs loquar, imperitia, ab hebraica veritate discrepet antiqua translatio.*

Hinc

Hinc apparet antiquam istam Italicã multos habuisse errores, & tempore primitiuæ Ecclesię non fuisse authenticã, ac proinde & nunc authẽticam esse non posse. Siue igitur hæc vulgata Latina trãslatio est ista antiqua Italica, siue Hieronymiana, siue ex illis mixta, manifestum est eam non esse authenticam. Tertium argum. *Quia Ecclesia hebræa habuit authẽticam scripturam in hebræa. Et Ecclesia Græca habuit authenticam scripturam in Græca lingua.* Argumentum tale,

Quod habet Ecclesia hebręa & græca, hoc etiã debet habere Ecclesia Latina. Sed ecclesia hebręa habuit scripturam authenticam in hebræa lingua, Gręca itẽ Ecclesia habuit scripturã authẽticã in græca lingua. Ergo & Ecclesia latina debet scripturã authẽticam habere latina lingua.

Respondemus Maiorem esse falsam. Multa enim vtraq; Ecclesia habuit, quæ non est necesse. vt habeat ecclesia latina. Deinde & Minor non est simpliciter vera. Hebræa enim Ecclesia christiana nunquam habuit Noui Testamenti authenticam scripturam in hebræa lingua, neque græca ecclesia habuit scripturam veteris Test. authenticam in græca lingua. Ergo non est necesse, vt latina ecclesia habeat scripturam authenticam in latina lingua. Deinde si latina Ecclesia non est Ecclesia, nisi habeat authenticam scripturam in sua lingua, tum ante Tridentinum concilium nulla fuit latina ecclesia. Ante illud enim latina versio in nullo concilio canonizata est. Si hoc nõ concedis, sequitur tamen citra omnem controuersiam, ante Hieronymum nullam fuisse latinam ecclesiam. Hæc enim editio non potuit esse authentica priusquam

esset, Sed ante ætatem Hieronymi (pono eam esse Hieronymi) non fuit. Ergo ante ætatem Hieronymi nulla fuit latina ecclesia. Denique si latina ecclesia deberet habere scripturam authēticā in sua lingua, tum etiam ecclesia Gallica, Anglica, Germanica, Danica, Polonica, Hungarica, & reliquę oēs ecclesię deberent habere scripturam authenticam in sua lingua. Postremò latina ecclesia nō potest habere scripturā authenticam in sua lingua. Hoc n. tempore nulla est latina ecclesia. si dicis in Italia esse eam, respondeo in Italia esse ecclesiam non latinam, sed Italicam. Nemo enim in Italia latinè nouit, nisi qui eam linguam in scholis didicit. Si igitur Itali deberent habere scripturam authenticam in sua lingua, deberent eam habere in lingua non latina, sed Italica. Postremò si verum est Latinam ecclesiam debere scripturam authenticam habere; doceat Bellarminus quo tempore hoc verum esse cœperit. Nam apostolorum ætate non fuit verum. Tunc enim latina versio nondum extabat. Neque Hieronymi ætate verum fuit, ille enim non propterea scripsit, vt sua versio esset authētica, sed nobis reliquit liberum, vt ea vtamur, vel non vtamur. Neque post Hieronymi ætatem verum fuit. Gratianus enim vult *omnes translationes ex hebrais fontibus censeri.* Distinct. 9. C. vt veterum. Et Distinct. 76. C. Ieiunium. hæc duo decreta à nullo cōcilio, neq; ab vllo Papa antiquata sunt. Doceat igitur Bellarminus, vel Tridentini, quo tempore vulgata translatio cœperit esse authentica. Deinde hoc implicat contradictionem. Libro enim primo cap. 10. dixit *calumniam esse dicere papistas facere librum non authenticum au-*

then-

thenticum. At hîc Bellarminus asserit versionem vulgatam, quæ olim non fuit authentica, esse authenticam, sed hæc simul vera esse non possunt. Aut enim vulgata editio non est authentica, aut papistæ ex non authenticis faciunt authẽtica. Quartum argumentũ. *Quia paucißimi Episcopi intelligunt Græcè aut hebraicè.* Argumentum tale,

Quam linguã episcopi in cõcilijs generalibus nõ intelligunt, in ea scriptura sacra authentica esse non potest. Sed Episcopi nõ intelligũt græcam aut hebræã linguã. Ergo S. Scriptura in gręca aut hebræa lingua authentica esse non potest.

Respondemus Maiorem esse falsam. Non n. quãcunque editionem episcopi intelligunt, illa est authentica, sed quę *diuinitus inspirata* est, illa est authẽtica. Ad Minorem dico illam quidem esse veram, sed propterea non sequi, vulgatam versionem esse authenticam, sed eos episcopos indoctos esse, rectè sequi. Deinde si propter ignorantiam episcoporum quædam editio authentica est, quædam non est, tum non inspiratio diuina, sed inscitia episcoporũ est causa authẽticę auctoritatis in S. Scriptura. Deniq; si græca & hebręa editiones propterea nõ sunt authenticæ, quòd episcopi gręcam & hebręam linguam ignorãt, tum sequitur hebræam & græcam editiones saltem ijs authenticas esse, qui eas intelligunt. Sed tum vna & eadem editio esset authentica, & non authentica, idque eodem tempore, at hoc est absurdum. Postremò si illa editio non est authentica, quam aliqui episcopi non intelligunt, tum ne quidem latina editio est authentica, sunt enim multi episcopi, qui latinè nesciunt.

nè nesciunt. Quintum argumentum, *Quia heretici condunt multas versiones.* Argumentum tale,

In quacunque lingua sunt multæ versiones S. Scripturæ, in ea lingua vna est versio authenca, sed in latina lingua sunt multæ versiones S. Scripturæ. Ergo in latina lingua debet vna versio esse authentica.

Respondeo Maiorem esse falsam. Nam non in quacunque lingua sunt multæ versiones, in ea lingua est vna authentica. In græca enim lingua sunt diversæ versiones, in Germanica, Gallica, Belgica & alijs linguis diversæ item versiones extant, & tamen ex illis omnibus nulla est authentica. Ad Minorē dico, non tantùm nunc, sed etiam apud veteres fuisse diuersas latinas versiones. Augustin. lib. 2. de doct. Christ. cap. 11. *qui,* inquit, *scripturas ex hebraa lingua in gracam verterũt, numerari possunt, latini nullo modo.* Hieronym. præfat. in Iosua, *apud latinos,* inquit, *tot sunt exemplaria, quot codices.* Et in Præfat. Euãgelist. ad Damasum, *Tot,* inquit, *penè sunt exemplaria, quot codices.* Sed ex omnibus istis versionib. latinis tempore Augustini nulla fuit authentica. Ergo non est necesse, vt nunc ex ijs aliqua sit authentica. Præterea cùm apud veteres tam multæ extarent versiones, tum tamen hebræa editio Veteris, & græca Noui testamenti erat authentica. Ergo etsi nunc multæ sint latinę versiones, tamen hebræa in veteri testamento, & græca in N. testamento debet esse authẽtica. Postremò etsi illud studium omnia innouandi non probamus, varietas tamen versionum inutilis esse non potest. August. de doct. Christ. lib. 2. cap. 14. *plurimum,* inquit, *hic*

hic quoque iuuat Interpretum numerositas collatis codicibus inspecta, atque discussa. Item cap.12. *Nam nonnullas,* inquit, *obscuriores sententias, plurium codicum manifestauit inspectio.* Nisi igitur Bellarminus alia argumenta habeat, quibus probet vulgatam versionem esse authenticam, sequitur eam æquè incertam esse, atque antè erat. Post hæc invehitur Bellarminus in Caluinum & Chemnitium, qui iam ambo in Deo placidè quiescũt, & licet æquum esset mortuis parcere, congerit tamen multa conuitia, quibus eos iam mortuos perstringat. Hæc ego constitueram negligere. Cõuitia enim illos non attingũt. Tamen quoniã doctrinam illorũ ex obliquo tangunt, ideo ad ea prorsus silere non potui. Prius igitur in genere, deinde in specie respondeo. In genere affirmo Spiritum Christi esse mansuetum, non conuiciari, neque criminari. Cùm igitur Bellarminus sanctos Christi seruos tam immeritò lacessat, viderit ille, cuius spiritu trahatur. Equidem ipsæ gentes parcebant mortuis, hic verò monachus neque à viuentibus, neque à mortuis linguam abstinet. Sed hæc est ista Iesuitica pietas, quæ in charitate fundata est. Hęc in genere: nunc in specie crimina singula expendam. Primum crimẽ est, quod Caluinus dicit, *neque iudicio, neque recto delectu factum esse, vt ex Interpretationibus diuersis vna obtinuerit apud indoctos.* Hoc valdè exagitas. Sed an verum dixerit Caluinus, docet experientia. Vtique illa translatio, quæ in multis locis de hebræa veritate *detrahit, adijcit, & immutat,* obtinuit. Nisi igitur papales episcopi fuissent indocti, sanè vel elegissent meliorem, vel ipsi fecissent meliorem. Deinde ipsa historia testatur, &

totus mũdus clamat episcopos papales indoctos fuisse. Ante Lutheri n. ætatem, ex mille episcopis vix vnus erat, qui poterat latinè legere. Græca lingua adeo fuit neglecta, ut ipsæ academiæ solitæ sint dicere & scibere, *hæc græca sunt, quæ legi non poßunt.* Hebræa etiam lingua prorsus iacebat, etiam de nomine incognita. Quód verò de Augustino, Gregorio & Isidoro refers, hoc huic rei non derogat. Illorum enim ætate hæc versio nondum obtinuit, vt antè docuimus. Post eos etsi aliqui docti fuerunt, illi tamen linguas ignorabant, quod de Thoma, Alberto, & alijs manifestum est. Imò si quis linguis studebat, ille vulgatam versionem ad hebraicam veritatem emendandam esse putabat, quod ante ex Lyræ, Strabi, Burgensis, Rabani, Tuitiensis, & aliorum exemplis probatum est. Et si quis linguarum studium paulò acrius persequebatur, ille à monachis opprimebatur, nota est historia Reuchlini, Erasmi, & aliorũ. Manifestum igitur Caluinum non esse mentitum, cùm hoc diceret, sed ipsam veritatem dixisse. Tu videris, quid sis Iesu Christo responsurus, quod sanctißimum eius seruum iniustè mendacij insimulas. Secundum crimen est, quod Caluinus dicit *Tridentinos decreuisse, non esse audiendos, qui ex ipso fonte purum liquorem proferunt, & ex certa veritate falsum coarguunt.* Dicis hoc mendacium esse, quia Tridentini his verbis non sint vsi in suis decretis. Sed quid hoc ad rẽ? Sanè rem ipsam Tridentini decreuerunt. Negant enim hebræam scripturam, quę pura est, esse authenticã, & aiunt vulgatam versionem, quæ in multis locis malè trãslata est, esse authenticam, vetant etiam, ne latinæ

versiones

versiones ex Hebræis fontibus corrigantur. Testis huius rei sunt Canus lib.2. cap.13. Lindanus, & alij. Ergo etsi non vsus est Caluinus ijsdem verbis, quibus Tridentini vsi sunt, tamen ipsam rem diligenter expressit. Tertium crimen est, quod Caluinus dixit, *adeo nihil integrum esse in latina versione, vt vix tres continui versus sint, qui non sint aliquo errore fœdati.* Hoc te valdè mordet, & dicis, si hoc verum est, quare Caluinus non ostendit vnum vitiũ in Psalmo primo. Quoniam autem in eo nullum vitium notauit, ideo concludis ipsum mentitum esse. Sed Caluinus non omnes errores vulgatę versionis notauit, & si quis omnes eos notare vellet, hic liber eos non caperet, potuisses igitur modestius loqui, & vt scias Caluinum (apud quem tamen ego hoc non legi) non omnino à veritate aberrasse, ego in tuam gratiam perlustrabo primũ Psalmum. vers.1. *in cathedra pestilentię.* At in hebręo nõ est *Cathedra pestilentia*, sed *derisorum*. vers.4. *Non sic impij, non sic.* Illud posterius, *non sic* adiectitium est. Eod. vers. *quem proijcit ventus à facie terra*, hęc, *à facie terra*, adiectitia sunt. vers.5. *Ideo non resurgẽt impij*, deprauatũ est, יקמו enim est, *nõ stabũt*, vel *nõ cõsistent*, & nescio, quid scholastici occasione huius versionis de impiorum resurrectione commenti sint. Eod. vers. *in consilio iustorum.* at in hebręo non est consiliũ, sed *cœtus* siue *cõgregatio*, siue *conciliũ.* Vides igitur Bellarmine Caluinũ habuisse iustas causas, propter quas ita scripserit: si tamẽ ipsa scripsit, neque te primũ psalmũ ab omni errore defẽdere posse. Atq; hęc sunt ista crimina, propter quę Caluinũ tam sęuè perstrinxisti. Nũc ad Chemnitiũ. Primũ crimẽ,
quod

quod Chemnitio obijcis, eſt, quod dicit *Tridentinos decreuiſſe vt pro ijs, quæ Sp. Sanctus in fontibus græcis & hebræis ſcripſit, recipiamus ea, quæ à librarijs mutilata, vel addita ſunt*. Hoc dicis eſſe manifeſtum mendacium. Atqui negas, vt iam antè oſtendi, hebræam veritatē eſſe ſcripturam authenticam, & ſtatuis vulgatā verſionem, quam manifeſtè oſtendimus mutilatam, auctam, & mutatam eſſe, & quam ipſe etiam faſſus es *librariorum incuria vitiatam eſſe*, eſſe authenticam, neq; te iuuat quod dicis Tridentinos mandare, vt *biblia quàm caſtigatiſſimè edantur*. Nam ipſa biblia ab eo tēpore edita, ſunt in multis locis mutilata, aucta, & mutata, imò Bellarmine, quod Tridentini mandant ea emendatè edi, luſus eſt. Nolunt enim vt ad hebręā Veritatem corrigantur, quomodo poſsunt igitur emendatè edi? Vides igitur Chemnitium ſimplicem veritatem bona fide dixiſſe. Secundum crimen, quia Chemnitiꝰ dicit, *in indice purgatorio à Paulo IIII. edito damnari omnes editiones bibliorum, in quibus manifeſtiſſima errata vulgatæ editionis emendata ſunt*. Hoc dicis eſſe craſsiſsimum mendacium, ac defendis illud tam frigidè, vt ex ipſa defenſione appareat verum eſſe quod Chemnitius dicit. Dicis enim in iſto indice tantùm prohiberi editiones factas ab hæreticis, & à ſuſpectis. Sed num propterea biblia ad hebræam veritatem vel verſa vel caſtigata debent damnari, quòd ab ijs hominibus, *qui vobis immeritò ſuſpecti ſunt*, impreſſa, vel edita ſunt? vel num hoc aliud eſt, quàm quod dicit Chemnitius? Tertium crimen, *quia Chemnitius dicit papiſtas diſpenſare in ſubſtātialibus Sacramenti*. Verùm Bellarmine cùm de Sacramentis agemus, euincam

euincam certis rationibus papiſtas non ſolùm diſpenſare in ſubſtantialibus ſacramentorum, ſed noua etiam ſacramenta inſtituere. Itaque ad illud nunc plenè non reſpondebo. Quartum crimen eſt, quod Chemnitius dicit: *Papiſtas retinuiſſe hanc vulgatam verſionem, quia ad illorum errores ſit conformata.* Hoc verum eſſe demonſtrabo ſingulis locis. Valdè argutaris in verbo *Tranſformata*, ſed hoc ita poteſt intelligi, vt ſit idem quod accommodata. Neque tamen abſurdum eſt, ſi τὸ *tranſmutata* in natiua ſignificatione intelligatur. Nam nō euiciſti hanc editionem in primitiua eccleſia obtinuiſſe. Et ſi hoc maximè euiciſſes, non tamen propterea errores veſtri non eſſent errores. *Vetuſtas* n. *errorem nō excuſat.* Poſtremò quod de mille errorib. Lutheri loqueris, nihil facit ad rem. Nemo n. ex nobis oībus Lutheri verſionem habet ꝑ authentica, ſed quatenus illa cum Hebraica & Gręca verſione congruit, recipimus eam: quatenus verò ab ea diſcrepat, nos illā, cū bona pace Lutheri originali veritati poſtponimus. Deinde ſi Lutheri verſionem reciperemus pro authentica, eſſemus vobis ſimiles, qui vulgatā verſionem multis erroribus ſcatentē pro authentica recipitis. Et ſi hoc nobis vitio vertitis, quare non idipſum in vobis reprehēditis, præſertim cùm vulgata verſio minus cum hebræo congruit, quàm Lutheri. Præterea non tam multi errores ſunt in Lutheri verſione, quàm exiſtimatis. Quod enim quidam monachi quædam in ea notarunt, in ijs illi ſe ridiculos, & Hebraici, Germanicíq; ſermonis imperitos eſſe oſtenderunt. Vt Gen. 1, 1. Lutherus vertit *Ihm anfang*, belli iſti correctores *ahm anfang*: ſtu-

pen-

vatem, aliud interpretem esse, ibi spiritus ventura prædicit, hic eruditio & verborum copia ea quæ intelligit transfert. Ergo necessariò concludo eius scripta non esse authentica. Inspiratio enim diuina est sola & vnica caussa authenticæ veritatis. Ea enim posita, ponitur authentica auctoritas, & ablata, aufertur. Scio quosdam respondere *Sp. Sanctum peculiari modo adfuisse Hieronymo, cùm S. Scripturas interpretaretur*. Sed hoc repudiauit Bellarminus. Non est igitur necesse, vt à me refutetur. Ex his oĩbus necessariò colligi potest, hãc versionem propter Hieronymum non esse, neq; posse esse authenticam. Sed neque propter Ecclesiæ approbationem est, neque potest esse authentica. Ecclesia enim illud nunquam decreuit. Ipse enim Hieronymus in epist. ad Suniam & Phretellam dicit, *In veteri Testamẽto, quando inter Græcos Latinosq́; diuersitas est, ad hebraicam recurrimus veritatem*. Idem ad Damasum. *Ex hebrais codicibus*, inquit, *veritas exprimenda est*. Idem in epist. ad Vitalem *dicit se in veteri Testamẽto ad hebraicam veritatem, tanquam ad arcem confugere*. Idẽ in Zachariam cap. 8. *Cogimur*, inquit, *ad hebræos, recurrere, & scientiam magis de fonte, quàm de riuulis quærere*. Idem docet August. *lib. 2. de doct. Christ. cap. 11. 12. & 15. Et epist. 59 & 19.* Vnde confidenter colligo Augustini & Hieronymi ætate non esse ab ecclesia decretum, vt hæc interpretatio esset authentica. Sed neq; post Augustini ætatem hoc vnquam in ecclesia decretum est. Gratianus enim respondet *veterum librorum fidem de hebrais voluminibus examinandam esse*, Distinct. 9. C. vt veterum. Ergo & Gratiani ætate non decreuit ecclesia vulgatam versionem esse authen-

thenticam. Neque post Gratiani ætatem hoc ecclesia decreuit. Videmus enim multos scripturæ interpretes etiam in ecclesia Rom. habuisse hebraicam veritatem pro authentica, neq; propterea vnquam fuisse reprehensos. Cùm igitur decreta habeant vim legis, & hoc decretum à nullo concilio (Tridentinum habeo nullo numero) abrogatum sit, manifestum est ecclesiam nunquam statuisse, hanc vulgatam versionem esse authenticam. Propter ecclesiæ igitur approbationem vulgata versio neque est, neque potest esse authentica. Nam quod non est, illud non potest authenticæ auctoritatis causa esse. Deinde etsi tale decretum ab Ecclesia factum esset, non propterea tamen hæc versio esset authentica. Ipse enim Bellarminus negat *ecclesiam habere potestatem librum non canonicum faciendi canonicum*, libr. 1. cap. 10. Sed hæc vulgata versio (quam possum Hieronymi librũ dicere) hæc, inquam, versio tempore Hieronymi erat liber non authẽticus, neq; tempore Gratiani fuit authenticus. Ergo nunc ab ecclesia authenticus fieri non potest. Ac proinde si Bellarminus seriò dicit, *ecclesiam nõ posse librum non canonicum facere canonicum*, viderit ipse, quomodo possit defendere hanc versionem, quæ olim non fuit authẽtica, nunc propter Ecclesię approbationem esse authenticã. Authenticũ n. in hac disputatiõe idem quod canonicũ. Si relabetur in castra Pigij, & quod antè negauit, statuet eam propter ecclesiæ decretum esse authenticam, sciat se principium petere. Inter nos enim & illum controuersum est, an ecclesia habeat potestatem faciendi libros canonicos ex non canonicis. Deinde isthinc se-

queretur ſolam eccleſiæ approbationem eſse cauſſam authenticæ veritatis. Et licet nunc Bellarminus aſserere hoc erubeſcat, tamē hāc eſse vel fuiſſe mentem papiſtarum, ex eo probari poteſt, quod Sorbona Franciſcani monachi miſerunt aliquando librum à ſe factū Romam, quem vocabant *æternum Euangelium*, & petierunt à Papa, vt illud canonizaret, teſtis Iſaac Rabbothenu par.1.cap.2. Et Matthęus Pariſiēſ. in Chronicis. Cum eo congruit, quod Wulfgangus Hermannus aſseruit, *euāgelia niſi eſſent à papa approbata, non habere plus auctoritatis, q̄ fabulas Æſopi*, teſtis Heshuſius de ſexcētis erroribus papæ, loco de verbo Dei. Et VVittaker. contra Duræum lib. 1.§ 31. Siue igitur hæc versio Hieronymi eſt, ſiue non eſt, siue item ab eccleſia approbata eſt, siue non eſt, manifeſtum eſt, eam non eſse, neq; poſse eſse authenticam. Etſi ex his apparet hanc verſionē non eſſe authenticam; tamē adhuc vnum atq; alterū argumentum adiungā. Primū quia in hac verſione ſunt multi errores.

In quo ſunt multi errores, hoc non eſt authenticum; At in vulgata verſione Veteris Teſtamenti ſunt multi errores. Ergo vulgata verſio veteris Teſtamenti non eſt authentica.

Minorem nos antè probauimus cap.4. Bellarminus Maiorem concedit, & reſpondet ad Minorem, omnes quidem interpretes errare poſſe, *ſed hunc non erraſſe in iſta verſione, quem eccleſia approbauit lib.* 2. cap. 11. & paulò poſt. *Nō n. auctores canonizauit eccleſia, ſed tantum verſiones approbauit.* An non hoc idem eſt, atq; dicere, errores ab eccleſia approbatos non eſſe errores? Nam ſi te probè intelligo, dicis hanc verſionē, ſi non eſſet

non esset ab ecclesia approbata, errare, nunc, quoniam ab ecclesia approbata est, non errare. Certè hoc idem est, atque illud, *si papa mille animas mitteret in gehennam, neminē debere dicere, domine quare facis sic?* Distinc.40.C.si papa. Error est error, Bellarmine, etiamsi millies sit approbatus ab ecclesia, neque in æternū fiet, vt *mutilata, mutata, & adaucta* versio propter papisticæ synagogæ determinationem sit verbum Dei. Sed ad rem. *Hæc versio,* inquis, *non potest errare, quia ab ecclesia approbata est.* Ergo ecclesiæ approbatio & sola & vnica caussa est, ob quam hæc interpretatio est vera & authentica. Nónne hîc manifestè te tuamque caussam prodis? nónne antè negasti *ecclesiam posse ex libro non canonico facere canonicū,* lib. 1. cap. 10? nónne quod illic negasti, hic affirmas? Sed quid ego hæc disputo? Non enim tibi ipsi tantùm, sed præstantissimis vestris doctoribus, & ipsis papis cōtradicis. Pagninus n. Caietanus, Lyra, Paulus Brugensis, Valla, Steuchus, Stapulensis, Viues, Lucas Brugens. Erasmus, Arias, & multi alij vno ore fatētur vulgatam versionem esse corruptam. Quin ipse Leo Decimus in bulla præfixa Nouo Testamento Erasmi, Clemens & Adrianus papæ Roman. idem asseruerunt. Approbarunt enim versionem Erasmi. Ergo vulgatam versionem non obscurè reprobarunt. Adde vulgatam versionem ipsi Hieronymo visam fuisse vitiosam, & vitiosam esse clamant omnes docti, & res ipsa testatur. Si igitur quod vitiosum est, propter ecclesiæ decretum non est vitiosum, tum ecclesia est Deo potentior. Ipsi enim Deo simpliciter impossibile est, facere mendaciū non esse mēdacium. At ec-

clesia secundum Bellarminum potest facere, vt error non sit error. Deinde quod sæpè dixi, repeto, te ostendere logicæ imperitiam, tum quod principium per aliud probas, est enim immediatum & indemõstrabile. Principium enim fidei nostræ est verbum Dei, idq́; nullam aliã ob caussam, quàm quia verbum Dei est, tum quod illud ꝓbas per illud, quod cõtrouersum est. Vulgatam n. versionem probas esse principiũ propter eccclesiæ approbationem. At quis tibi vnquam cõcessit, ecclesiam papisticam posse ex libro non canonico facere canonicum? aut quæ logica te docuit, principium per illud, quod controuersum est, probandum esse? Secundum argumentum. Quia omnes patres, ius canonicum, & ipse Bellarminus lib. 2. cap. 11. statuunt Latinorum librorum fidem ex hebræis examinandam esse.

Cuius fides ex alio examinãda est, vel quod ad aliud emendari debet, illud non est authẽticum.
Sed Latinę versionis fides ex hebręis examinãda est, vel latina versio ad hebręos libros emẽdari debet. Ergo latina versio nõ est authẽtica.

Maiorem mihi libenter concedent omnes ij, qui mentem habent. Minorem docet Hieronymus, ad Vitalem, ad Suniam & Fretellam, ad octauum caput Zachariæ. August. de doctrina Christ. lib. 2. cap. 11. 12. & 15. Epist. 19. & 59. Gratianus Distinc. 9. C. vt veterum. Bellarm. lib. 2. cap. 11. *Cùm latini*, inquit, *codices culpa librariorum sunt deprauati, & cùm sibi contradicunt, & cùm ambiguam, vel incertam sententiam continent, tum ex hebrais fontibus corrigendi sunt*, idq́; multis exemplis docet, quod & Canus lib. 2. cap. 15. mul-

tò

tò plixius ante Bellarminum docuit. Cùm igitur latina versio ex hebræo corrigi debeat, sequitur eam non esse neque posse esse authenticam. Et quæ insania est dicere non ipsam veritatem in natiua lingua, sed eius deprauatam versionem esse authenticam? *Cùm exemplū rescripti imperatorum in eadam lingua non sit authenticum.* 25.Q.2.C.dicenti.§.Sancimus. Deinde si hæc versio est authentica scriptura, tum apostoli & primitiua ecclesia non habuit authenticam scripturam, nam tum non erat. Prætereà si hæc versio est authentica scriptura, tunc primitiua ecclesia non agnouit authenticam scripturam. Illa enim hebræam scripturam habuit pro authentica, & Latinā ad hebræam emendauit. Si hæc Bellarmino satisfaciunt, benè est, sin minus, doceat quo tempore hebrea scriptura desierit esse authentica, & quando Latina scriptura cæperit esse authentica, & hærebit. Cùm igitur Latina versio neque propter Hieronymum, neque propter ecclesiæ approbationem sit authentica, & cùm habeat multos errores, atque ad hebræam scripturam examinari & emendari debeat, neque tempore apostolorum, primitiuæ & sequentis ecclesiæ fuerit authentica, & absurdum sit apostolos non habuisse authenticam scripturam, & posteriorem ecclesiam non agnouisse authēticam scripturam; sequitur vulgatam versionem non esse, neq; posse esse authenticam.

CAPVT VIII.

Exceptiones ad loca à Chemnitio notata refutantur.

VVlgatam editionem V.T. non esse, neque posse esse authenticam probauimus capite superiore.

Nunc quibusdam locis à Chemnitio ante productis idem ostendemus, & simul Bellarmini ad ea exceptiones diluemus. Primus locus est Genes. 3, 15. *ipsa conteret caput tuũ* in hebręo est הוא ישופך ראש. Chẽmnitius monuit hunc locum esse deprauatũ, *ad probandam intercessionem Mariæ.* Cuius rei caussas sine dubio habuit Chemnitius. Ego verò ex hoc loco deprauato, Marię intercesionem natam esse existimo. Bernhardus enim Homil. 2. de laudib. Mariæ, dicit *Mariam abstulisse matris* (loquitur de Eua) *opprobriũ, ipsamque patri pro matre satisfecisse, quia si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per fœminam.* Deinde dicit hoc in scripturis promissum esse, nempe hoc loco, *Ipsa conteret caput serpentis.* Vbi addit, *cui hæc victoria seruata est, nisi Mariæ?* Rectè igitur dico intercesionem Mariæ ex hoc loco ortam esse. Sed quàm bene paucis declarandũ est. Bernhardus dicit *hominem non nisi* (nota exclusiuam) *per fœminam erigendum esse.* Ergo falsum est, quod omnes Prophetæ & Apostoli clamant, hominem per Christum restitutum esse. Christus enim non est fœmina. Deinde Bernhardus dicit, *cui hæc seruata victoria est, nisi* (nota rursus exclusiuam) *Mariæ.* Ergo rursus falsum est, quod omnes Prophetæ & Apostoli clamant, hanc victoriam per Christum partam esse. Christus enim non est Maria. Vt hanc impiam & blasphemam sententiam probaret Bernhardus, adduxit hunc locum, *ipsa conteret caput serpentis*, q.d.

Qui cõteret caput serpẽtis, ille solus erigit nos, & sathanam vincit. Sed sola Maria (hoc n. ęquipollet particulę exclusiuę) conterit caput serpẽtis.

Ergo

Ergo ſolaMaria erexit nos,& vicit Sathanam. An non hoc eſt Chriſtum de cœlo deturbare? an non,inquam,hoc eſt omnes prophetas & apoſtolos falſi arguere? omnes enim illi non Mariæ ſed Chriſto teſtimonium perhibent, nos per Chriſtum, non per Mariam remiſsionem peccatorum accipere. Hunc errorem rectiſsimè flagellauit Chemnitius. nam in hebręo eſt *relatiuũ maſculinum*,& *verbum maſculinum*,deinde& *affixũ maſculinũ*.Ergo quemadmodum apud hebræos הוא refertur ad זרע, eodem modo & apud Latinos *ipſa* referri debet ad *ſemen*. Hoc omnes docti non tantùm orthodoxi,ſed etiam papiſtæ fatentur,vt *Canus lib.2.cap.15.Caietanus in cõment. ad dictum locum. Idem facit Pagninus, & Arias Montanus in ſuis verſionibus, & Andrada lib.4. Contra Chemnitium.* Lucas Brugenſis poſtquam multa verba fudit,tandem dicit inter הוא & זרע eſſe debitam conuenientiam, & diſertè addit non eſſe neceſſe, vt vox quæ ſubaudiatur, aliunde accerſatur. Deinde ipſe Hieronymus in quæſtionib. ſuper Geneſ. dicit *ipſum* legendum eſſe. Bellarminus reſpondet הוא *aliquando legi pro* היא *ac verba maſculina aliquãdo poni pro fœmininis.* Vtriuſque rei affert exempla ex Luca Brugenſi. Probat illud quod non eſt neceſſe. Quis enim adeo hoſpes in lingua hebræa,vt illud ignoret. Sed non ſequitur, Bellarmine, genera aliquando permutantur. Ergo & hoc loco permutantur. Verba enim clara ſunt *ponam inimicitiam inter ſemen tuum & ſemen eius, & ipſum conteret tibi caput.* Illud *ipſum* eſt relatiuum præcedentis. Refert igitur vel *ſemen* vel τὸ *eius* vel *totam ſententiam.* Non totam

ſententiam, nihil enim intelligeretur, neque τὸ *eius*, nulla enim mulier contriuit caput ſerpentis. Ergo ad *ſemen*, hoc autem eſt Chriſtus. Semen autem eſt generis neutri, ergo & relatiuum in neutro genere poni debuit. Hoc cũ te Chemnitius doceret, maiorem laudem aſſequutus fuiſſes, ſi cum Cano, Clario, Andrada, & Brugenſi, eius admonitioni acquieuiſſes. Verùm ſi acquieſcis benè eſt, ſi verò in errore perſeueras, ſcias te principium petere, quoties hunc locum ad Mariæ interceſsionem defendendam contra nos adducis. Quod ad reliquos patres non reſpondeo, conſultè facio. Non enim ſtatui hoc loco de Mariæ interceſsione diſputare, ſed ſatis mihi eſt, hoc loco demonſtraſſe, hunc locum eſſe malè verſum. Secundus locus eſt Geneſ. 6. v. 5. *& cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum.* Chemnitius monet & hunc locum ad *extenuandum peccatum originale corruptum eſſe.* Ego rurſus dico, veteres occaſione huius verſionis peccatũ originis extenuaſſe, legitur aũt in hebræo וכל יצר מחשבות לבו רק רע כל היום hoc eſt, *omne figmentum cogitationis cordis eius tantummodo malum eſt omni die.* Bellarminus dicit hoc idem eſſe, atq; *oẽm cogitationem hominis intẽtam eſſe ad malũ.* Hoc an verum ſit videbimus. Ac primum vt intelligatur, quid ſibi velit, deſcribemus explicationem horum verborum ex cenſura Colonienſi. *ſenſus eſt,* inquit, *in corde humano eſſe pronitatem & concupiſcentiam quandam ad malum.* Si exiſtimas, Bellarmine, hoc idem eſſe *atque omne figmentum cogitationum eſſe tantummodo malum,* vehementer erras. Figmẽtum n. cogitationum ſignificat ipſum cogitationum principium

cipium & fontem, cogitatio autem significat cogitationem cõsummatam. At inter cogitationum principiũ siue figmentum cogitationũ, & formatam cogitationẽ est magna differentia. Deinde vulgata versio dicit *intentam esse ad malũ*. Sed hoc additum est, *intentum* enim non est in hebræo; neque sensus expressus est. Longè enim aliud est *esse malum*, & *intentum siue pronum esse ad malum*. Prætereà particula intendendi רק *tantummodo*, vt Pagninus vertit, vel *tantùm*, vt Arias, & Bellarminus, hoc loco prętermissa est. At illa habet Emphasin, & prætermitti non debuit. Longè enim aliud est, *figmentũ cogitationum cordis est malum*, quàm est *tantũmodo malum*, & hoc ipsũ longè aliud est atque *cogitatio prona est ad malum*. Hoc enim sonat cogitationes non esse malas, sed tantùm ad malum pronas. Illud verò docet figmentum cogitationum, h.e. ipsarum cogitationum principium, & ipsas cogitationes nihil nisi malum esse. Quod addis in hoc loco *esse hyperbolen*, verum non est. omnium enim hominum non regeneratorum cogitationes sunt malæ. Neque verum est, quod dicis, Lutheranos ex hoc loco colligere omnium opera esse mala. Non enim dicunt omnium hominum, sed hominũ non regeneratorum opera esse mala. Dum hanc hyperbolen probas per illam, *omnis caro corruperat viam suam*, petis principium. Reuera enim omnis caro corruperat viam suam, neque Noë erat ab hac corruptione immunis. Quod autem *iustus* dicitur, hoc non de propria iustitia intelligendum est, sed quia *gratiam inuenerat in oculis Iehouæ*. i. ideo iustus erat, quia peccata ei propter futurum Christum erant re-

missa, neque simpliciter iustus dicitur, sed *iustus in generatione sua.* paulò enim post notatur eius *ebrietas.* Ex his manifestum est, hunc locum non esse hyperbolicum. Et si quis disputandi gratia hic hyperbolen admitteret, tamen non excusaretur latina versio. In illa enim non est hyperbole. Aliud igitur hoc loco loquitur scriptura hebræa, & aliud vulgata versio. Non persequar hęc vlterius, sufficiat ostendisse hunc locum iure à Chemnitio flagellatũ esse. Tertius locus est Genes. 9. 6. *Quicunque fuderit sanguinem humanũ, fundetur sanguis illius.* Hunc locum vt mutilatũ castigauit Chẽnitius. In hebræo est שֹׁפֵךְ דַּם הָאָדָם בָּאָדָם דָּמוֹ יִשָּׁפֵךְ. *Quicunque fuderit sanguinem hominis, per hominem fundetur sanguis eius.* Bellarminus negat mutilatũ esse, & dicit sensum bene expressum esse, neq; per omissionem istorum verborũ *per hominem.* de sensu quicquã decessisse. At ex hebręo textu colligi potest, homicidam per hominem occidi debere. Illud enim sibi vult τὸ *per hominem.* hoc verò ex latino colligi non potest. Hic obiter moneo accentum postulare vt *per hominem* non cum priori, sed cũ posteriori parte iungatur. Deinde si sensus est æquè perfectus, tum Spiritus S. hæc duo verba in hebræo frustra posuit. Sed hoc hactenus nemo affirmare ausus fuit. imò Arias & Pagninus ea legunt. Caietanus dicit *ea habere emphsian.* Et sunt qui ex hoc loco disputant magistratum gladio esse à Deo instructum, vt homicidam puniat. sed illud ex Latino colligi non potest. Rectè igitur hunc locum notauit Chemnitius. Quartus locus est Genes. 14. 18. *At verò Melchisedec rex Salem, proferens panẽ & vinum, erat*

n. sacerdos altissimi, benedixit ei. In hebræo est מלכי צדק מלך שלם הוציא לחם ויין והוא כהן לאל עליון h.e. *Melchisedec rex Salem eduxit panem & vinũ, et ipse sacerdos Deo altissimo.* Hunc locum deprauatũ esse ad probandam missam, inquit Chemnitius. Equidẽ Bellarmine ipse dicis eum *panem & vinum Deo in sacrificio obtulisse, & hoc facto gessisse figuram vestri sacrificij, quo sub specie panis & vini corpus & sanguinem Christi offertis Deo.* Ergo negare non potes papistas ex hoc loco sacrificium missę probare. An verò hoc rectè faciant, expendemus. Moses dicit Melchisedechum *lassos Abrahæ milites* (sunt verba Andradæ lib.4.cont. Chẽnitium) *& diuturna pugna fractos pane & vino refecisse.* Hoc Bellarmino idem est, atque Deo panem & vinum sacrificare. Ridiculum hoc est Bellarmine, & quoniam nos aliquando prouocas ad hebræos doctores, excute omnes Rabbinorum commentarios, consule omnes grammaticos, & docebunt te הוציא לחם ויין non esse missam celebrare. Deinde לחם non significat panem, sed est vox generis, quæ omnes ciborum species sub se comprehendit. Prætereà והוא illud ו non est particula caussalis, vt tu comminisceris; sed est separata particula. Docet hóc distĩctio hebræa, idem affirmat Cardinalis Caietanus. *Quod in vulgata*, inquit, *subditur, vt causa oblationis, erat enim sacerdos Dei altissimi, in hebræo non habetur vt causa oblationis, sed vt particula separata, & ipse sacerdos Deo excelso, adiungit siquidem regia liberalitati dignitatem sacerdotalem.* Idem penè ijsdem verbis docent Vatablus, & Pagninus, *protulit*, inquiũt *panem & vinum. i. lassum & famelicum exercitum regia liberalitate refecit.*

refecit. Neque enim exponendum est, vt vulgò, ipsum protulisse panem & vinum, vt offerret Deo in gratiarum actionem, quòd sacerdos esset. Nam duo dicit, quæ necessariò distinguit, ipsum Melchisedec fuisse regem & sacerdotem. Quia rex esset, Abrahamũ & eius comites except hospitio, atque aluit pane & vino. Panis nomine intellige omne cibi genus: quòd autem esset sacerdos, benedixit iure sacerdotij, & decimas ab eo recepit. Vetus autem hic mos fuit, vt qui reges erant, simul sacerdotio fungerentur. Quod autem quædam exempla producis, quibus ostendis וּ aliquãdo pro כִּי accipi, probas illud, quod non est necessarium, & quod nemo ignorat. Sed expende argumentum tuum. וֹו aliquando accipitur caussaliter. Ergo & hoc loco. dignum Bellarmino argumentum. Illud hîc ita non accipi, testatur non tantùm Andrada *lib. 4. cont. Chemnitium. Caietanus, Vatablus & Pagninus*, sed & res ipsa idem docet. Quod autem negas vulgatam versionem habere *obtulit*, vt inquit Chemnitius, ostẽdis te varia exemplaria non consulere. Quidam enim libri habent obtulit. Testis Andrada lib. 4. cont. Chemnitium. Deinde contradicis tibi ipsi, probas enim hanc lectionem ex Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 3. at ibi disertè legitur *obtulit*. Aut igitur erras dum Chemnitiũ mendacij arguis, aut tibi ipsi contradicis. Quod autem dicis Ambrosium dicere *Melchisedechum obtulisse Deo panem & vinum in sacrificium, falsum est*. Ambrosius enim dicit *tunc victor venit* (loquitur de Abrahamo) *occurrit ei Melchisedec sacerdos, & obtulit ei panem & vinum*. Si stabis Ambrosij sentẽtia, cecidisti tua caussa. Ambrosius n. nõ dicit, eum quicq̃ obtulisse Deo, sed

obtu-

obtuliſſe victori.i.Abrahamo.Epiphaniũ allegas hęr. 79. ἐξήνεγκε τῷ ἀβραὰμ ἄρτους καὶ οἶνον, & paulò poſt ὁ μελχισεδὲκ αὐτῷ, loquitur de Abrahamo, ἀπήντα, καὶ ἐξέβαλεν αὐτῷ ἄρτον καὶ οἶνον. Si tu ex hoc loco poteris colligere Melchiſedec obtuliſſe Deo panem & vinũ in ſacrificiũ, dicã te ipſo Carneade acutiorem eſſe. Reliqua patrũ loca non libet excutere, ne longior ſim, & ſuo loco excutientur. Allegas prætereà pſalm. 109. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec*, & addis *cur Chriſtus ſacerdos ſecundum ordinẽ Melchiſedec, niſi quia ille obtulit panem & vinum, hic ſeipſum in ſpecie panis & vini.* Hanc orationem affirmamus blaſphemam eſſe, poteſt enim in hunc modum reſolui, nulla alia cauſa eſt, ob quam Chriſtus ſit ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec, quàm hæc ſola, quòd Melchiſedec obtulit panem & vinum, Chriſtus autem ſeipſũ obtulit in ſpecie panis & vini. Si hoc verum eſt, tum Apoſtolus in epiſt. ad hebræos cap. 5. & 7. ſcripſit mẽdacium. Allegat enim eius rei longè aliam cauſſã, & hanc præterit. Deinde ſi eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec, qui Chriſtum offert in ſpecie panis & vini, tum omnes papiſtici ſacrificuli ſunt ſacerdotes ſecundum ordinem Melchiſedec. Illi enim omnes clamant, ſe quotidiè offerre Chriſtum in ſpecie panis & vini. At quis feret has blaſphemias? Sed non conſtituimus nunc de miſſa diſputare. Explicabimus eam controverſiam ſuo loco, Nunc tantùm dicimus Melchiſedec non ſacrificaſſe. Id enim docet phraſis hebręa: Teſtantur omnes grammatici, fatentur Andrada, Vatablus, Pagninus, Arias, Caietanus. Deinde illud ו non eſſe cauſalem particulam

doce-

docet textus hebræus, fatētur Caietanus, Vatablus, Arias & Pagninus; docent hoc omnes grammatici. Prętereà לחם hoc loco non ſignificat *panem*, ſed cibum in genere, quo Melchiſedec refecit excercitum, docet hoc ipſe textus, teſtantur omnes grammatici, fatentur Andrada, Caietanus, Pagninus & Vatablus. Denique nihil Deo oblatum eſt, ſed quicquid productum eſt, Abrahæ, eiuſque excercitui productum eſt. Docet hoc ipſe textus, teſtātur omnes grammatici, fatētur Caietanus, Vatablus, Pagninus, Andrada, Ambroſius, Epiphanius. Poſtremò pſalm. 109. ad hanc rem probandam abſque blaſphemia adhiberi non poteſt. Pronunciamus igitur rectè feciſſe Chēnitium, dum hunc errorem caſtigauit. Si Bellarminus aſſentitur benè eſt, ſi pro Ieſuitica modeſtia in errore perſeuerat, æquè benè eſt, modò ſciat ſe principium petere, quoties hanc deprauatam verſionem in defenſionē papiſticæ miſſę contra nos allegat. Quintus locus Num. 36. 7. *omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione ſua. Et cuncta fœmina de eadem tribu maritos accipient.* Hanc verſionem reprehendit Oſiander, & eius falſitatē multis exemplis demōſtrat. In hebræo eſt, לא תסב נחלה לבני ישראל ממטה
אל מטה כי איש בנחלת מטה אבותיו ידבקו בני
ישראל: וכל בת ירשת נחלה ממטות בני ישראל
לאחד ממשפחות מטה אביה תהיה לאשה למען
יירשו בני ישראל אש נחלת אבותיו: ולא תסב
נחלה ממטת למטה אחר כי איש בנחלתו
ידבקו מטות בני ישראל:

hoc eſt *ne transferatur hæreditas filiorum Iuda de tribu*

ad

ad tribum aliam. Nam filij Israël singuli adhærebunt hæreditati tribus patrũ suorum. Et oĩs filia quæ possederit hæreditatem de tribubus filiorũ Israël, vni de familia tribus patris sui erit in vxorẽ: vt possideant filij Israël singuli hæreditatem patrum suorum. Ne transferatur possessio de tribu ad tribum aliam, sed singuli ex tribubus filiorum Israël suæ hæreditati adhærebunt. Bellarminus respondet hæc duo non differre, sed habere sensum prorsus eundem. Equidem hìc frõtem desidero. quod enim *viri simpliciter prohibentur de tribu aliena vxorem ducere*, nõ est in hebręo, quicqd dicat Bellarminus. Quod item *omnes fœminæ iubentur nubere viro de tribu sua*, hoc etiã non est in hebræo. Hebręus enim textus tantùm loquitur de *mulieribus hæreditantibus*, ijs non licuit extra tribum nubere. In priori igitur membro est additio, in posteriori mutilatio. Allegare autem Eusebium & alios, quod illi hunc locum ita intellexerint, insanire est. Non enim disputatur, an Eusebius & alij hũc locum ita intellexerint, sed quæstio est, an vetus interpres hunc locum rectè ex hebræo verterit. Deinde hac versione omnes penè doctores decepti sũt. Plerique enim asserunt, *non licuisse eis, qui diversarum tribuum erant, matrimonium contrahere, nisi solis Leuitis.* Sed hoc neque in Dei lege prohibitum est, neque in populo Iudaico vnquam obseruatum fuit. In lege non fuit prohibitum. Illa enim tantùm prohibet *tribuum possessiones confundi*, ijs verò, qui hæredes non sunt, nihil præcipit. Neque etiam in populo obseruatum fuit. Moses enim non duxit vxorem de tribu sua. *Aaron duxit vxorem Elizabet,* Exod. 6. 23. Illa est *filia Aminadab, & soror Nahazon,*

qui est

qui eſt de tribu Iuda, Num, 1,7.& Ruth 4,20. *Ioſabeth filia regis è tribu Iudæ nupſit Ioiadæ ſummo ſacerdoti*, 2. Paralip. 22.11. *David.* qui fuit è tribu Iudæ, habet *uxorem Michol*, 1.Sam. 28,27. *Michol aũt erat filia Saulis*, q erat de *tribu Beniamin*. Elizabet vxor Zachariæ erat *ex filiabus Aaron*, Luc.1.5.& erat *cognata Mariæ*, Luc.1,36 Sed Maria citra cõtrouerſiã erat de *tribu Iuda*. Vndecĩ tribus teſtantur ſe non *lege*, *ſed iuramento teneri*, quo minus ſuas filias Beniamitis elocent, Iud.21.verſ.18. Hinc manifeſtum eſt hoc neque prohibitum, neque obſeruatum fuiſſe in populo Iudaico. Dum igitur Bellarminus hoc loco vulgatam verſionem tuetur; tantùm oſtendit peruerſum & pertinax in erroribus tuẽdis ſtudium. Sextus locus Eſdræ 9.8. *vt daretur nobis pax illius in loco ſancto eius*, in hebræo eſt ולתת לנו יתד במקום קדשו. Hunc locum caſtigauit Chemnitius, & dixit *clauum*, vel *paxillum* legendum eſſe. Errorem hunc agnoſcit Bellarminus. Septimus locus eſt, Iobi 5, 1. *Voca ergo ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorũ conuertere.* In hebræo eſt ואל מי מקדשים תפנה. hunc locũ intempeſtiuè Bellarminus adduxit, non enim reprehẽdit Chemnitius eius verſionem, ſed prauam papiſtarum expoſitionem. Papiſtæ dicunt *ad quem ſanctorum reſpicies*, idem eſſe, atque *ſanctos mortuos inuocandos eſſe*. Sed hoc non eſſe verum, manifeſtum eſt. Tempore enim Iobi non fuit repertum dogma de ſanctorum inuocatione. Deinde Eliphas non iubet vt Iobus inuocet defunctos, ſed ridet eum, & dicit, tu te extollis, at tam miſer es, vt nullus angelus te reſponſione dignetur. Deinde non poteſt ſequi. Nam ſi dicas, *ad quem ſanctorum re-*

ſpicies

ſpicies qui tibi reſpondebit? hoc eſt, *nemo ex omnibus ſanctis te reſponſione dignabitur*. ergo *mortui ſunt inuocandi*, ſi, *inquam*, ita dicis, Helleboro opus habes. Non enim illud ex Eliphaſi ſententia ſequitur. Sed hoc potius, cùm igitur ex omnibus ſanctis nemo tibi reſpondebit, æquum eſt, vt te humiliés, & Deo non reſponſes, neque tuam innocentiam apud Deum prædices. In græco eſt εἰς τίνα ἁγίων ἀγγέλων ὄψει; Si acquieſcis huic expoſitioni, benè eſt; ſi non acquieſcis, ſcias te principium petere, quoties mortuorũ inuocationem ex hoc loco probas. Octauus locus Prouerb. 16. 11. *opus eius ſunt omnes lapides ſeculi*, caſtigauit hoc Chemnitius. In hebræo enim eſt מעשהו כל אבני כיס hoc eſt, *omnes lapides ſacculi*, hunc errorem agnoſcit Bellarminus. Nonus locus eſt Eccleſ. 9. 1. *Neſcit homo, vtrum amore, vel odio dignus ſit*. Hunc locum notauit Chemnitius *deprauatum eſſe, ad probandam dubitationem de remiſsione peccatorum*. In hebræo eſt גם אהבה גם שנאה אין ירע האדם hoc eſt, interprete Aria, *etiam amorem, etiam odium non ſciens homo*. Manifeſtum igitur iſtam vocem *dignus* eſſe ad genuinum textum appoſitam, ac proinde hunc locũ deprauatũ eſſe. Iam vidẽdum, an iſta vox ad ſenſum exprimendum ſit neceſſaria. Salomon loquitur de æterna Dei prouidentia. Hoc conſtat ex verſu eod. & ſequent. Ex eodem: Dicit enim *Iuſtos & Iniuſtos, & opera eorũ eſſe in manu Dei:* ex ſequente, *omnia* enim *dicit euenire conſimiliter omnibus, euentum vnum eſſe Iuſto & Iniuſto.* Horum verborum verus ſenſus eſt, *è manu Dei eſſe, quod Iuſti & Iniuſti benè vel malè habeant, ne ideo commoueantur, quod ſibi eadem euenire videant, quæ alijs.*

O vel

vel, quod idem eſt. *omnia bona, & mala, quæ cuiquam eueniunt, eſſe decreta, & ob eam cauſſam non eſſe, quod ſe quisquam cruciet, ſed boni omnia conſulat, & ſe ſuaq; omnia ſibi perſuadeat in manu Dei eſſe.* Nulla igitur hìc *dignitatis* ratio: Deinde *amor* & *odium* vel ſignificant illud, quod homo amat & odit, Nam de affectu humano intelligi non poteſt. vel deniq; quo homo amatur, & odio habetur. Si illud, tum *amor* idem eſt, quod *res amata*, & *odium* idem, quod *res exoſa.* atq; tum verus ſenſus eſt, homo neſcit re amata & exoſa vti, nempe per ſe, vel ſua facultate & arbitrio. In hunc modum intelligit Aben Ezra: Si hoc, tum verus ſenſus eſt, homo neſcit an à Deo ametur, vel odio habeatur, atq; hoc poteſt dupliciter intelligi, nempe de ipſo Dei fauore, & de externis euentibus. Nos intelligimus de externis euentibus. Papiſtę de ipſo Dei fauore; Videamus nunc vtra ſententia ſit melior. Paulus dicit *ſe perſuaſum habere, quod nihil poſsit ſe ſeparare à charitate Dei* Rom. 8, 38. Sciuit ergo vtrum à Deo amaretur. Idem Rom. 8, 16. dicit *ſpiritum vna teſtari cum noſtro ſpiritu nos eſſe filios Dei.* Sciunt ergo filij Dei vtrum à Deo amentur. Plura eiuſmodi teſtimonia ſunt paſsim obuia. Ergo locus Eccleſiaſticus ita intelligi non poteſt. Rectè ergo de externis euentibus intelligitur, & verus eius ſenſus eſt, *ex externis euentibus neminem poſſe iudicare vel de ſe, vel de alio, an à Deo ametur, an verò odio habeatur, & vtriuſque cauſſam hominem, vt homo eſt, ignorare. Quia vt mali, ſic & boni viri calamitates patiuntur: & vt boni proſperè habent, ſic & mali.* Mer. Hęc ſi Bellarmino ſatisfaciunt, bene eſt: ſin minus, æquè bene eſt, modo

ſciat

sciat se principium petere, quoties ex hoc loco malè verso malum dogma defendere conatur. Ad loca ex Ecclesiastico adducta non respondebo, ille enim liber est apocryphus, vt lib. primo ostendimus, ad locum ex Michæo cap. 5. respondimus ante. Decimus locus, Ioëlis 2. *præstabilis super malitia*. ista voce vtitur Hieronymus in commentarijs, & si ita intelligitur, vt Hieronymus explicat, tum non offendit Chemnitium, alioqui vox ipsa in Latio ignota est. Atq; hæc de locis à Chemnitio notatis, ex quibus manifestè apparet veterem interpretem sæpè ab hebraica veritate recessisse, ac proinde eius versionem non posse authenticam esse.

CAPVT IX.

Refutatio exceptionum ad loca à Caluino producta.

SVperiore capite ostendimus Chemnitium meritò flagellasse veterem versionem, nunc videbimus, an Caluinus eādē meritò reprehēderit. Primus locus est Ps. 2, 12. *Apprehēdite disciplinā*. Hūc locū dixit Caluinus malè versū esse. In hebreo est נשקו בר hoc est, *osculamini filium*, neque vllum verbum est, quod *apprehendere* significat. Fatetur Bellarminus verbum verbo redditum non esse, sensum tamen fideliter expressum esse. *Osculari* enim *filium*, est eum pro *rege agnoscere*. Eum verò pro rege nemo agnoscit, nisi qui eius doctrinam recipit. At hoc nihil aliud est, quàm disciplinam apprehendere. Hæc interpretatio etsi mala non est, tamen propterea non sequitur, hunc locum benè versum esse. Interpres enim non habet istam potestatem, præsertim cùm nulla est necessitas. Debet n. q̄ minimum fieri potest,

à verbis recedere: si aliter facit, sensum suũ exprimit, nõ eum, quem verba diuinitùs inspirata præ se ferũt. Deinde quod inquit Bellarmin. sensum probè redditum esse, verum non est. Disciplinam enim apprehendere, non est filium osculari. Disciplinā n. non est filius, sed tantùm modus, seu mediũ, quo quis se filio subijcit. neq; oĩs disciplina est modus, quo quis se filio Dei subijcit, sed tantùm ea, quę Dei verbo cõprehensa est. Deinde apprehendere disciplinam est doctrinam de filio Dei suscipere, osculari aũt filiũ, est eũ pro rege agnoscere, & se eius subditũ confiteri. Hoc esse quidem cum eo cõsentaneum non inficior, idem tamen esse nego. Ex hebræo n. possumus filij auctoritatē in oẽs creaturas probare, ex latino non possumus, non igitur idem sensus. Hunc errorē in hoc versu tantũ notauit Caluinus, sed est & alius æquè crassus. Nam in eodē versu est, *ne pereatis de via iusta*. Illud *iusta* non est in hebræo, & sensum peruertit. *Via* n. phrasi hebrea ponitur pro humanis studijs. Sensus igitur est, *Ne pereatis propter viam*, h.e. propter vestrā inobediētiam, quam erga filium exercetis, vel ne via vestra pereat. hoc est, ne ratio vitæ vestræ damnetur. Quocunque modo verteris, non poterit consistere versio Latina. Nemo enim peribit propter viam iustam, neque ipsa via iusta damnabitur, & alia interpretatio, vt opinor, non dabitur. Ne autem quis in ista particula *de* materiam cauillandi inueniat, sciat & eam esse addititiam, non n. est in hebręo. Rectè igitur hunc versum flagellauit Caluinus. Sed quoniam ei tantùm propositum fuit, apud moderatos homines ostendere huius versionis vitiositatem

tem, ob eam cauſſam non omnia perſequi voluit. Secundus locus Pſal.4,3. *filij hominum vſque quo graui corde.* Et hunc locum caſtigauit Caluinus. Nihil enim eſt in hebræo, quòd *graue* ſonat, neque quicquam, quod *Cor* ſonat. Eſt autem textus hebræus עד מה כבדי לכלמה hoc eſt *vſq; quo gloriam meam in ignominiam?* Bellarminus ſuſpicatur hebræum textum corruptum eſſe. Sed hæc ſuſpicio vana eſt. Omnes enim patres teſtantur hebræos libros non eſſe corruptos. Deinde docet in textu hebræo & verſione latina, eſſe ſenſum eundem. Idque probat in hunc modum, *Deus*, inquit, *conqueritur homines cæleſtia contemnere; & ſectari temporalia*, & eos latina verſio vocat *graues corde.* In hebręo verò textu dicit eos eſſe *gloriam ſuam.* Sed hoc eſt falſum, & ratio, qua hoc probat, eſt vana. Non enim Deus, ſed Dauid conqueritur, ſunt enim verba Dauidis. Hoc poteſt colligi ex verſu antecedēte, & ſequente. Ex precedente. Qui enim hîc loquitur, petit vt *Deus ſui miſereatur*, Ex ſequēte. *Dicit enim ſe à Deo ſegregatum eſſe.* Deinde quod dicit *Deum vocare impios gloriam ſuam*, viderit ipſe, quomodo probare poterit. Scriptura enim nūquam vocat illos, qui Deum indeſinenter contumeliis afficiunt, & obſtinatè in peccatis perſeverant, gloriam ſuam. Tertius locus eſt Pſal. 32.4. *Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Hunc locum dixit Caluinus malè verſum eſſe. In hebræo enim eſt נהפך לשדי בחרבוני קיץ hoc eſt, *verſus eſt viror meus in ſiccitates æſtatis*, vbi neq; *ſpinæ*, neq; *confixionis*, neq; *conuerſionis* vlla mentio eſt. Bellarminus ſuſpicatur textum hebræum corruptum eſſe. Sed hæc ſuſpi-

cio falſa eſt. Nam verba hæc in hebraico pſalterio apud Hieronymum eodem modo leguntur. Deinde dicit interpretem *corripi non poſſe*, *vertit enim ex Græco*. Sed Bellarmine, ſi vertit ex Græco, tum vulgata verſio non eſt authentica. Græca enim verſio nunquam fuit authentica. Eius igitur Latina verſio authentica eſſe non poteſt. Non enim plus auctoritatis habet, quàm à græca editione accepit. Deinde neque Græcæ verſionis textum fideliter reddit. Nam in Latina eſt, *conuerſus ſum in miſeria*. Hoc ſecundum tuam explicationem eſt, *cum in miſeria eſſem, conuerſus ſum ad Deum*, hoc eſt, reſipui, vel pœnitẽtiam egi. At in græco eſt ἐστράφην εἰς ταλαιπωρίαν, hoc non eſt, reſipui cùm eſſem in miſeria, ſed *in miſeriam verſus ſum*, hoc eſt, factus ſum miſer. Idem autem eſſe, conuerti ad Deum, cùm es in miſeria, & verti in miſeriam, vel miſerum fieri, iis, qui ſanam mentem habent, nunquam perſuadebis. Deinde licet græcus verba non expreſſerit, ſenſum tamen vtcunq; retinuit. In hebræo n. eſt, *meus ſuccus verſus eſt in ſiccitates æſtiuas*, hoc eſt, quemadmodum omne humidum à Solis æſtu conſumitur, ita ego præ æſtu iræ tuę penè exarui, vel, quod idem eſt, penè conſumptus ſum. Atque hoc ſecundum ſenſum idem eſt, atque ἐστράφην εἰς ταλαιπωρίαν, hoc eſt, *factus ſum miſer*. Græca igitur tranſlatio ab hebræo ſenſu non longè receſsit. Latina verò non magis cum græco, quàm cum hebræo congruit. *Conuerti enim ad Deum, & conuerti in miſeriam*, ſunt contraria. Nam qui ad Deum conuertitur, ille incipit à miſeria emergere, qui verò in miſeriam vertitur, à Deo flagellatur, &

punitur. Deinde illa verba, *dum configitur ſpina*, nullum ſenſum habent, quicquid dicat Bellarminus. Spina n. non configitur, neq; poteſt configi. Et ſenſus aliquis eſt, Dauid configitur ſpina. vel, ſpina infigitur Dauidi. Prætereà neque verſionis græcæ ſenſus hic expreſſus eſt. In græco enim eſt, ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθα, hoc eſt, *dum mihi ſpina infigitur*. Dicere verò, dum mihi ſpina infigitur, idem eſſe, atque dum *ſpina configitur*, inſanire eſt. Proinde & in hoc hemiſtichio, latina verſio non magis cum græco, quã cum hebræo congruit. Sed hîc notat Bellarminus regulam corrigendi S. Biblia. *Cùm videmus*, inquit, *in Latino textu facilè potuiſſe aliquid mutari à librarijs propter literarum ſimilitudinem, & non potuiſſe in hebræo, dicimus errorem librariorum eſſe in Latino, vbi verò facilè potuit aliquid mutari in hebræo, & non in græco, & latino, ibi dicimus in hebræo eſſe librariorum errorem*. Sed hoc idem eſt ac ſi dicas, ſi regula mollis eſt, & facilè poteſt flecti, tum debet ad lapidem accommodari. Si verò lapis mollis eſt, & facilè flecti poteſt, tum debet ad regulam accõmodari. Deinde Hieronymus ſæpè flagellat verſionem græcam veteris Teſtamenti, ipſa etiam Latina verſio, quam Hieronymi eſſe vultis, à Græco & Hebræo diſcrepat. Quomodo igitur potes Latinum ad Hebræum, & contra Hebræum ad Latinũ mutare? Annon hoc idem eſt, quod Eraſmus in præfatione ad Nouum Teſtam. ex aurea bulla docet, *Pontificem aliquando decreuiſſe, vt Græci libri Noui Teſtamenti ad exemplum Latinorum librorum mutarentur*. Sanè ſi Latina editio ad Hebræam, & contra Hebræa ad Latinam mutari debet, nihil certum erit in

S. literis. Atque hæc est ista papistica Theologia. Sed quid facies locis istis, quæ ex diametro pugnant, vt Genes. 8, 4. vbi hebræa dicit *arcam decima septima die mensis quieuisse*. Latina verò idem *vicesima septima* die factum affirmat, & Genes. 37, 2. Hebræa dicit Iosephum eo tempore fuisse *septendecim annorum*. Vulgata verò dicit eum tum fuisse *annorum sedecim*. Num hîc, & in similibus ista plumbea regula locum habebit? Quartus locus Psalm. 38, 8. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus*. Hunc locum reprehēdit Caluinus. In Hebræo enim est כִּי כְּסָלַי מָלְאוּ נִקְלֶה vbi nulla *illusionum* mentio. Sensus enim est, *quoniam ilia mea plena sunt ardore*. Bellarminus respondet נִקְלֶה significare *ardorem & ignominiam*, *Dauidem autem loqui de eo pruritu, qui cùm in corpore existit, in mente parit illusionem*. Veterem igitur interpretem vertisse illusionem, & effectum pro causa posuisse. Verùm Bellarmine, cùm Dauid hunc Psalmum conscriberet, secundum omnium penè sententiam grauissimo morbo erat correptus. At illi qui grauiter laborant, non sentiunt istum pruritum, de quo loqueris. Ergo si illusiones de quibus dicis, tum sunt in mente, cùm pruritus sentitur in carne, sequitur Dauidem eo tempore ab illis liberum fuisse. Verus sensus est, ipsius ilia nimio dolore penè fuisse torrefacta, vel combusta, quemadmodum illis accidit, qui vel peste, vel acutis morbis laborant. Quintus locus est, Psalm. 68, 7. *Deus inhabitare facit vnius moris in domo*. Hunc locum castigat Calvinus, in Hebræo enim est, יְחִידִים. At יְחִידִים non significāt *μονοτρόπους*, vt vertit Græcus, neque *homines vnius moris*, vt vertit Lati-

Latinus, ſed ſignificăt *vnicos*, vt ex pſal. 22.21.& pſal. 25.16. liquet. Atq; hoc ſecundum ſubiectam materiam explicatur pſal. 22.21. *erue de manu canis vnicam meam* h.e. vt interpretatur Vatablus, *ſolitariam, & quæ ſubſidijs omnibus deſtituitur.* Pſal. 25. 16. *quia vnicus & pauper ſum*, h.e. vt idem Vatablus explicat, *ab oībus deſertus, & omni ope deſtitutus.* Planè eodem modo Vatablus dicit in Pſal. 68.7. *vnicos vocari ſolitarios & deſertos in familia* h.e. vt *qui liberis carebant, habeant amplam familiam.* Quin & Hieronymus in pſalterio hebraico vertit *ſolitarios*. Si igitur hæc interpretatio diſplicet Bellarmino, abſtineat à Caluino, & Ariæ Montano, Pagnino, Vatablo, Hieronymo & omnibus doctis litem intendat. Sextus locus eſt in eodem verſu, *Qui habitant in ſepulchris.* Et hunc locum caſtigauit Caluinus. in hebræo enim eſt צחיחה Bellarminus ſcripſit, *negari non poteſt, quin vox hebræa* עחיחה locum arentem deſignet. Duplici errore, non enim eſt ע ſed צ. Deinde ה non eſt de ſubſtătia nominis, ſed eſt nota, quæ motum ad locum ſignificat, ſed credo typographi culpam eſſe. Libenter enim in bonam partem interpretabor, quę poſſum, At צחיח non ſonat ſepulchrum, ſed propriè ſignificat *candorem ſeu nitorem. Vnde ad editum locum ſignificandŭ transfertur, qui ſuapte natura aridus glaber eſt, & nitidus: Interdum ariditatem denotat, cui loca eiuſmodi nitida & edita ſunt expoſita, quod in illis ſit veluti caluities, nec illic herba creſcat, aut gramina, et eiuſmodi.* Mercerus. Pro loco igitur ſicco & arido explicat R. Dauid in commentarijs. Idem facit Vatablus, Pagninus, Arias, & omnes iſti, qui hebræam linguam callent. Quin ipſe

Bellarminus dicit *negari non posse* עחנחה *locũ arentem significare*, verùm addit *hoc interpretem non ignoraſſe, ſed poſuiſſe ſepulchrum, vt horrorem deſerti exprimeret.* At hoc eſt ludere. Non enim quæritur, quid interpres ſciuerit, necne: deinde ipſe Hieronymus vertit ex hebræo *in ſiccitatibus.* Præterea, ſepulchrum ponere pro loco ſicco, non eſt interpretari, ſed explicare, & hoc non licet interpreti, ille enim non debet à verbis diſcedere, niſi neceſsitas illum id facere cogat. Rectè igitur hunc locum caſtigauit Caluinus. Septimus locus eſt eodem Pſ. v. 13. *Rex virtutũ dilecti & ſpeciei domus diuidere ſpolia: ſi dormiatis inter medios cleros &c.* Hunc locũ caſtigauit Caluinus. In heb. eſt מלכי צבאות ידדון ירדון ונות בית תחלק שלל אם תשכבון בין שפתם h.e. interprete Aria Montano. *Reges exercituũ fugiebãt, fugiebãt, & habitatio domus diuidebat ſpoliũ, ſi accubueritis inter tripodes.* Bellarmin' dicit interpretẽ benè vertiſſe quod fuit in græco. At græca editio nunq̃ fuit authentica, quomodo poteſt igitur eius verſio authentica eſſe? Deinde dicit hebræum textum poſſe ad latinum facilè accommodari. At quid hoc aliud eſt, quàm lineam ad lapidem flectere? Equidem Bellarmine plus auctoritatis apud me haberent tuæ diſputationes, ſi te in re deplorata minus pertinacem viderem. Vtique in hebræo non eſt *Rex*, ſed *Reges*, nec in hebræo eſt *dilecti*, ſed *fugerunt*. Deinde etſi ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων apud Græcos vtcũque intelligi poteſt. κλῆρος enim teſte Suida *limitem* ſignificat: tamen quid ſit apud Latinos *inter medios cleros dormire* nõn facilè explicueris. Et tamen audes in tanta luce doctrinæ & linguarum hæc tam perti-

pertinaciter defendere. Octauus locus eſt verſ. 23. *Conuertã in profundũ maris.* Hũc locũ caſtigauit Caluinus. In hebræo n.eſt אשיב ממצלות ים h.e, interprete Vatablo, *reducã de profundis maris.* At *cõuertã in profũdũ maris,* & *reducã de profundis maris* ſunt cõtraria. Bellarminus contendit & verſionem vulgatam poſſe defẽdi, quia מין apud hebręos teſte R. Dauide aliquando ſignificat *in,* & ob eam cauſſam ממצלות eſſe *in profũdũ.* Quod equidẽ miror viro docto excidiſſe. Etſi n. מין aliquãdo *in,* ſignificat, nõ tamẽ iſthic ſequitur, illud & hoc loco ita accipi. Deinde propheta loquitur de liberatione populi, an verò cõuertere in profundũ maris ſit idẽ, quod populũ liberare, iudicet ipſe Bellarminus. Reliqua nõ libet excutere. Et ex his ſatis manifeſtũ eſt vulgatã verſionẽ ab hebręa veritate ſæpè lõgius euagari, & propterеà nõ eſſe authẽticã.

Cap. x.

Argumenta quibus Bellarminus probare conatur Græcam N. Teſtamenti editionem non eſſe authenticam, refutantur, & ſimul oſtenditur eam eſſe authenticã, vel, quod idẽ eſt, eſſe principiũ Chriſtianorũ dogmatũ.

AD quaſdã exceptiões cõtra loca à Caluino ꝓductã reſpõdim⁹ cap. ſuperiore. Nũc diſſerem⁹ de authẽtica editiõe N.T. Sũt aũt duę verſiões de q̃bus cõtrouerſia eſt, vna Græca, altera Latina. Aduerſarij volũt Græcã editionẽ eſſe corruptã, & ob id regulã fidei eſſe nõ poſſe, eſſe aũt vulgatã latinã authẽticã. Nos hoc negãtes, gręcã incorruptã, ac ꝓinde authẽticã eſſe aſſerim⁹. Aduerſ. verò hic ſibi nõ ſatis cõſtãt, aliq̃ n. volũt gręcã editionẽ prorſ⁹ eſſe corruptã, alij verò aſſerũt eã nõ ꝓrſus purã eſſe, intea tñ eã ita

cor-

corruptam esse, vt authentica esse non posit. vnde inferunt Latinam esse Græca integriorem, ac proinde authenticam. Hanc sententiam sequitur Bellarminus. Ille probat suam sententiam aliquot argumẽtis, quæ ordine expendemus. Primum argumentũ, Quia corrupta est.

Quod deprauatum est, hoc non potest esse authẽticum. Sed græca editio Noui Testamenti est deprauata. Ergo non potest esse authentica.

Maiorem nos concedimus. Nam quod corruptũ est, & deprauatum, id non potest incorruptæ doctrinæ principium esse. Minorem probat Bellarminus aliquot locis ex Græco Testamento productis, quæ ordine expendemus. Primus locus ad Corinth. 15. 47. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* In græco constanter legitur ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Hoc ita deprauatum esse à Marcione dicit Bellarminus, & hoc probat ex Tertulliano lib. 5. cont. Marcionẽ. Secundum eum enim legendum esset ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ἐξ οὐρανοῦ ἐπουράνιος. Argumentum erit huiusmodi.

Quem locum Tertullianus corruptum esse dicit, ille est corruptus. Sed hunc locum Tertullianus corruptum esse dicit. Ergo est corruptus.

Etsi ad Maiorem respondere possemus, tamen ea prætorita, negamus Minorem. Tertullianus enim lib. 5. cont. Marcionem ex Epist ad Corinth. in fine hunc locum allegat, sed prorsus eodem modo, atque nos legimus. *Primus,* inquit, *homo de humo terrenus, secundus Dominus de cœlo.* Neque dicit hunc locum fuisse à Marcione corruptum, sed præcedentem. *Dominum,*

minum, inquiens, *posuit nouissimum pro nouissimo Adã.* Deinde Epiphanius Hæresi 22. recenset omnia loca Noui Testamenti, quæ Marcion corrupit, sed huius non meminit. Huc accedit Chrysostomũ & Theophylactum eodem modo legere. Postremò eandem lectionem habet versio Syra & Arabica. Hunc igitur locum corruptum esse credibile non est. Nam cùm Orthodoxi summa diligẽtia libros custodirent, quis credet ex Arabibus, Syris, Græcis & Latinis hoc neminem vidisse. Quod autem Hyeronymus & Ambrosius ita legunt, vt in vulgata versione est, nihil probat. Illi enim vulgatam versionem sequuntur, vt quæ tum in ecclesijs occidẽtalibus cepit vsitata fieri. Secundus locus est 1. Corinth. 7. 33. *Qui autem cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est, et mulier innupta, et virgo cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta & corpore & Spiritu, &c.* At in Græco longè aliter est. Nam μεμέρισται cum sequentibus coniungitur, in Latino verò cum præcedentibus. Illam Græcam lectionem dicit Hieronymus lib. 1. Cont. Iouianum *non esse Apostolicæ veritatis.*

Quicquid Hieronymus dicit non esse Apostolicę veritatis, hoc est corruptum. Sed hanc Græcã lectionem Hieronymus negat Apostolicæ esse veritatis. Ergo est corrupta.

Nos dissimulata Maiore, respondemns ad Minorem, eundem Hieronymũ ad Heluidium, & ad Eustochium de seruanda virginitate, eandem lectionem seruare, quæ est in Græco, vnde apparet Hieronymi auctoritati hoc loco parum tribui posse. Deinde Syra translatio probat gręcam lectionem, idem faciũt

Theo-

Theophylactus & græca ſcholia, & Baſilius libro de vera virginitatis integritate. Prætereà duplex eſt huius loci diſtinctio: vna ante μεμέρισται, altera poſt. Secundum illam diſtinctionem ſenſus eſt; *vir uxoratus diuiſus eſt*, hoc eſt, diſtractus in varias curas, ſecundũ hanc, *vxor & virgo diſcretæ ſunt*, hoc eſt; inter eas eſt differentia, illa enim curat, quæ ſunt mariti, hæc quę ſunt Domini. Vtraque ſententia eſt orthodoxa, ſed hæc concinnior. Si autem omnes loci ſunt corrupti Bellarmine, qui variè diſtinguuntur, tum nullum caput integrum & ſanum eſt in tota vulgata verſione. Tertius locus eſt Roman. 12. 11. *Domino ſeruientes*, Gręci enim legunt τῷ καιρῷ δουλεύοντες. Hieronymus autem dicit in epiſtola ad Marcellum in emendatis codicibus legi, τῷ κυρίῳ δουλεύοντες.

Quod cum emendatis exemplis non congruit, illud eſt corruptum. Sed hæc lectio cum emendatis exemplis nõ congruit. Ergo eſt corrupta.

Argumentum hoc eſt putidum. Noſtri en. Græci libri legunt τῷ κυρίῳ vnus legit τῷ κυρίῳ & ad marginem annotat τῷ καιρῷ, & diuerſam lectionem fuiſſe apud veteres conſtat ex Hieronymo. Nam ſi emendati libri legerũt, τῷ κυρίῳ, fuerunt ſanè, qui aliter legerũt, & ita docet interpres Origenis. Quinetiã apud Latinos olim fuit diuerſa lectio. Ambroſius enim legit *tempori ſeruientes*, & dicit ſe intellexiſſe, quosdã Gręcos legere, *domino*. Nos aũt amplectimur illã lectionẽ, quæ legit *domino*. Illam n. probat Syra verſio, Chryſoſtomus, Theophylactus, & Baſilius in Ethicis ſumma 69 .c. 2. Neq; tamẽ altera lectio eſt mala, neq; eius ſenſus eſt hæreticus. Prætereà ſi omnes iſti loci ſunt corrupti, qui variè legũtur, tũ nullũ caput integrum

est in tota vulgata versione. Posthæc dicit Bellarminus *Græcos libros truncatos & mutilatos esse.*

Quod mutilatum est, & truncatum, hoc non potest esse authenticũ. Sed græci libri mutilati sũt & truncati. Ergo non possunt esse authentici.

Minorem probat Bellarminus aliquot locis, quos mutilatos esse existimat, eos ordine expendemus. Primùm dicit in græcis libris *deesse vltimũ caput Marci*, hoc est, decimumsextum. Sed hoc est falsum, legitur enim in omnibus græcis libris, quos quidem vidimus. Athanasius in Synop. eius summam recenset, & Theophylactus illud interpretatur. Extat itẽ apud interpretẽ Syrũ. Hierõ. ad Hebid. q. 3. de eo suspicionẽ mouet, sed frustra. Nã cũ reliquis Euãgelistis nõ pugnat, & antiquitatis testimonio nõ destituitur. Deĩde dicit *et Euãgeliũ Iohãnis mutilatũ esse, in græcis n. codicibus nõ extare principiũ cap. octaui, quod est de adultera.* Sed & hoc falsum est, in nostris n. libris omnib. ista historia extat. Athanas. in Synop. in cõpendio Euangelii Iohannis illam agnoscit, idem facit Chrysostomus Homil. 60. in Iohannem, & nostræ omnes Ecclesiæ eam approbant. Neque tamen dissimulandum est, huic parti fuisse aliquando contradictum. Hieronymus enim lib. 2. contra Pelagianos *fatetur eam in quibusdam græcis libris non extare, & adhuc in versione Syra non extat.* Deinde dicit & epistolam Iohannis primam, capite 5. 7. esse in græcis libris mutilatam. Nam pulcherrimum illud testimonium de Trinitate in græcis libris non extare, *Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, atque hi tres vnum sunt.* Sed hoc est falsum. Nostri enim libri

bri omnes id legũt. Athanasius item lib. 1. ad Theophylum, & Hieronymus illud legit, extat item in editione Complutensi. Neque tamen dissimulandum est, huic loco olim fuisse contradictum. Tertiũ argumentum est, quod quædam adulterina ad græcũ textum adsuta sint.

Cui aliquod adulterinum adsutum est, hoc nõ est authenticũ. Sed græco codici aliquod adulterinum adsutum est. Ergo græcus codex non est authenticus.

Minorem probat, quod Matthæi 6, 14. legitur, *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum, amen.* Hoc probat, quia *in nullo latino libro reperiuntur.* Sed vt antè ostendimus, concordantiam latinorum librorum non esse regulam veritatis in veteri Testamento, ita nunc adserimus eandem nõ esse regulam veritatis gręcę in Nouo Testamento. Deinde G[illegible]co nihil additum, sed à Latino aliquid detractum esse docet Valla. Hoc verum esse manifestum est. Nã Chrysostomus ea legit, & Theophylactus; reperiuntur etiam in Syra versione, & omnes gręci libri ea agnoscunt. Ex his apparet Gręcum textum neque corruptum, neq; mutilatum, neq; adauctum esse, & ob eam causam esse authenticũ. Sublata enim caussa, tollitur effectus. Hæc etsi sufficiunt, tamen vnum atque alterum argumentum adiungã, quo ostendam Gręcum textum esse authenticum. Ac primum,

Ad quod omnes latini codices emendari debent, hoc est, authenticum. Sed Gręcus textus est id, ad quod omnes Latini codices emendari debent.

debent. Ergo est authenticus.

Maiorem pono extra controuersiam. Minorem probant omnes patres, Ambros. de Spiritu S. lib. 2. cap. 6. *Quod si quis*, inquit, *de Latinorum codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falsauerunt, græcos inspiciat codices.* Idem de Sacramento incarnationis cap. 8. *Ita enim*, inquit, *in græcis codicibus inuenimus, quorum potior auctoritas est.* Idem docet Augustinus lib. 2. de doct. Christ. cap. 11. *Latinæ linguæ homines duabus alijs linguis ad scripturarum diuinarum cognitionem habent opus, hebrea sc. & græca, vt ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.* Idem in eod. libro cap. 15. *Libros autem N.T.* inquit, *si quid in Latinis varietatibus titubat, Græcis cedere oportere non est dubium.* Idem de Ciuit Dei. lib. 15. cap. 13. *Cùm diuersum*, inquit, *aliquid in vtrisque codicibus reperitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum vtrumque non potest esse verum, ei linguæ potiùs credatur, vnde est in aliam per interpretes facta translatio.* Ad hunc locum Viues. *Hoc ipsum Hieronymus*, inquit, *clamat, hoc ipsa docet ratio, & nullus est saniori iudicio, qui repugnet. Sed frustra consensus bonorum ingeniorum hoc censet. Nam rigidus stupor, velut moles opponitur.* Idem docet Hieronymus. Præfatione enim in Euangelistas ad Damasum profitetur se *versionem Latinam ad exemplum græcum correcturum esse*, idque auctoritate Damasi Papæ, *Nouum opus*, inquit, *me facere cogis ex veteri, vt post exemplaria scripturarũ toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeã, & quia inter se variant, quæ sint illa, quæ cum Græca veritate consentiant, decernã.* Idem docet Gratianus. Dist.

9.cap.vt veterum. *Nouorum*, inquit, *veritas Graci sermonis normam desiderat.* Et ibi Glossator, *Quantumcunq; sit aliquid*, inquit, *authenticum instrumentum, si tamen de ipso aliquid in dubium vocatur, semper exhibēdū est illud, à quo originē ducit.* 4. Si Papa & eius decreta errare non possunt, græcus textus tum citra omnem controuersiam fuit authenticus. At inter græcum textum, quem nunc habemus, & inter eū, qui fuit tēpore Hieronymi, Damasi, Gratiani, nulla est diuersitas. Quæ enim loca Bellarminus, propter variam illorum lectionem putat esse deprauata, illa & tum variè legebantur, & quæ putat esse mutilata, illa & tum in quibusdam libris non extabant. Et quod putat esse additum, hoc & tunc in quibusdam libris habebatur, quemadmodum antè ostendimus. Ergo si illis non obstantibus, omnes latini libri ad græcum textum illis temporibus fuerunt emendati, sanè & nunc ad eum emendari debēt. Imò si illis non obstantibus Græcus textus illis temporibus fuit authenticus, sanè & nunc authenticus esse debet. Sed primum, ergo secundum. Equidem pontificum decreta habent vim legum, quamdiu non abrogantur. At illud decretum, quod est Distinct.9. de libris latinis ad Græcos & hebręos emendandis, à nullo Papa, neque ab vllo concilio fuit antiquatum. Ipse enim Leo decimus Papa in bulla præfixa Nouo Testamento Erasmi, *approbauit laborem*, quo Nouum Testamentum ad græcum textum emēdauit, & errores veteris versionis detexit. Vnde apparet græcum textum vsque ad Leonē decimum fuisse authenticum. Si hoc non satisfacit

Bellar-

Bellarmino, doceat ipse, quando, & ob quas caussas græcus textus authenticus esse desierit. Nam caussæ ab eo allegatæ sunt nullius momenti. Eædem enim caussæ fuerũt tempore Augustini, Hieronymi, Gratiani, Leonis Decimi, quemadmodum ostensum est. Et tamen ijs non obstantibus Græcus textus ijs tẽporibus fuit authenticus. Aut igitur errauit tota primitiua ecclesia, quod iis caussis extantibus græcum textum habuerint pro authentico, aut Bellarminus cum tota Synagoga Romana errat, quod ob easdem caussas, & non alias græco textui authenticam veritatem detraxerit. Secundum argumentum,

Quæ editio à tempore Apostolorũ vsq; ad hanc ætatem in Ecclesia semp fuit authentica, illa & nunc authentica esse debet. Sed græca editio à tempore Apostolorum vsque ad hanc ætatẽ in ecclesia semper authentica fuit. Ergo & nũc authentica esse debet.

Maior est extra controuersiam posita, nisi aduersarij probent eam esse adulteratam. Sed hoc facere non possunt. Nam, vt sæpè dixi, diuersæ istæ lectiones, quas Bellarminus notauit, æquè fuerunt in primitiua ecclesia, atque nunc sunt. Ergo si illis non obstantibus, libri græci eo tẽpore fuerunt authẽtici, sanè ijdẽ libri ꝓpter easdẽ causas nũc nõ authẽtici esse nõ possũt. Minor ex præcedẽtibus ẽst manifesta. Nam grecam editionem in primitiua ecclesia authẽticã fuisse, extra controuersiam pono. Media ætate, & deinceps authẽticã fuisse docet Damasus, Augustinus, Hieronymus, Gratianus, Viues in locis su-

prà citatis. Eandem noſtra ætate fuiſſe authenticã docet Leo Decimus,Clemẽs,Adrianus,Valla,Steuchus,Caietanus,Pagninus, Arias ,& multi alij Papiſtici doctores. Ergo ſi ſemper fuit authentica, nunc etiam authentica eſſe debet. Aut ſi nunc nõn eſt authentica , idq; propter decretum Tridentinum, tum papa habet poteſtatem *ex libro non authentico faciendi authenticum* . Sed hoc negauit Bellarminus lib. 1. cap. 10. Deinde dicere *editionem græcam non eſſe authenticam propter decretum Tridentinum*, eſt petere illud, quod erat in principio. Græcam enim editionem non eſſe authenticam,inter nos eſt controuerſum;Sed & Tridentinum concilium inter nos incertum eſt. Illud igitur quod incertum eſt, probat per illud,quod æquè incertũ eſt. Ex his manifeſtum eſt, Græcam editionem eſſe authenticam.

Caput XI.

Vulgata editio N. Teſtamenti non eſt authentica,neque principium Chriſtianorum dogmatum.

GRæcam editionem N. Teſtamenti eſſe authenticã probauimus hactenus, & ſimul Bellarmini argumenta contra eam adducta diluimus , nunc de Latina vulgata diſſeremus. Eam Bellarminus dicit eſſe authenticam, nos negamus. Ille ſuam ſententiã aliquot argumentis probat, quæ quoniam à nobis anteà refutata ſunt,nunc leuiter tantùm attingemus. Primùm *quia penè mille annos in Eccleſia eſt vſurpata.* Reſpondeo græcam editionem longiore tempore in eccleſia vſurpatam fuiſſe. Deinde neque à tota eccleſia vſurpata fuit. Græci enim,Syri,Arabes ea nũquam

quã vsi sũt, et multi alij, neq; hęc sola ab latina ecclesia vsurpata est. August.n.ep.19. nõ vult eã *in Eccle. legi.* Isidorus, & Gregorius etiã alias versiones tũ vsitatas fuisse docent. Sanè singuli ferè patres peculiares habuerũt versiones. *Nã*, vt inqt Erasmus in præfat. ad Hilariũ, *trãslatio qua vtitur Hilarius, diuersa est ab hac, qua nunc vulgò recepta est. Porrò cùm Cypriano sua sit translatio, cùm Augustino sua, cùm Ambrosio sua, cùm Hilario sua, cùm Tertulliano sua ab omnibus diuersa: satis apparet olim nullam fuisse communem omnium.* Præterea, qui ea vsi sunt, illi nunquã habuerũt eã pro authẽtica. 2. *Quia multi episcopi graecè nesciunt*, sed hinc non sequitur græcam editionem non esse authenticam. Nam si propter ignorantiam episcoporum illa non esset authentica, tum neque latina esset authentica. Multi enim Episcopi & latinam linguam ignorant. Deinde authentica auctoritas Sacrarum literarum non pendet ab inscitia episcoporum. 3. *Quia nunc variæ versiones cuduntur.* Sed non propterea sequitur vulgatam esse authenticam. Nam & Augustini ætate erant multæ versiones, neque tamen ex ijs omnibus vna fuit authentica. Ergo vt tum, licet multæ essent versiones, Græca tamen erat authentica: ita & nunc eadem non obstantibus diuersis versionibus authentica esse debet. 4. *Quia Tridentinum concilium ita decreuit.* Hoc argumentũ etsi antè ostẽdimus futile esse, pauca tamen repetemus. Si igitur propter Tridentinum concilium vulgata versio est authentica, tum concilium Tridentinum est causa authenticę veritatis. Ac proinde ante illud hęc versio non fuit authentica. Effectum enim nòn est ante

caussam. Estne hoc, quod dicimus, Papam sibi arrogare potestatem faciendi libros canonicos ex non canonicis, & non canonicos ex canonicis? Equidem ante concilium Tridentinũ græcus textus erat authenticus, & ante idem concilium Latina versio nõ erat authentica. Nunc propter Tridentinum decretum græcus textus desijt esse authenticus, & propter idem Latina versio facta est authentica. Si hæc est vestra sententia, tum non debuisti Chemnitium mendacij insimulare, cùm hoc vobis exprobraret, aut si ita non sentitis, tum abstinete posthac ab istis argumentis, ex quibus nihil nisi hoc colligi potest: & vt controuersia semel finiatur, testamini coram toto hoc mundo, vos Gelasij, Innocentij, & reliquorum omnium, qui ex non canonicis canonicos, & ex canonicis non canonicos fecerunt, sententiam improbare. Deinde si Latina versio est authentica propter papæ auctoritatem, tum non illa, sed papæ iudicium est principium Christianæ fidei. *Nam propter quod vnumquodque tale est, illud magis tale*, vt inquit philosophus. Et hæc, vt existimo, est vestra sententia. Antecessores enim vestri multa crassè dixerunt *de scrinio pectoris Papæ*, ijsdem quidem verbis vos nunc non vtimini, sed tamen eandem rem vrgetis. Postremò, vide quàm ridiculum sit tuum argumentum. Vulgatam versionem dicis esse authenticam. At hoc est controuersum, & ob eam caussam non potest esse principium. Illud enim, quemadmodum antè docui, non debet *controuersum*, neque *alterius partis proprium*, sed *antè concessum*, & *vtrique parti commune esse*. Hoc vestrum

vestrum controuersum principium probas per *decretum concilij Tridentini.* Sed & hoc æquè controversum est. Concilium enim Tridentinum apud nos habet tantundem auctoritatis, atque illud, in quo Caiphas Christum condemnabat. Ergo illud quod controuersum est, probas per illud, quod æquè controuersum est, idq; nobis pro principio obtrudis. Hæc ego tam prolixè scribo, non vt te exagitem, sed vt ostendam caussæ tuæ infirmitatem. Si vos talibus principijs delectamini, potestis ijs per nos vti, modò nos ad ea, quæ non tantùm controuersa, sed etiam falsa scimus esse, non vrgeatis. Deinde si nobiscum disputabitis, vtimini istis principijs, quibus Apostoli, Euangelistæ, & tota primitiua, subsequensq; ecclesia vsq; ad tempus Tridentini cõcilij vsa est. Quod si facietis, concordiam ecclesiæ sperare possumus, si non facietis, tum totus mundus intelliget, vos caussæ vestræ diffidentes, circa falsa & controuersa principia languere, ne ad legitimã controuersiarum disputationem adigamini. Quicquid autem feceritis, scitote vos principium petere, quoties contra nos in dogmate controuerso, ex vulgata versione, in ijs locis, vbi illa à græco textu dissidet, testimonium adducitis.

CAPVT XII.

Exceptionum contra loca à Chemnitio producta refutatio.

VEterem trãslationẽ vulgatã non posse propter

ſed vt reſipiſcant. Idem ferè ijſdem verbis docet Chryſoſtomus, Homil. 31. in Matth. Cùm igitur hæc particula in authenticis illorum libris non extet, extet autem in omnibus græcis codicibus, & cùm ad ſententiam neceſſaria ſit, ſequitur vulgatam verſionem hoc loco à Chemnitio rectè reprehenſam eſſe. 2. locus eſt Iohãnis 14.26. *& ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Hunc locum reprehendit Chemnitius. Nam in Græco eſt καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν, hoc eſt, *reuocabit vobis in memoriam omnia, quæ dixi vobis.* Hanc eſſe veram huius loci ſententiam, fatetur Bellarminus. Sed negat inter hãc & illam eſſe diſcrimẽ; quod equidem miror. Illud n. futurũ eſt, vt rectè docet Eraſmus, hoc præteritũ. Deinde negat Papiſtas in *hoc verbo ponere fundamentũ auctoritatis conciliorũ.* Quod falſum eſt. Vtitur n. hoc loco ad eã rẽ Caniſius D: de præceptis Eccle. cap. 10. & multi alij. Tertius locus eſt Rom. 1.4. *Qui prædeſtinatus eſt Dei filius.* Hunc locum Caluinus dicit malè verſum eſſe. Eſt enim in Græco τοῦ ὁρισθέντος, hoc eſt, *declarato Dei filio.* Bellarminus dicit ὁρίζειν nũquam in S. Scriptura pro declarare accipi. Quod ſi verum eſt, tum Chryſoſtomus ignorauit græcam lĩguam, ille enim dicit ὁρισθέντος idem eſſe, atque δειχθέντος, ἀποφανθέντος, κριθέντος, ὁμολογηθέντος, Eandem ignorauit Theophylactus, dicit enim τοῦ ὁρισθέντος idem eſſe, quod ἀποδειχθέντος, κριθέντος, βεβαιωθέντος, Græcus item Scholiaſtes eandem ignorauit. Dicit n. τοῦ ὁρισθέντος idem eſſe, atque ἀποδειχθέντος, ἀποφανσθέντος. Vide Eraſmum in Annotationib. in 1. cap. ad Rom. Deinde & Syrus interpres vertit, *& cognitus eſt fi-*

lius Dei. Quod autem dicis omnes patres Latinos legere *prædestinatus est,* hoc nõ est verum. Tertullianus enim contra Praxeam cap. 27. legit *definitus est.* Quartus locus est Rom. 1, 32. *Qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et hunc locum notauit Chemnitius. Nam illa, *non intellexerunt,* & *facientibus,* redũdãt. Bellarmin⁹ dicit Latinã versionẽ esse greco textu meliorẽ. Nã secundũ græcũ sequeretur συνευδοκεῖν κακὰ πράττοντι esse grauius, quàm κακὰ πράττειν. hoc autem esse absurdum: *malum* enim *facere absolutè peius, quàm malè facienti consentire.* Deinde dicit *quosdam Latinos Patres ita legere, vt est in vulgata latina,* nos ad vtrumque respondemus, ac primum concedimus ex græco textu sequi τὸ συνευδοκεῖν κακὰ πράττοντι, esse deterius, quàm κακὰ πράττειν, sed hoc esse absurdum negamus, συνευδοκεῖν enim secundum Chrysostomum idẽ est, atque συμπράττειν καὶ ἐπαινεῖν, secundum græca scholia idem, atque εἰς τὸ κακὸν παρακαλεῖν, secundum Theophylactum denique idem, atque συνηγορεῖν τῷ κακῷ & idem secundum Syrum interpretem. At approbare mala, idq; cũ voluptate, multo detestabilius est, quã mala facere. *Hoc enim sæpenumero* (sunt verba Erasmi) *vel casus est, vel infirmitatis, illud verò pestilentissima & deploratissima malitiæ.* Nihil igitur absurdi sequitur ex græco textu. Quod autem aliqui Patres ita legũt, vt est in latina vulgata, mirũ nõ est, vtebant enim vulgata versione, & græcum textum, vel nunquam, vel raro inspiciebãt. Hoc cõstat ex Ambrosio in 12. cap. ad Rom. *Dicit n. se audiuisse quosdã græcos libros legere,*

Domino

Domino seruientes. Sed hîc mirari non satis potui Bellarmini responsionem, *nam cùm patrum, & quidē græcorum auctoritate urgeretur, respōdet, ego patribus oppono patres.* At si hæc responsio sufficit, tum nihil sanum atque integrum est in tota Christiana religione. Nullum enim ferè dogma est, de quo omnes Patres idem sentiunt, & loquuntur. Si igitur hęc respōsio sufficit, *oppono patres patribus*, nihil tam absurdum erit in religione, quod non defendi, & contra nihil tam sanum, quod non oppugnari possit, & ob eam caussam, non quodlibet ideo probandum est, quòd hic vel ille pater ita scripsit, sed quia huius vel illius patris scriptum cum Dei verbo congruit, ideò probandum est. Sextus locus est Roman. 4, 2. *Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est.* Hunc locum reprehendit Chemnitius, nam *τὸ legis* hoc loco abusi sunt papistæ, vt probarent ceremonialia opera tantùm à iustificatione excludi. Hoc negat Bellarminus. Sed contrarium suo tempore probabimus. Deinde dicit *vulgatam versionem non agnoscere istam vocem.* Hoc de hoc tempore verum est. Quoniā igitur illi ipsi hanc vocem olim à Papistis vsurpatam nunc repudiant, nō est necesse vt de eo multa verba faciamus. Sextus locus est, Rō. 11, 6. *Si aūt gratia, iā non ex operibus, alioqui gratia non esset gratia.* Hunc locum dixit Chemnitius mutilatum esse. Deest enim, *sin ex operibus, iam non ex gratia, alioquin opus iam non est opus.* Bellarminus respondet *hunc locum esse ad græcum appositum, quia nullus expositor præter Theophylactū eum habet.* Sed hoc nihil cōcludit. Nō n. quia hic vel ille interpres aliquē locū pterijt, ideò non

non pertinet ad textum. Deinde non est verũ, quod Bellarminus dicit. Nam & Chrysostomus eum legit, & Oecumenius, & Syrus interpres, prætereà ipsa res docet hanc antithesin requiri. Quod autem aliqui Latini patres eam particulam non habent, nõ est nouum, vsi enim sunt sæpè vulgata versione, & græcos libros rarissimè consuluerũt. Septimus locus Ephes. 5, 32. *Sacramentum hoc magnum est.* Hanc versionem reprehendit Chemnitius, & dicit papistas eo abuti, vt ostendant *coniugium esse Sacramentum*. At in græco est μυστήριον. Non omne aũt μυστήριον est Sacramentum. Bellarminus respondet benè versum esse. *Sacramentum enim esse Latinis, quod græcis* μυστήριον. Quod miror homini docto excidisse. μυστήριον enim est genus, Sacramentũ species. *Omne* enim *Sacramentum est visibile verbum*, vt inquit Augustinus. At non omne μυστήριον est visibile verbum, & ob eam caussam non omne μυστήριον est Sacramentum. Si hoc Bellarmino satisfacit, benè est, sin minus, æquè benè est, modò sciat se principium petere, quoties ex hoc loco malè verso ostẽdit matrimoniũ esse Sacramentum. Octauus locus est Ephes. 6. 13. *vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare*. Hunc locũ notat Chẽnitius. In græco enim est, ἅπαντα κατεργασάμενοι, id est, *omnibus confectis*, vel, vt interpretatur Erasmus, *omnibus peractis*, hoc est, *cùm omnia perfeceritis*, vt interpretatur Cyprianus lib. 4. epi. 6. Bellarminus dicit locum benè versum esse; quod miror eum in tanta doctrinæ & linguarum luce scripsisse. κατεργάζεσθαι enim significat conficere, effectũ reddere, perfi-

perficere, peragere, ἅπαντα igitur κατεργασάμενοι, quid aliud eſt ad verbum, quàm *omnia operati*, vt vertit Hieronymus (nota Hieronymi verſionem cũ vulgata non congruere) h. e. *omnibus confectis*, vt interpretatur interpres Chryſoſtomi, vel *omnibus perfectis*, vt vult Chẽnitius. Nonus locus eſt Heb. 13. 16. *Talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Hunc locum notauit Chemnitius. In græco n. eſt εὐαρεστεῖται ὁ θεός, id eſt, *delectatur Deus*. Bellarminus concedit illud propriè ſignificare, *delectatur Deus.* & tamen cõtendit vulgatum interpretem rectè vertiſſe. *Ille enim* inquit, *Latina phraſi benè de aliquo meretur, qui facit ei rem gratam.* Sed hoc aliquando eſt verum, non ſemper. Mancipium enim facit domino rem gratam, & tamen non benè meretur de domino. Deinde Deus εὐαρεστεῖτο bonis operibus Adæ ante lapſum, & tamen non reconciliabatur cum Deo bonis operibus. Nam eum tum nondum offenderat. Deus item fidelium laudibus in altera vita εὐαρεστεῖται, &. tamen fideles tum non reconciliabuntur Deo per ſuas laudes. Nam tum hæreditatem æternę vitæ conſecuti, Deo perfectè reconciliati ſunt. Ergo non quicunq; facit alteri rem gratam, ille benè meretur de altero, vel reconciliatur alteri. Prætereà etiamſi hoc ita ſe haberet, tamen non deberet ita vertere, nam, vt antè docui, non debet niſi neceſſitate coactus à verbis diſcedere. Denique ex Latina verſione colligi poteſt nos noſtris operib⁹ aliquid promereri, ex græca verò editione illud colligi non poteſt. Principium igitur petitis, cùm ex hac mala verſione operum meritum colligere vultis. Reliqua

qua ſciens prætereo, & hæc ſufficienter oſtendunt vulgatam verſionem ab græca veritate longiùs deflectere, ac proinde non eſſe authenticam, aut principium Chriſtianorum dogmatum. Quoties igitur papiſtæ in dogmate controuerſo aliquod teſtimonium ex vulgatà verſione (vbi illa ab originali editione diſcrepat) contra nos adducunt, toties petunt principium, & probant illud, quod controuerſum eſt, per illud, quod æquè controuerſum eſt.

Concluſio.

Principia Chriſtianorum dogmatum debent eſſe certa, extra controuerſiam poſita, vera, integra & diuina. At vulgata verſio eſt incerta, in controuerſia poſita, falſa, mutilata, aucta, deprauata & humana. Ergo vulgata verſio non poteſt eſſe principium Chriſtianorum dogmatum.

FINIS.

SIBRANDI LVBBERTI

De *Principiis Christianorum dogmatum* Liber tertius.

CAPVT I.

Status controuersiæ proponitur.



QVÆNAM ſit authentica Canonicorum librornm editio, oſtendimus libro ſuperiore: ſequitur vt diſſeramus, num Sacram ſcripturã in linguis vernaculis exſtare, & legi liceat. Verùm cùm Bellarminus hãc quæſtionem confusè tractârit, explicabimus nos eã paulò pleniùs, & eam in certa quædam capita, vt rectiùs intelligatur, diſtribuemus. Diuiditur autem hæc quæſtio in partes tres. Quærĩt n. an liceat omnibus Chriſtianis Sacram ſcripturam in linguis vernaculis legere? Deinde an liceat Sacram ſcripturam in linguas vernaculas transferre? Poſtremò an licitum ſit Sacra publica celebrare lingua vernacula & nota? De his tribus quæſtionibus hoc libro diſſeremus. Sed quoniam Bellarminus hæc confusè tractauit, ideò non poſſumus eius veſtigia perſequi, quemadmodum fecimus libris ſuperioribus, eius tamen argumenta recto loco afferemus, & ad ſingula ſyncerè reſpondebimus. Quod igitur ad primam quæſtionem attinet, Controuerſia eſt, an omnibus hominibus

hominibus liceat Sacram ſcripturam in lingua vernacula legere. Bellarminus negat, nos affirmamus. Papiſtæ hoc antè ſimpliciter negarunt, *cenſura Coloni. ad præfat. Manhemij*. Eraſmus in Indice operum Hieronymi, quæ perierunt. *Hodie*, inquit, *piaculum exiſtimant, Sacras literas vulgata legi lingua.* Sed cùm hoc nimis odioſum eſſe viderent, mutarunt Statum Controuerſiæ, & dixerunt, hoc non omnibus licere, *ſed tantùm ijs, quibus hoc à Papa, vel à Confeſſario permiſſum eſt.* Nos contrà aſſerimus, omnibus abſque diſcrimine licere Sacram ſcripturam in Dei timore legere.

CAPVT II.

Omnibus hominibus licere Sacram ſcripturam in Dei timore legere, probatur ex Scriptura.

STatum controuerſiæ explicuimus capite ſuperiore. Nunc immotis rationibus oſtendemus, hoc non tantùm omnibus hominibus permiſſum, ſed etiam neceſſarium eſſe. Deus enim hoc mandauit, Deut. cap. 6. verſ. 6. *Eruntq́; verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & repetes ea filijs tuis, & loqueris de ijs, quando ſedebis in domo tua, & quando ambulabis per viam, & quando iacebis in lecto, & quãdo ſurges. Ligabisq́; ea in ſignum in manu tua, & erunt in frontalia, inter oculos tuos. Scribes quoque illa in poſtibus domus tuæ, & in portis tuis.* Idem infrà, cap. 11. verſ. 18. iteratur, Deut. cap. 17. verſ. 19. *& leget in eo* (libro legis) *omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Iehouam Deum ſuum, vt cuſtodiat omnia verba Legis huius, & ſtatuta hæc, vt faciat illa*, Ioſuæ cap. 1. verſ. 8. *Non recedat*

cedat liber legis iste ab ore tuo, sed mediteris in eo die ac nocte, vt custodias & facias secundum omne, quod scriptum est in eo. Psal. 1, 2. *In lege eius meditabitur die ac nocte.* Iohan. cap. 5,39. *Scrutamini Scripturas.* Ad Collofs.c.3,16.*Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè.* Ex quibus sic colligo.

Quod Deus indefinitè præcepit, hoc omnibus hominibus faciendum est. Sed Deus indefinitè iussit Sacram scripturã scrutari, ergo omnibus hominibus licet verbum Dei legere.

Maiorem non negabit Bellarminus. Quod enim Deus in verbo suo præcepit, hoc illicitum esse non potest. Minorem probãt supra allegata Testimonia. Deinde Apostoli laudant, eos, qui verbum Dei legunt. Actor.17, 11. *Fuerunt autem illi generosiores iis Iudæis, qui erant Thessalonicæ, vt qui receperint sermonem cum omni alacritate, quotidie scrutantes Scripturas, an hæc ita se haberẽt.* 2.Pet. 1,19. *& habemus firmissimum sermonem Propheticum, cui rectè facitis quod attendatis.* Ex ijs sic colligo.

Quod ab Apostolis laudatur, hoc non est illicitũ. Sed Laicos legere sacram Scripturam, & ex ijs iudicare de Ministrorum concionibus laudatur ab Apostolis. Ergo Laicos legere sacram Scripturam, & ex ijs iudicare de Ministrorum concionibus non est illicitum.

Maiorem non negabit Bellarminus. Quod enim ab Apostolis laudatur & commendatur, hoc vtiq; illicitum esse non potest. Minorem astruunt allegata testimonia. Præterea verbum Dei est gladius, quo ignita Satanæ iacula profligare, & nos contra eius

machinationes defendere debemus. Ephes.7,17. *Galeam etiam salutarem accipite, & gladium spiritualem, hoc est verbum Dei*. Vnde sic concludere possum.

Arma quibus nos contra Satanam tueri debemus, non sunt Christiano homini adimenda. Sed verbum Dei siue lectum, siue auditum, est gladius ille, quo Satanam profligare, & nos contra eum defendere debemus. Ergo à Dei verbi lectione & auscultatione neminem arcere debemus.

Maiorem non negabit Bellarminus, nisi nos armis nudatos hosti prodere velit. Minor extructa est ex Dei verbo. Quod autem dico *lectum*, vel *auditum*, intelligo, quod per lectionem vel auscultationem ab animis nostris receptum constanter, & pie in ijs asseruatur. Hoc inquam verbum, per lectionem vel auditum perceptum & conseruatũ, est gladius, quo hostem ferire possumus. Libenter hoc addidi, vt ostenderem me in Materialibus literis istam vim non ponere. Solent autem Papistæ aliquam partem Diuini verbi à collo, vel pectore suspendere, atq; ita putarunt se tutos esse ab omnibus Satanæ insidijs. Sed nos abusus istos execramur, & asserimus verbũ in fide & pietate custoditum, siue illud per lectionẽ, siue per auditum acceperimus, esse illum Spiritualẽ gladiũ. & eum nemini nisi cum exitio negari posse. Cũ igiť Deus oĩb. hominibus præcipiat, vt verbũ suum scrutentur, & hoc ipsum Apostoli laudabile esse asserant, cùm deniq; verbũ Dei sit vnicus ille gladius, quo Satanam propellere posimus, manifestum est ab eius lectione neminem arceri debere.

CAPVT III.

Idem ex Praxi Primitiua Ecclesiæ ostenditur.

VErbum Dei ab omnibus hominibus legi debere, probauimus ex Scriptura. Atq; istæ rationes meritò sufficere debent. Vbi enim de Dei volũtate constat, nobis imminet certa obsequendi necessitas. eius enim voluntas est omnis rectitudinis & honestatis regula. Sed quoniam aduersarij magis mouentur hominum, quàm Dei authoritate, & ob eam caussam semper *Papas & concilia* crepant: ideo non incommodum erit, eandem rem per se manifestam & claram ex Patrum scriptis probare. Ac primum licuisse Laicis Sacram Scripturam in Primitiua Ecclesia legere, ex 5. cap. Iohannis & 17. Actorũ ita manifestum est, vt nemo illud, nisi qui frontem cum pudore perdidit, negare posit. Chrysostomus in Matthæum homilia 2. *Non sum* inquit, *Monachus, vxorem habeo, & filios, & curam domus, hoc illud est, quod omnia quasi vna peste corrumpit, quod lectionẽ sacrarum Scripturarum ad solos Monachos putatis pertinere.* Idem ad Hebræos homilia 17. *dices non legi. Non est hæc excusatio, sed crimen.* Idem Hom. nona in Epist. ad Collossenses. *Attendite quotquot estis seculares & vxoribus praestis ac liberis, quomodo vobis potissimum præcipiat Scripturas legere; idq; non simpliciter neq; obiter, sed cum magna diligentia.* Ibidem. *Audite obsecro seculares omnes, comparate vobis Biblia, animæ Pharmaca, si nihil aliud vultis, vel nouum Testamentum acquirite, Apostolorum acta, Euangelia, &c.* Idem Homilia 3. de Lazaro. *Non potest fieri* inquit, *vt quis vitam æternam consequatur, nisi perpetuo in lectione Spiri-*

tuali versetur. Quod autē Bellarminus in hoc Chrysostomi loco hyperbolen esse existimat, responsione indignum est. Optandum enim esset, vt omnes homines die ac nocte cum Dauide in lege Domini meditarentur. Dicere igitur in talibus Hyperbolen esse, est nimis dilutè de Dei verbo sentire, & crassam Papisticæ plebis ignorantiam nimis crassè defendere. Idem Chrysostomus in eadem Homilia. *Crebrò* inquit, *Vobis prædicimus, multis antè diebus argumentum de quo sumus locuturi, vt his in medio diebus sumpto libro, perpensáq; rei summa tota, postq̄ intellexeritis quid dictum sit, quid dicendum restet, mentem vestram instructiorem reddatis, ad audienda ea, quæ postea differentur. Ideoq; semper hortor & hortari non desinam, vt non tantùm hic attendatis ijs quæ dicuntur, verùm etiam cùm domi fueritis, assiduè diuinarum Scripturarum lectioni vacetis.* Origines Homilia 2. in Esaiam. *Vtinam*, inquit, *omnes faceremus illud, quod scriptum est, scrutamini Scripturas.* Idem in Iosuæ, homil. 20. *dici potest Scripturæ difficiles sunt. At nihilominus si eas legeris, profuerint tibi. Dominus enim Iesus si nos in Scriptura occupatos inuenerit, & huiusmodi studys vacantes, non solùm ipse refici & pasci dignatur in nobis: verùmetiam si has epulas viderit apud nos apparatas, Patrem suum ad nos adducet.* Idem in Numeros, homil. 27. *Dæmonibus est super omnia tormentorum genera, & super omnes pœnas, si quem videant verbo Dei operā dare scientiam Diuinæ legis, & mysteria Scripturarum intentis studijs perquirentem.* Hieronymus in Nahum, cap. 3. *In aduentu Messiæ populus eleuabitur & prophetabit, qui sub magistris antè fuerat consopitus & ibit ad montes Scripturarum,*

rarum, ibi inueniet montes Mosen & Iosua, montes Prophetas, montes Noui Testamenti Euangelistas & Apostolos, & cùm ad tales montes confugerit, & in huiusmodi fuerit montium lectione versatus. si non inuenerit, qui eum doceat, tamen illius studium comprobabitur, quod confugerit ad montes. Idem ad Colloſſen. cap. 3. *Hic ostenditur verbum Christi non sufficienter, sed etiam abundãter Laicos habere debere, & docere se inuicem vel monere.* Idem ad Letã de inſtitutióne filiæ, *Orationi lectio* inquit, *Lectioni succedat oratio. Breue videbitur tempus: quod tantis operum varietatibus occupatur punctum.* Idẽ ad Demetriadem de Virginitate ſeruanda. *Vnum* inquit, *illud tibi nata Deo præq; omnibus vnum prædicã, & repetens iterúmque iterúmque monebo, vt animum tuũ Sacræ lectionis amore occupes.* Auguſt. in Pſalmum 85. *Quando legis, Deus tibi loquitur, Quando oras, tu cum Deo loqueris,* Idem in Pſalmum 93. *Modò ergo lectio necessaria est., quamdiu ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum est, auferetur quod ex parte est. Non enim liber necessarius est, neque legemus in ciuitate Hierusalem, vbi Angeli viuũt,* Idem in Scala Paradyſi. *Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat, & frangit. Oratio saporem acquirit, contemplatio est ipsa dulcedo, quæ iucundat & reficit, Lectio in Cortice, meditatio in adipe.* Ibidem. *Lectio inquirit, meditatio inuenit, oratio postulat, contemplatio degustat: vnde ipse Dominus dicit, Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis, Quærite legendo, & inuenietis meditando.* Idem Feria ſexta poſt Dominicam paſsionem ſermone primo. *Adhuc ergo bonum habemus solatium Diuinarum scripturarum lectionem, quia*

Sacrarũ scripturarum lectio est non parua cognitio diuinæ beatitudinis, in his enim tanquam in speculo, homo seipsum considerare potest, qualis sit, & quo tendat. Lectio assidua purificat omnia, timorem incutit Gehennæ, ad gaudia superna cor instigat legentis. Qui vult semper cum Deo esse, ille debet frequenter orare & legere. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur, cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur. Idem Dominica 3. sermone 2. *Sit in manibus Diuina lectio, in sensibus Dominica cogitatio, Oratio iugis omninò non cesset, & salutaris operatio perseueret, vt quoties ad tentandum nos accesserit inimicus, nos bonis operibus inueniat occupatos.* Ex his & similibus manifestũ est, lectionem Sacrarum scripturarum tempore primitiuæ Ecclesiæ nemini fuisse illicitam. Deinde res ipsa docet, cuilibet homini licere Sacram scripturam legere, vult enim Deus vt omnes homines in cognitione & intelligentia proficiant, at ex lectione sciẽtia comparatur. Vult idem Deus vt in pietate proficiamus, at lectio sacrarum Scripturarum nos ad pietatem extimulat. Quis igitur vlli homini lectione Diuini verbi interdicet. Ab humanæ sapientiæ lectione nemo repellitur: & à Dei verbi lectione maxima pars hominum arcebitur? Moses optat, *vt omnes homines prophetent.* Idem facit Paulus, & nos populum à cœlestis sapientiæ lectione arcebimus, vt in extrema ignorantia moriatur?

CAPVT IIII.

Bellarmini sententia refutatur.

DIuinarum scripturarum lectionem omnibus licitã esse probatũ est, sequit vt Bellarmini argumenta

menta quibus contrarium probare conatur, diluamus. Ille primùm producit autoritatem Basilij, qui apud Theodoretum lib. 4. cap.19. *Cùm Præfectus* inquit, *culinæ Imperatoris nescio quid de scripturis protulisset, eum a magno Basilio reprehensum audiuisse, tuum est de pulmentis cogitare, non dogmata diuina decoquere.* Vnde infert Bellarminus, omnibus hominibus non licere sacram Scripturam legere. Hîc alius attentionem desideraret, ego fidem. Non enim dicit Theodoretus coquum Valentis aliquid *de scripturis protulisse*: sed dicit eum *barbarico ritu & sermone increpasse* Basilium ὡς τῷ διδασκάλῳ τῆς οἰκουμένης ἐπιμεμψάμενος ἐβαρβάρισεν. & paulò post δυσχεράνας ἠπείλησε. Neutrum est aliquid ex Scriptura afferre. Credo hoc viro docto per incogitantiam excidisse. Quare enim tam manifesta errata non in bonam partem interpretarer? Vt vt sit, Cùm coquus iste ita barbarè se gereret, subridens Basilius εἴδομεν inquit, καὶ Δημοσθένην ἀγράμματον, qua responsione cùm ille magis exacerbatus etiam minaretur; σὸν ἐστὶ inquit Basilius τῆς τῶν ζωμῶν ἀρτυσίας φροντίζειν. Deinde hîc & alius Bellarmini error est. Non enim dicit Basilius, *tuum non est diuina dogmata decoquere*, sed *tam obturatas aures habẽs non potes diuina dogmata audire* δογμάτων γὰρ θείων ἐπαΐειν οὐ δύνασαι βεβυσμένας ἔχων τὰς ἀκοάς. Dicere autem

Coquus nõ debet Basiliũ barbarico ritu increpare. Ergo
Laicis non licet scripturam legere. Vel,
Coquus non debet Basilio minari. Ergo
Laicis non licet scripturam legere. Vel,
Coquus debet Iusculorum condimenta curare. Ergò
Laicis non licet scripturam legere. Vel,

Coquus obturatas aures habens non potest diuina dogmata audire. Ergo

Laicis non licet scripturam legere, nimis insipidum est. Si nos Bellarmine in hunc modum argumentaremur, quas turbas concitaretis vos Iesuitæ? quos clamores de nostra inscitia tolleretis? Vobis tamen ita disputantibus ego nō succenseo: sed doleo quod vos in tanta Euangelij, Philosophiæ & Linguarum luce, talium argumentorum non pudeat; & opto vt Deus vobis oculos aperiat, vt veritatem, quam hactenus oppugnastis, videre possitis; vel saltē vt vos tantis errorum tenebris stipati modestiùs de vobis sentiatis, & verecundiùs de alijs loquamini. Cæterùm in aula Valentis erat quidam coquus nomine Demostenes, Hic Basilium barbaricè exagitabat. Hanc præposteram garriendi audaciam reprehendit Basilius. Idem & nos facimus, non enim concedimus Laicis, vt doctos rideant, aut barbarico ritu increpent. Hinc autem inferre, *Basilius reprehendit coquum se barbaricè gerētem, Ergo Laici non debent scripturam legere*, insipidum esse diximus. Non enim ex eo sequitur Laicos non debere scripturam legere; sed indoctos debere sese inter suos terminos continere, & erga homines doctos, se non barbaricè gerere. Secundum argumentum adfert ex Hieronymo, qui in Epistola ad Paulinum, *Quod Medicorum est*, inquit, *promittunt medici, tractant fabrilia fabri, sola scripturarum ars est, quam sibi omnes vendicant, Scribimus indocti, doctique poëmata passim, Hanc garrula Anus, hanc delirus Senex, hanc Sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequàm discant* Ex hoc loco

Bellarmine,

Bellarmine, nihil feliciùs contra nos diſputabis, quã ex illo; non enim hìc reprehendit Hieronymus ſcripturam à Laicis legi, ſed *deliros ſenes & garrulas anus lacerare ſcripturam, & docere eam, priuſquam diſcant.* Idem & nos facimus, non enim patimur vt quiſquam ſcripturam laceret, neque toleramus, vt garrulæ anus doceant Scripturam, quam non didicerunt, & vt res magis intelligatur, formabimus argumentum ſyllogiſticè.

Quicunque non debent ſcripturam lacerare, neque docere eam, priuſquàm ipſi didicerunt, Illi non debent Sacram ſcripturam legere, ſed deliri ſenes & garrulæ anus non debent ſacram ſcripturam lacerare, neque eam docere priuſquàm ipſi didicerunt. Ergo Laici non debent Scripturam legere.

Reſp. aliud eſſe in concluſione, quàm in præmiſſis, ſubiectum enim concluſionis non eſt in antecedente. Deinde & maiorem eſſe falſam. Non enim quicunque non debent docere, illi non debent legendo diſcere, neque hoc vult Hieronymus. Ante enim ex Hieronymo & alijs patrib⁹ docuimus, quibuslibet hominibus licere audiendo & legendo in Dei verbo proficere. Neque tamen diffiteor eſſe quædam in Theologia ſubtiliora, quàm vt à plebe intelligi poſsint, ſed iſtinc non ſequitur, Laicos eſſe prorſus à Scripturarum lectione arcendos.

CAPVT V.

Status Controuerſiæ de Scriptura in Vernaculas linguas vertenda.

LAicis licere Sacram ſcripturam legere probauimus. Iam diſputandum eſt,an liceat Sacras ſcripturas in Vernaculam linguam vertere.Sed priuſquã ad rei tractationem accedamus, explicandus eſt ſtatus controuerſię. Quæritur autem,an liceat ſacram Scripturam in Vernaculas linguas vertere? Nos reſpondemus licere. Papiſtæ verò ante aliquot annos hoc ſimpliciter negarunt. *Petrus Aſoto de horis Canonicis; cenſura Coloni. ad præfa. Manhemij.* Harding. articul. 15. lect. 2. *Aliqui,* inquit, *plane nefas eſſe iudicant Biblia in Vernaculam vllam & plebeiam linguam conuertere.* Et multi proſcripti ſunt à Papa & condẽnati, quod ſcripturam in Vernaculas linguas tranſtulerant. Biblia etiam in Vernaculas linguas verſa paſsim prohibita ſunt & exuſta; Cùm verò Papiſtæ hoc nimis odioſum eſſe viderent, mutarunt ſententiam, & dicunt, *illis tantùm licere Biblia in Vernaculas linguas vertere, quibus hoc à Papa permiſſum eſt.* Sed hoc etſi verbis aliud eſt, re tamen idem eſt. Papa enim hoc nemini concedet, niſi quem ſciat ita verſurum eſſe, vt errores,qui in vulgata verſione latent, ſimul in Vernaculas linguas transfundantur, & ad poſteros propagentur. Diuerſis igitur verbis Bellarminus idem dicit. Sed ne habeat quod conqueratur, ſyncerè ipſius ſententiam proponemus, quæ eſt hæc, Nemini licere ſacram Scripturam vertere, niſi cui hoc à Papa permiſſum ſit, nos contrà negamus Papæ autoritatem hîc requiri, & aſſerimus cuilibet pio, docto, linguarumq; perito, licere Sacram ſcripturam in linguas Vernaculas vertere, vel vt magis perſpicuè dicam, Quæritur an liceat Sacram ſcri-

pturam

pturam absque Papæ permissione in linguas Vernaculas vertere. Illi negant, nos affirmamus.

CAPVT VI.

Sententia Orthodoxa confirmatur.

QVoniam superioribus capitibus euicimus *Laicis licere sacram Scripturam legere*, per se sequitur sacrã Scripturã in linguas Vernaculas vertendam esse. Quomodo n. legent, nisi exstet eâ linguâ, quam Laici intelligunt. Deinde vt istic diximus principiũ peti, dum volunt neminem debere Sacrã scripturam legere, nisi cui hoc à Papa permissum est, Ita & hoc loco principium petũt, volũt n. propter Papæ autoritatem scripturam vertendam esse. At *P*apa inter nos controuersus est. Vt autem appareat licere sacram Scripturam in Vernaculas linguas vertere, ostendam eam tempore primitiuæ Ecclesiæ in omnes ferè linguas transfusam esse, neque eo tempore *Papæ* Romani autoritatem quicquam in ea re potuisse. Chrysostom. homilia 1. in Iohannem. *Syri*, inquit, *Ægyptij, Indi, Persæ, Æthiopes, & innumeræ aliæ gẽtes in suam transferentes linguã, homines Barbari philosophari didicerũt.* Theodoretus lib. 5. de corrigẽdis grecorũ affectibus, *Hebraici*, inquit, *libri non modò in græcũ sermonẽ conuersi sunt, sed in Romanam quoq; linguam, Ægyptiacã, Persicam, Indicam, Armenicam, Scythicam, atque adeò Sauromaticam, semelq; vt dicam, in linguas omnes, quibus nationes ad hunc vsque diem vtuntur.* Augustinus libro 2. de doctrina Christ. cap. 5. *Ex quo factum est*, inquit, *vt Diuina scriptura ab vna lingua profecta, per varias Interpretum linguas longè latéque diffusa inno-*

ſa innoteſceret gentibus ad ſalutem, quam legentes nihil aliud appetunt, quam cogitationes voluntatemque eorum, e quibus conſcripta eſt, inuenire, & per illas voluntatem Dei, ſecundum quam tales homines locutos eſſe nouimus. Præterea *Chaldaica, Syriaca, Arabica, Ægyptiaca, Æthiopica* verſiones adhuc exſtant, illas autem tempore Apoſtolorum factas eſſe, omnes docti affirmāt, neque quicquam potuiſſe in ijs *P*apæ autoritatem, manifeſtum eſt. Tempore enim Apoſtolorum, Epiſcopus Romanus non habebat plus autoritatis, quàm ſinguli reliqui Epiſcopi. Tempore etiam ſubſequente, *Arabes, Æthiopes, Syri, Ægyptiaci* nunquam agnouerunt *P*apam Romanum pro ſummo pontifice. Hieronymus vertit Scripturam in linguam Dalmaticam, *vt teſtatur Alphonſus de Caſtro* lib. 1. cap. 13. *Eccius, Hoſius* de ſacro vernaculo & *Eraſmus* in indice operum Hieronymi, quæ perierunt. Chryſoſtomus vertit Sacram ſcripturam in *linguam Armenicam vt teſtatur Sixtus Senenſis.* Vulphilas vertit ſcripturam in *linguam Goticam,* vt teſtatur Socrates *triparti. hiſto.* lib. 8, 13. vel in Eccleſ. hiſt. lib. 4. capite 33. Methodius vertit Scripturam in *linguam Slauonicam,* vt teſtatur Auētinus *Annal. lib. 4.* Auguſtinus facit mentionem *Syriacæ verſionis* Veteris Teſtamenti, *de Ciuitate Dei, lib. 15. cap. 13. Muſcouos, Ruſſos & alios* legiſſe ſcripturam in lingua Vernacula, concedunt Eccius & Hardingus *Act. 3. ſect. 38. contra Iuuellum.* Quin & Hiſtoriæ Anglicanæ indicant ſcripturam iam ante Bedam fuiſſe in Anglicam linguam conuerſam, & ipſe Beda teſtatur ſe aliquam partem Noui Teſtamenti in Anglicum ſermonem tranſtuliſſe

lisse. Ex his manifestum est Scripturam tempore primitiuæ Ecclesiæ in omnes linguas translatam, & eius lectionem omnibus hominibus absque discrimine concessam esse. Ex hoc primitiuæ Ecclesiæ exemplo sic argumentor.

Quod vniuersa primitiua Ecclesia Apostolorum tempore obseruauit, hoc nunc illicitum esse non potest. Sed vniuersa primitiua Ecclesia transtulit Sacram scripturam in linguas Vernaculas, idque absque *Papæ* autoritate. Ergo & nunc Sacram scripturam absque *Papæ* autoritate in linguas Vernaculas vertere licet.

Maiorem non negabit Bellarminus. Minor constat ex allegatis testimonijs. Concludimus igitur Sacram scripturam in linguas Vernaculas conuertere licere, & ad eam rem *Papę* autoritatem non esse necessariam.

CAPVT VII.

Argumenta Bellarmini contra Vernaculas versiones refutantur.

PRiusquam horum argumentorum refutationem aggredior, moneo omnia hæc media esse communia, & posse æquè ad lectiones, & publica Sacra, quàm ad versiones Vernaculas accommodari. Quod propterea moneo, vt si hoc loco iustis rationibus à me refutantur, nemo eorum iterationem à me, cùm de Sacris Vernaculis ago, expectet. Quæ enim refutationes hoc loco ponuntur, etiam ad lectionem Vernaculam, & Sacra Vernacula referri debent. Primum argumentum. *Quia debemus contenti esse ijs Linguis*

guis, quas Dominus crucis suæ titulo honorauit, Iohãnis 19. Argumentum tale est.

SacraScriptura in publico tantùm debet exstare & legi in ijs linguis, quas Dominus crucis suæ titulo honorauit. Sed Hebræa, Græca & Latina linguę sunt illæ, quas Dominus crucis suæ titulo honorauit. Ergo sacra Scriptura in publico non debet in alia Lingua exstare, quàm in Hebræa, Græca & Latina lingua.

Nos negamus maiorem. Inter medium enim & maius extremum non est maior cohærentia, quàm inter tenebras & lucem. Nam perinde est ac si dicas, *Deus voluit causam mortis Christi varijs linguis scribi, vt ab omnibus intelligeretur*. Ita enim Albertus & Lyra hoc explicant. Hieronymus in 15. cap. Marci, *dicit has tres linguas in crucis titulo coniunctas esse, vt omnis lingua commemoraret Iudaeorum perfidiam*. Ergo scriptura debet ignota lingua exstare, vt à nemine intelligatur. Imò contrarium potiùs sequitur Bellarmine. DEVS voluit caussam mortis Christi varijs Linguis scribi, vt ab omnibus intelligeretur. Ergo Verbum DEI debet in varias Linguas verti, vt ab omnibus intelligatur. Hoc cùm Sanctißimus Iuellus Hardingo respondisset, non debuit à Bellarmino iterari. Deinde ipse Bellarminus Maiorem concedere non potest. Si enim Maior simpliciter vera est, tum sequitur omnes Vernaculas versiones esse simpliciter illicitas. Nam si *titulus crucis tribus linguis descriptus* necessaria caussa est, ob quam sacra Scriptura in tribus illis linguis tantùm

tantùm exſtare debet, tum vtique manifeſtum eſt, eam in nullam aliam linguam verti debere, errauit igitur vniuerſa primitiua Eccleſia, quæ ſcripturam in *Syram, Arabicam, Chaldaicam, Ægyptiacam, Æthiopicam, Armenicam, Dalmaticam, Ruſsicam, Muſcoviticam, Sauromaticam, Goticam, Slauonicam, Anglicā, Friſicam*, & in alias innumerabiles linguas conuertit. Huc accedit neque Papam habere poteſtatem contrarium diſpenſandi, Papam enim non poſſe contra illud, quod ex Dei verbo colligitur, diſpenſare, extra controuerſiam ponimus. Aut igitur Papa errat cum tota ſua cohorte, dum permittit ſcripturam in Vernaculam linguam verti, aut Bellarminus hoc argumentum contra nos in caſſum allegat. Nam vel illud hoc loco non ſequitur, vel omnes verſiones ſunt ſimpliciter illicitæ. Ad Minorem dicimus omnes Linguas eſſe in tribus illis conſecratas, & omnes ferè homines qui Hieroſolymæ erant, ad minimum intellexiſſe vnam ex illis tribus. Ac proinde ſcriptum eſſe Latinè & Græcè & Hebraicè *in teſtimonium omnium Gentium* vt inquit Hieronymus in Eſaiam, libro 7. capite 19. id eſt, vt manifeſtum eſſet, iſtum redemptorem ad omnes Gentes pertinere. Deinde ſcriptum eſt *Græcè, Latinè, & Hebraicè, vt ab omnibus intelligeretur*, quemadmodum rectè annotant in hunc locum Lyra & Albertus. Quoniam igitur omnes linguæ ſunt in cruce ſanctificatæ, & omnes homines titulum crucis agnoſcere debent, probabilius colligitur verbum Dei debere in omnes linguas verti, vt ab omnibus intelligatur. Secundū argumentū. *Quia hæ tres linguæ*

antiquitate,

antiquitate, amplitudine, & grauitate reliquis omnibus præstant. Argumentum tale.

Quæ linguæ antiquitate, grauitate, & amplitudine reliquis præstant, in ijs tantùm ſcriptura exſtare debet. Sed Hebræa, Græca & Latina lingua ſunt reliquis omnibus antiquiores, ampliores & grauiores. Ergo ſcriptura in Hebręa, Græca & Latina lingua tantùm exſtare debet.

Nos negamus maiorem. Apoſtoli enim, & illi qui Apoſtolorum ætatem proximè ſecuti ſunt, verterũt Sacram ſcripturam in omnes linguas, vt antè probatum eſt, quod ſanè non feciſſent, ſi ſcriptura tantùm in his tribus linguis exſtare deberet. Deinde ſi Maior ſimpliciter vera eſt, tum *P*apa errat, quod verſiones vernaculas concedit. Nam ſi ſcriptura illis tribus linguis tantùm exſtare debet, tum omnes verſiones ſunt ſimpliciter illicitæ. Dicere autem *Papá* poſſe illud, quod illicitum eſt, concedere, ineptire eſt. Imò Papæ autoritatem hic contra nos allegare ridiculum eſt. Petit enim illud quod eſt in principio, & nos *Papæ* autoritate tantùm mouemur, quantùm *imperio filij perditionis*, de quo eſt apud Apoſtolum. Præterea hic non agitur de *amplitudine, grauitate, & antiquitate linguæ,* ſed de *intelligentia*; Hieronymus n. cum vellet *Dalmatas* inſtituere, non propoſuit illis verbum Dei lingua antiquiſsima, vel ampliſsima, ſed nota, id eſt, *Dalmatica*. Chryſoſtomus cùm vellet *Armenios* docere verbum Dei, non laborauit de antiquitate, ſiue de amplitudine linguæ, ſed vertit illis verbum Dei in notam linguam, id eſt, in *Armenicam*. Methodius item & Vulphilas nõ propoſuerunt ſuis

verbum

verbum Dei lingua antiqua & ampla, sed nota, ille *Slauonica*, hic *Gotica*. De similibus est idem iudiciũ. Videris igitur ineptire, dum de antiquitate & amplitudine contra nos disputas. Non enim quia antiquissima & amplissima lingua est, ideo Dei verbum in ea exstare debet, sed quia *nota* lingua est, ideo Dei verbum in eam verti debet. Si verò putas Deum adeò morosum esse, vt non velit verbum suum legi, nisi in communissima, grauissima & antiquissima lingua, valdè erras. Omnes n. linguas esse in Christo sanctificatas, docet *donum linguarum* in primitiua ecclesia. Mar. 16, 17. *Loquentur nouis linguis.* Act. 2, 4. *Cœperunt loqui alijs linguis.* Præterea ex 2. capite Actorum constat eos alijs linguis, quàm *Græca, Hebraica & Latina* locutos esse. Versu enim 9. dicit Lucas, *Parthi & Medi, & Elamitæ, & qui incolimus Mesopotamiam, Iudæamq́, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est secundùm Cyrenen, & aduenæ Romani, tum Iudæi, tum Proselyti, Cretes & Arabes audimus eos loquẽtes nostris linguis magnifica Dei facta.* Deĩde licet Deus tantùm vnica lingua Canaan in Veteri Testamento cultus sit, tamen prædixerunt Prophetæ, *omnes linguas* Deum adoraturas esse, hoc est, quemlibet populum Deum in lingua sua culturum esse, Esa. 66, 18. *Tempus veniet, vt congregem omnes gentes, & linguas, venientq́, & videbunt gloriam meam.* Dan. 7, 14. *Omnesq́ populi* loquitur de regno Christi, *tribus & linguæ ei seruient.* Zach. 8. 23. *In diebus illis erit, quũ apprehendent decem viri, ex omnibus linguis earum gentium, apprehendent, inquam, oram viri Iudæi, dicendo, ibi-*

mus vobiscum. Hoc autem in Nouo Testamento impletum esse docent sacræ literæ,& adhuc impleri testatur experientia. Huc accedit manifestum siue mandatum, siue vaticinium Veteris Testamenti esse, vt quælibet lingua Deum adoret, Roman. 14, 11. *Omnis lingua confitebitur Deo.* Phil. 2, 11. *Omnisq́ lingua confiteatur Dominum esse Iesum Christum.* Postremò ne γεὺ quidem in Sacris literis est, quod debeamus Deum *grauissima* & *antiquissima* siue *amplissima* lingua adorare. Sed scriptura dicit *veros adoratores adorare Patrem in Spiritu & veritate,* Iohan. 4, 23. Ex his, vt existimo, satis constat, Maiorem esse falsam. Nunc respondeo ad minorem, & dico eam esse simpliciter falsam, si de tribus linguis communiter intelligitur. Hebræa enim non est communisima, neque Latina antiquisima. Deinde minor est trimẽbris. 1. *antiquissima.* 2. *grauissima.* 3. *amplissima.* Antiquitatem, vt existimo, tribuunt Hebrȩæ, grauitatem Latinæ, amplitudinem Græcæ. Sed hæc non sunt simpliciter vera. Hebræam linguam concedimus quidem esse antiquisimam. Sed quid hoc ad rem. Si propterea Sacra publica hebræa lingua fieri debẽt, errant Veteres, quod in ijs *Ægyptiaca, Armenica, Dalmatica, Syrica, Persica, Æthiopica, & alijs innumerabilibus linguis* vsi sunt. Græca lingua tempore Apostolorum in multis locis fuit quidem amplisima, sed nunc non est. Ergo si Sacra publica olim propter amplitudinem græcæ linguæ græcè fiebant, nũc tamen id fieri non debet, nam nunc non est tã ampla. Imò nunc nullus populus est, qui græca lingua loquitur, quod & de latina rectè dici potest. Vnde

proba-

probabiliter sic concludo. Si olim in multis locis Sacra fiebant *græca lingua*, quæ erat communisſima, idque tantùm propter amplitudinem linguæ. Sequitur ſanè Sacra publica nō debere fieri ijs linguis, quæ apud nullum populum vſitatæ ſunt. Sed primum. Ergo ſecundum. Inde rurſus infero. Sacra publica nō debent ijs linguis fieri, quæ apud nullum populum in vſu ſunt. Sed *Hebræa*, *Græca* & *Latina* nunc apud nullum populum in vſu ſunt, Ergo ſacra publica nō debent latina & græca lingua fieri. Hoc argumentum Bellarmine multò eſt probabilius. Docet enim experientia Apoſtolos & Patres in primitiua eccleſia nunquam adminiſtraſſe ſacra publica ea lingua, quæ prorſus in deſuetudinem venerat, & nuſquam in vſu erat. Ergo illud & hoc tempore fieri non debet. Deinde ſi ſacra publica debent communisſima lingua fieri, ſequitur ea *Sclauonica* fieri debere, hodie enim omnes peregrinatores, teſtantur nullam linguam eſſe *Sclauonica* ampliorem. Quod ſi non concedis Bellarmine, manifeſtum eſt *amplitudinem* non eſſe idoneum medium, propter quod Sacra in hac vel illa lingua fieri debent. Quod autem ad *grauitatem* attinet, ridiculum eſt. Vna enim lingua per ſe grauior non eſt quàm altera. Omnis n. grauitas in qualibet Lingua, ſiue in quolibet ſermone, vel ex perſona loquentis, vel à ſubiecta materia, vel denique ex elocutione proficiſcitur. Quin hæ tres linguæ nunc ſunt *barbaræ*, Barbarum enim, quod nemo intelligit. Ouidius de ponto, *Barbarus hic ego ſum, & non intelligor vlli.* Et tamen Ouidius optimè locutus eſt latinè. Anacharſis dicebat *Athenienſes*

in Scythia barbaros esse. Et tamen Athenienses nō tantùm græcè, sed etiam Atticè loquebantur. Paulus. 1. Cor. 14, 11. *Nisi sciuero vim vocis, ero ei, qui loquitur, barbarus; & ille apud me barbarus erit.* Hieronym. in 14. c. 1. ad Cor. *Omnis sermo qui non intelligitur, barbarus.* At has tres linguas nemo intelligit, nisi qui eas in scholis didicit. Tres igitur hæ linguæ sunt omnibus hominibus, paucis exceptis, qui eas in scholis didicerunt, barbaræ, tantùm abest, vt sint grauissimæ & amplissimæ. Quòd igitur *Papistæ* ignota lingua sacra faciunt, simile habet cum *Heracleone*, ipse enim *insitata & ignota vocabula vsurpabat, vt auditores perculleret*, Aug. de hæresibus cap. 16. & Epiphani. hær. 36. Nullum autem mandatum est de ea re in sacris literis. Deinde Liturgia latina sæpè *Barbara est, & inepta.* In laudem Sanct. Virginis, (*Cuius dominus humilitatem respiciens Angelo annuntiante concepit Redemptorem Mundi.* Atque hæc est illa grauitas latini sermonis in sacris papisticis. Præterea sacrificuli sæpè sunt istius Linguæ imperitissimi, neque hoc tantùm nostro seculo, sed apud Veteres etiam. Zachariæ n. tempore Sacrificulus baptizauerat puerum his verbis: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Sp. Sancta.* de consecratio. dist. 4. C. Retulerunt. Ex quo colligere potest quilibet, quàm sint auditores huius linguæ periti, & quem fructum ex Latina lingua percipiant, præsertim cùm tales habeant doctores. Imperator Caligula in quodam conuiuio apponebat *aureos panes, quo spectaculo oculos conuiuarum perstringebat, famem non sedabat.* Eodem modo *Papistæ* in sacris publicis, proijciunt *ignota & incognita verba*: atque

ita

ita auditores pcellũt sæpè, & quasi obstupefaciũt, sed eos æquè indoctos atq; imperitos à se dimittunt, atq; accesserant. Atque hæc de secundo argumẽto.

Tertium argumentum. *Quia Iudæi à tempore Esaiæ legerunt Scripturam lingua ignota, & sacra publica administrarunt ignota lingua.*

Quemadmodum factum est in Ecclesia Iudaica, à tempore Esaiæ vsque ad Christum, ita in Ecclesia Christiana fieri debet. Sed in Ecclesia Iudæa à tempore Esaiæ ad Christum Scriptura lecta fuit ignota lingua, & sacra publica administrata sunt lingua ignota. Ergo & hoc tempore ita fieri debet.

Nos primùm negamus maiorem. Nam non quicquid factum est in Ecclesia Iudaica, obseruari debet in Ecclesia Christiana, alioquin & externa sacrificia Deo offerre deberemus, idque Hierosolymæ, & verbum Dei hebraica lingua in Ecclesia legi, sacra item publica hebraica Lingua in Ecclesia fieri deberent, & multa alia. Deinde & minor falsa est. Tempore enim Esdræ verbum Dei non in lingua ignota, sed in lingua cognita prælectum fuit. Neh. 8.2. *Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisque qui poterãt intelligere.* & Neh. 8, 3. *Et legit in ea ante plateam, quæ erat ante portam aquarum, à luce ipsa vsque ad meridiem, coram viris & mulieribus & intelligentibus, & aures totius populi erant ad librum Legis.* Dicit populum *intellexisse*, & aures populi *ad legem intentas esse*, vnde apparet verbum illis non ignota, sed cognita lingua prælectum esse. Neh. 8, 8. *Et legerunt in libro Legis Dei distinctè, & apertè ad intelligendum*

telligendum, & intellexerunt cùm legeretur. Si Iudæi intellexerunt legem Dei, cùm legeretur, nihil fuit illis ignota & peregrina lingua prælectum. Sed primum, ergo secundum. Itaque sic colligere liceret, Quemadmodum factum est in Iudaica Ecclesia, ita & in Christiana fieri debet.

Sed in Iudaica Ecclesia prælegit Esdras populo verbum Dei lingua omnibus nota, Sacra item publica lingua omnibus nota administrata sūt. Ergo & in Christiana ecclesia verbū Dei nota lingua & sacra publica eadem lingua celebrari debent.

Maiorem posuit Bellarminus. Minor ex allegatis testimonijs est manifesta. Atque hæc sufficerent, ad hoc tertium Argumentum. Sed quoniam Bellarmino libuit minorem aliquot paralogismis probare, nos eos examinabimus. Prima probatio eius est: Quia Esdras & Leuitæ *explicuerunt populo legem*, Neh.8.v.7.& 9. Respondeo duplicē esse interpretationem, vnam verborum, alteram rerum siue sensus. Esdras autem interpretatus est eis Legem, nō quoad verba, sed quoad sensum. Simile fecit Christus, Lucæ 24,27. *Et incipiens à Mose & à Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de se scripta erant*. Eodem modo interpretatus est Philippus Scripturā Eunucho, Act.8,35. Manifestum enim est Eunuchū verba intellexisse, quærebat enim ex Philippo, *an Propheta de se, an verò de alio loqueretur*. Eodem modo Iudæi intelligebant verba Legis, sed sensum non assequebantur, hunc aperuit illis Esdras. Secunda probatio minoris est. *Quia scriptura eo tempore legebatur hebraicè*,

hebraicè,& sacra publica fiebant hebraicè. Populus autem non intelligebat hebraicè, hoc probat quia tempore Christi multa peregrina verba, vt *Abba*, *Thalita*, *Kumi*, *Hakeldama*, *Golgoltha*, & similia in Linguam hebraicam irrepserunt. Argumentum tale est.

In quorum linguam aliquot peregrinæ voces irrepserunt, illi suam linguam prorsus ignorant. Sed in Iudaicam Linguam aliquot peregrinæ voces irrepserunt, Ergo Iudæi suam linguam prorsus ignorabant.

Non argumentum hoc est Bellarmine, sed puerilis coniectura. In *Frisicam* enim linguam irrepserunt multa *Flandrica* verba, & tamen Frisij intelligunt maternam linguam. In *Flandricam* Linguam irrepserunt multa *Gallica* verba, & tamen Flandri intelligunt maternam Linguam. In *Saxonicam* Linguam irrepserunt multa *Misnica* verba, & tamen Saxones intelligunt maternam linguam. Eodem modo & Hebræa Lingua propter quasdam peregrinas voces Iudæis prorsus cognita esse non desijt, Nehe. 13, 24. *Et filij eorum partim loquebãtur Asdodicè, & nesciebant loqui Iudaicè.* Vnde necessariò colligi potest, eos qui non habebant matres Asdodicas, non locutos esse Asdodicè, sed Iudaicè. Deĩde Aggæus, Zacharias & Malachias post captiuitatem non scripsissent Iudaicè, si ea lingua prorsus ignota fuisset. Sed neque tempore Christi Iudaica Lingua erat Iudæis incognita, Lucæ 4, 17. *Christus accepit* Prophetam Esaiam, & explicuit in Synagoga. Hanc lectionem & explicationem intellectam esse à populo constat ex versu 22. eiusdem capitis, *& omnes*

testimonium ei dabant, & admirabantur super sermonibus plenis gratia, qui procedebant ex ore ipsius. hoc enim facere non potuerunt nisi & lectionem & explicationem intellexissent. Siue igitur Christus Iudaicè fuerit locutus, siue non; sanè peregrina & ignota lingua locutus non est, Ioh. 5, 39. *Vos scrutamini Scripturas, quia videmini vobis in ipsis vitam æternam habere.* Numne Scripturam lingua ignota scrutari potuerunt? & ne Bellarminus regerat, hîc tantùm doctores notari, constat ex vers. 10. 16. & 18, eiusdem capitis Christum *Iudæos*, hoc est, *ipsum populum alloqui.* Act. 17, 11. *Fuerũt hi generosiores ijs, qui erant Thessalonicæ, vt qui receperint sermonem cum omni alacritate, quotidie scrutantes scripturas, an hæc ita se haberent.* Sed Beroenses scripturam lingua incognita scrutari, & conciones Pauli ad eam examinare non potuerunt. Siue igitur *P*aulus hebraica, siue alia lingua concionatus sit, Siue item Beroenses hebraica, siue alia lingua Scripturam scrutati sint, manifestum est illud ignota Lingua factum non esse. Quod autem Bellarminus dicit scripturam eo tempore, tantùm hebraicè in Synagogis lectam esse, hoc neque nego, neque affirmo, verisimile tamen esse videtur. Verùm quod addit Iudæos à tempore Esdræ vsque ad ætatem Christi, & deinde prorsus ignorasse linguam hebræam, illud falsum esse partim ex illis quæ dixi, partim ex jis quæ adhuc dicam, manifestum erit. *P*aulus Act. 21, 40. ad populum verba fecit lingua hebraica. Hoc à populo intellectum esse cõstat ex sequentibus. Cap. 22, 2, *Quũ audissent autem eum hebræa lingua ipsos alloqui, magis præbuerunt silentium.* Númne ignota lingua eos ita attentos

tentos reddere potuit?&vt omnis tergiuersandi materia tollatur. Paulus cùm diceret se ad Gentes mitti, versu 21. eiusdem capitis, *tum sustulerunt vocem, & clamauerūt, tollatur de terra homo talis*, &c. Quis igitur negabit eos Pauli sermonem intellexisse? Christus item allocutus est Paulū *lingua hebraica*. Acto. 26, 14. Et hoc Paulus intellexit. Ergo quod Bellarminus dicit Linguam hebræam Iudæis eo tempore prorsus incognitam fuisse, verum non est. Intereà non negamus linguam hebræam eo tempore nonnihil corruptam fuisse. Sed licet Iudæi tum non purè loquebantur, tamen lingua hebræa eo tempore prorsus abolita non erat, neque adeò corrupta, quin Iudæi verbum Dei purè hebraicè scriptum intelligerent, Tertia probatio Minoris est, Quia Pharisæi dicunt *turbam non nouisse legem*. Ioh. 7, 48. Hic meritò quis in Bellarmino iudicium desideraret. Quæstio enim est, an scriptura in sacris publicis Vernacula, id est, cognita lingua legi debeat? Nos aimus. Papistæ negant, & probant suam sententiam, quia *Iudæi prælegerunt scripturam lingua ignota in publicis sacris*. hoc rursus probant, quia *turba ignorat legem*. At hæc turba dicebat *hic est Propheta*, Iohan. 7, 40. &, *hic est Christus*, Iohan. 7, 41. Num verò ille legem ignoret, qui Christum agnoscit & recipit, iudicet Bellarminus. Deinde Pharisæi ex æmulatione calumniabantur, & probris afficiebant Christum, altoque supercilio contemnebant, imò condemnabāt eos omnes, qui Christum recipiebant. Iohan. 7. 49. *turba hæc est execrabilis*. Non igitur hinc ritè collegeris, Iudæos eo tempore legisse scripturā in publicis sacris lingua

ignota: ſed recti' collegeris doctores *Phariſæos* fuiſſe ſupbos, & præ ſupbia turbã immeritò contẽpſiſſe. Prætereà vide Bellarmine, an vos Ieſuitæ non eodẽ modo faciatis. Ipſi equidem ex æmulatione calumniamini, & probris afficitis puram doctrinam, & cõtemnitis eos vt *indoctos, imperitos, bardos, ſtupidos*, hoc eſt, vt *legem ignorantes*, imò condemnatis eos vt *Hæreticos*, hoc eſt, vt *execrabiles*, qui eam recipiunt, atque ita reliquis omnibus contemptis, vobis ſolis ſcientiæ clauem arrogatis. Sed terreat vos illud Auguſtini, *Idiota & ſimplices cœlum rapiunt, nos autem docti cũ ſcientijs noſtris ad inferna demergimur*. Atque hæc de tertio argumento.

Quartum argumentum. *Quia Iudæi etiam hoc tempore legunt Scripturam ignota lingua in Synagogis ſuis.*

Quod faciunt Iudæi in ſuis ſynagogis, hoc etiam Chriſtiani in ſuis Eccleſijs facere debent. Sed Iudæi in ſynagogis ſuis legunt ſcripturam, & faciunt ſacra lingua ignota. Ergo & Chriſtiani ſcripturam ignota lingua legere, & ſacra publica ignota lingua adminiſtrare debent.

Nos negamus Maiorem. Non enim quicquid faciunt Iudæi in ſua ſynagoga, illud Chriſtiani facere debent in Eccleſia. Iudæi n. *negant Chriſtum* in ſuis Synagogis, & multa alia faciunt, à quibus Chriſtiani debent abſtinere. Ergo maior vera non eſt, & ob eã cauſſam concluſio vera eſſe non poteſt. Deinde quia Iudæi legunt ſcripturam in ſuis ſynagogis lingua ignota; ideò tam pauci ad Chriſtum conuertuntur. Equidem ſi ſcripturam legerẽt lingua cognita, plures ad Chriſtum conuerterentur. Dum igitur & vos ſacra

ſacra publica ignota lingua adminiſtratis, & Scripturam ignota Lingua in publicis ſacris legitis, poſſetne inde quis meritò inferre, vos nolle, vt populus erudiatur, ſed velle, vt in craſſa ignorantia detineatur. Cæterùm hoc argumentum oſtendit Papiſticæ Theologiæ paupertatem, non enim à Iudæorum Chriſtum negantium exemplo, contra nos diſputarent, ſi alia argumenta eſſent in promptu. Atque hæc de 4. argumento.

Quintum argumentum. Quia *Scriptura debet tantùm ijs Linguis legi, quibus ſcripta eſt, & Sacra publica ijſdem Linguis tantùm adminiſtrari debent.*

In quibus Linguis ſcriptura originaliter ſcripta eſt, in ijs tantùm legi, & Sacra publica tantùm in ijſdem adminiſtrari debent. Sed Scriptura originaliter ſcripta eſt lingua Hebræa, Græca & Latina. Ergo ſcriptura tantùm in his tribus Linguis legi, & ſacra publica in ijſdem adminiſtrari debent.

Reſpondemus neque maiorem neque minorem veram eſſe. Ac primùm maior vera non eſt. Scriptura enim lingua *Syriaca, Ægyptiaca, Æthiopica, Arabica, Armenica, Slauonica, Anglica, & alijs* Linguis originaliter ſcripta non fuit, & tamen in eas Linguas, imò in omnes, tempore primitiuæ Eccleſiæ, quemadmodũ antè docui, verſa fuit. idque nullam aliam ob cauſſam, quàm vt ab omnib⁹ intelligeretẽ, & ab omnibus legi poſſet. Quod ſanè neq; antiq. Apoſtoli, neq; Epiſcopi tolleraſſent, ſi iudicaſſent impiũ eſſe, vt ſacra ſcriptura Lingua cognita legeretur. Sequeretẽ n. totam

tam primitiuam Ecclesiam errasse. Deinde si scriptura tantū his tribus linguis legi & exstare debet, tum Papa Romanus non habet potestatem concedendi, vt in alias linguas vertatur, & in iisdē legatur. Quod enim simpliciter impiū est, hoc Papa Romanus concedere neque potest, neque debet, & contra, si Papa concedere potest, vt aliqui Scripturam in alias Linguas vertant, & in ijs legant, tum hoc argumentum non est idoneū, ad ostendendum scripturam in nostis Linguis neq; exstare, neque legi debere. Atq; hęc de Maiore. Nunc ad minorem, quam etiam falsam esse affirmamus. Nihil enim in Veteri vel in Nouo Testamento originaliter scriptum est *latinè*. De Veteri Testamēto certum est, omnes enim libri Veteris Testamēti originaliter scripti sunt *hebraicè*. Quod ad Nouum Testamentum attinet, eius omnes libros vel hebraicè vel græcè scriptos esse, præter *Euangelium Marci*, concedit Bellarminus. Contendit autē solum Marcum originaliter scripsisse Latinè. Hoc probat tribus testibus. Primus testis est Damasus *in vita Petri*. Sed Damasus tantùm dicit *Petrum scripsisse duas Epistolas, quæ catholicæ ac canonicæ appellatur, & Euangelium Marci, quia Marcus auditor eius fuit, & filius à Baptismo. Post omnem quatuor Euangeliorum fontem, quæ ad interrogationem, & testimonio eius (hoc est Petri) firmata sunt, dum alius græcè, alius hebraicè, alius latinè consonent, tamen eius testimonio sunt firmata.* Quod autem Marcus *latinè* scripserit, ne γϱὺ quidem apud Damasum. Deinde Damasus iste, & reliquæ omnes decretales Epistolæ, quæ in Tomis conciliorum exstant, sunt ridiculæ, ineptæ & falsæ, de reliquis dicemus

mus suo tempore, nunc de Damaso. Dicit *Petrum esse ingressum in vrbem Romam Nerone Cæsare.* Nero cœpit regnare anno Christi (sequor Functium) *quinquagesimo septimo*, hoc est, *vicesimo tertio* anno post passionem Domini. Deinde Petrus secundum eundem Damasum *sedit Romæ annis* 25. hoc est, vsque ad annũ *quadragesimum nonum*, post passionem Domini. At idem Damasus dicit *eum trucidatum esse Romæ*, *anno tricesimo octauo* post passionem Domini. Quod si verum est, tũ Petrus sedit Romæ decẽ integros annos, postq̃ mortuus erat. Deinde Damasus dicit *Petrum venisse in vrbem Romã Nerone Cæsare*, intelligatur hoc de primo anno Neronis, & paulò post dicit *eum Romæ fuisse temporibus Tiberij, Gaij, Claudij & Neronis.* Si hoc intelligis vel de vltimo anno imperij Tiberij, sequitur eum octodecim annis fuisse Romæ (tot enim intersunt inter exitum Tiberij & principium Neronis) priusquam Romam venit. Præterea Damasus dicit *Petrum septem annis sedisse Antiochiæ.* Quos annos si inchoabis à passione Domini, sequitur eum duob' annis post mortem Tiberij sedisse Antiochię. Dominus enim quinto anno ante mortem Tiberij passus est. Idem Damasus dicit *eum temporibus Tiberij sedisse Romæ.* Quæ si vera sunt, sequitur Petrum bicorporem fuisse, & Romæ, atque Antiochiæ simul & eodem tempore sedisse. Denique Damasus dicit *Petrum firmasse quatuor Euangelia suo testimonio.* Quod si verum est, sequitur eum vixisse post Euangelium à Iohanne æditum. Sed Iohannes scripsit Euangelium post exortam Cerinthi & Hebionitarũ hæresin. Irenæus lib. 3. capite 11. *Hieronymus in præfat. ad Matth.*

& in

& in catalog.viror.illust. C.Iohannes. Hieronym.Tom.3. fol.16,6. Cerinthi verò & Hebionis hæresis exortæ sunt anno Dom. (sequor Funciũ) *nonagesimo quinto*, hoc est, anno *sexagesimo primo* post resurrectionem Domini. Idem Damasus dicit, *Petrum tricesimo octano anno post passionem Domini trucidatum esse*. Quæ omnia si vera sunt, sequitur, Petrum tricesimo primo anno postquam mortuus erat, aliorum Euangelia approbasse. Deinde Damasus dicit, *Petrum sedisse primò in Cathedra Episcopatus Antiochiæ.* Sed Hieronymus testatur, *Marcum esse primum Episcopum Antiochiæ*, in præfat. Comment. ad Matth. & in Catalogo virorum illustrium. C. Marcus, & in præfat. in Marcum. Conciliet qui potest. Postremò Damasus docet, *Petrum venisse Romam Nerone Cæsare, & ibi sedisse annis* 25. Reliqui autem Scriptores testantur, Petrum trucidatum esse anno vltimo Neronis. At Nero tantùm regnauit annis 13. Quæ si vera sunt, tum Nero 12. annis post mortem suam trucidauit Petrum. Denique Damasus dicit, *eum Nerone Cæsare venisse Romam*, sed Eusebius affirmat, *eum secundo anno Claudij illuc venisse.* Ex his apparet quantum sit tribuendum huic personato Damaso. De reliquis idem iudico. Nisi igitur Bellarminus meliores auctores producere potest, incerta relinquitur eius assertio, qua asseuerat *Marci Euangelium Latinè scriptum esse.* Sed nunc indubitatis testibus ostendam nullum librum Noui Testamenti scriptum esse originaliter latinè. Patres enim vnanimiter affirmant omnes libros Noui Testamenti, præter Euangelium Matthæi & Epistolam ad Hebræos scriptos esse

esse Græcè. Hos autem duos Hebraicè. Augustinus libro 1. de consensu Euangelistarum capite 2. *Horum sanè quatuor*, inquit, *solus Matthæus hebræo scripsisse perhibetur eloquio, cæteri græco.* Hieronymus præfat.in Nouum Testamentum ad Damasum. *Nouum*, inquit, *Testamentum Græcum esse non est dubium, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Iudæa Euangelium Christi hebræis literis edidit.* & hæc est communis omnium doctorum sententia. Manifestum igitur neminē ex Scriptoribus N.T. scripsisse latinè. Ac proinde si sacra Scriptura non debet alia Lingua legi, quàm qua scripta est, sequitur eam latina Lingua legi non debere. Item si sacra publica non alia lingua celebrari debent, quàm qua sacra Scriptura scripta est. Sequitur ea Lingua latina celebrari non debere. Disputo enim in hunc modum.

Quibus linguis Scriptura originaliter scripta est, ijs tantùm legi, & sacra publica ijsdem tantùm celebrari debent. Sed hebræa & græca lingua tantùm Scriptura originaliter scripta est. Ergò Scriptura his tantùm duabus linguis legi, & iisdem sacra publica administrari debent.

Maior est posita à Bellarmino, minor vnanimi veterum testimonio, & omnium doctorum consensu confirmatur. Viderit Bellarminus quid sit ad hoc argumentum responsurus. Si hoc medium concludit, progredior in hunc modum.

Qua Lingua originaliter Scriptura scripta non est, in ea neque Scriptura legi, neque Sacra publica administrari debent. Sed *Latina lin-*

na Lingua ſcriptura originaliter ſcripta non eſt.
Ergo in latina lingua neque ſcriptura legi, neque ſacra publica adminiſtrari debent,

Viderit Bellarminus quid ſit reſponſurus ad hoc argumentum. Si autem ſcriptura latina lingua originaliter ſcripta non eſt; & tamen in ea legi, & ſacra publica in eadem adminiſtrari poſſunt, nihil obſtabit quo minus & in Germanica, Gallica, Anglica, & in qualibet alia lingua idem fieri poſsit. Atque hæc ad Bellarmini paralogiſmum. Quod autem Scriptura tantùm Hebræa & Græca lingua originaliter ſcripta eſt, non ideò factum eſt, vt nunc & ignota lingua legatur, & ſacra publica ignota lingua adminiſtrentur. Sed longè alia cauſa eſt. Vetus enim Teſtamentum ideò Hebraicè ſcriptum eſt, vt ab omnibus Eccleſiæ membris intelligeretur. Quicunque enim ad Eccleſiam Iudaicam pertinebant, intelligebant Hebraicè. Omnes autem libri Veteris Teſtamenti ſunt ſcripti Hebraicè. Ergo ab omnibus intelligi potuerunt. Quod cùm ita ſit, vides ipſe quàm validum ſit tuum argumentum. Sic enim argumentaris,

Sacra ſcriptura & publica ſacra hebræa Lingua apud Hebræos ſcripta & facta ſunt, vt ab omnibus intelligerentur. Ergo ſcriptura & ſacra publica apud Chriſtianos lingua omnibus ignota legi & celebrari debent.

Idem de Nouo Teſtamento dico. Cùm enim Apoſtoli ſcriberent, Græca lingua ferè omnibus gentibus cognita erat. Policarpus n. Romæ celebrauit *Euchariſtiam græcè.* Euſeb. lib. 5. c. 24. Epiphanius Epiſcopus Cypri, *docuit ſuos lingua græca.* Parthi illuſtrunt

ſerunt Craſſo *lingua græca.* Plutarch. in Craſſo, Origenes, Athanaſius, Cyrillus Alexandriæ Epiſcopi docuerunt ſuos *græcè.* Alter Cyrillus Hieroſolymę docuit ſuos *græce.* Hieronymus *in Prologo libro 2. ad Gala. Totus oriens*, inquit, *vſus eſt ſermone græco.* Vnde apparet linguam græcam penè per vniuerſum terrarum orbem eo tempore diffuſam fuiſſe. Hoc diſertè docet Cicero pro Archia. Atque ideò Apoſtolos ſcripſiſſe græcè, vt vel ab omnibus, vel à pluribus intelligerentur. Vt ſacra ſcriptura per orbem faciliùs ſeminari & in alias linguas transferri poſſet. Auguſtinus de doct. Chriſt. lib. 2. cap. 5. *Græca*, inquit, *lingua tum penè ab omnibus populis potuit intelligi.* Sed Apoſtoli ſcripſerunt græcè. Ergo eorum ſcripta penè ab omnibus populis intelligi potuerunt. Hinc autem inferre, *nos debere ſcripturam ignota lingua legere, & ſacra publica ignota lingua celebrare*, perinde eſt ac ſi dicas: Apoſtoli ſcripſerunt græcè, vt ab omnibus, vel à pluribus intelligerentur: Ergo ſcriptura nunc debet legi lingua ignota, & ſacra publica ignota lingua celebrari, vt à nemine intelligantur. Opus equidem acumine Chryſippeo ad talia argumenta refutanda.

Sextum argumentum. *Quia ſacra ſcriptura nunc nō debet alijs linguis legi, neque ſacra publica alijs linguis administrari debent, quàm in primitiua Eccleſia factum eſt.*

Quibus linguis ſcriptura in primitiua Eccleſia legi, & ſacra publica adminiſtrari ſolebant, iiſdem & nunc tantùm legi & adminiſtrari debent. Sed ſcriptura in primitiua Eccleſia tantùm legebatur hebræa, græca & latina lingua

& Sacra publica tantùm his tribus linguis administrabantur. Ergo & hoc tempore tantùm illis tribus linguis scriptura legi, & sacra publica administrari debent.

Maiorem huius argumenti libenter admittimus, modò non de primo principio Ecclesiarum intelligatur. Iohannes enim Baptista, Christus & Apostoli in Iudæa, ante donum linguarum tantùm prædicarunt *Lingua Iudaica.* hoc est manifestius, q̃ vt probari debeat. Ergo si argumentum de eo tempore intelligi debet, tum neq; maior neque minor vera est: Si aũt argumentum intelligitur de eo seculo, ꝙ Apostolorum ætatem secutum est, vsque ad Augustini ætatem, aut circiter, tum maiorem libẽter concedimus, & nisi idoneis testibus probare posſimus, omnes populos in natiua lingua scripturam legisse, & sacra publica administrasse, æquum est, vt cum Papistis verbum Dei ignota lingua legamus, & Sacra publica lingua oĩbus incognita administremus. Priusquam verò aperiamus, quid antiquitas de hac re senserit, excutiemus minorẽ, & eã simpliciter negamꝰ. Bellarm. minorẽ probat duabꝰ rationibus, quas examinabimus. Prima ratio est. Quia Aug. l. 2. de doct. Christ. cap. 11. *dicit ad intelligentiam scripturarum, esse necessariam cognitionem tantùm trium Linguarum, Hebraica, Græca & Latina.* Argumentum tale:

Quæ Linguæ sunt necessarię ad S. scripturarũ cognitionem, in ijs tantùm scriptura exstare & legi, ac sacra publica administrari debent. Sed hę tres nempe Hebræa, Græca & Latina sunt tantùm necessariæ ad S. scripturarum cognitionẽ. Ergo

his

his tribus linguis tantùm exstare scriptura & legi, & sacra publica administrari debent.

Huius paralogismi Maiorem concedimus, quæ n. linguæ sunt necessariæ ad sacrarum literarum cognitionẽ, ijs linguis S. scriptura legi, & exstare debet, nisi n. eis linguis exstet & legatur, intelligi non potest. Minorẽ verò prorsus negamus. Bellarm. eam probat ex Aug. loco citato. Verùm Bellarmine, locũ Augustini aut non inspexisti, aut non bona fide adduxisti. Non n. dicit Augustinus *omnibus hominibus* simpliciter his tribus linguis, videlicet Hebræa, Græca & Latina opus esse ad scripturarum cognitionem. Sed dicit. *Latinæ quidem Linguæ homines, quos nunc instituendos suscepimus, & duabus alijs ad scripturã habent opus, Hebraa sc. & Græca, vt ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas.* Vnde apparet omnes homines ad scripturam cognoscẽdam in primis opus habere, vt eam in cognita lingua legant, siue ea sit Latina, siue Gallica, siue Anglica, siue Germanica, siue alia aliqua lingua. Deinde vt præter eam linguam, in qua scripturam legunt, & Græcam & Hebræam linguam cognoscant. Nam vt *Latinæ linguæ homines* opus habent & Grȩcæ & Hebraicæ linguæ cognitione, ita & Germanicȩ & Gallicæ & Britannicæ & aliarum linguarum homines, ad scripturam cognoscendam præter Vernaculam linguam, & Hebræa & Græca lingua opus habent. Hoc arg. & verũ est, & ex Augustino cõmodè colligi potest.

Quod en. latinæ linguæ hominibus opus est ad script. cognoscendam, hoc omniũ linguarũ ho-

minibus ad eam cognoſcendam opus eſt. Sed Latinæ linguæ homines opus habuerunt ad ſcripturam cognoſcendam, vt eam in *latina natiua* legerent, & vt præter latinam linguam intelligerent græcam & hebræam, vt exemplaribus variantibus poſſent eam ſententiam eligere, quæ cum græcis hebræisque fontibus maximè congruit. Ergo & aliarum linguarum homines opus habent, primò vt ſcripturam legant in lingua Vernacula, deinde vt pręter linguam Vernaculam intelligant græcam & hebræam linguam.

Hæc eſt genuina mens Auguſtini. Dicere autem: Latinę linguę homines opus habent gręca & hebręa lingua ad ſcripturam cognoſcendam, idque propter interpretationum latinarum varietatem. Ergo aliarum linguarum homines debent ſcripturam ignota lingua legere; Deo & hominibus illudere eſt. Deinde quemadmodum licitum fuit Latinis, vt legerent ſcripturam in latina lingua; ita etiam licitum eſt, vt Germani eam legant in lingua Germanica, & ſinguli alij populi in paterna & natiua lingua. Putereà Bellarmine ex hoc loco diſce hebræum textum Veteris Teſtamenti, & Græcum Noui Teſtamenti eſſe authenticum.

Illi enim libri ad quos variæ & diſcrepantes verſiones corrigi debent, ſunt authentici. Sed Hebræi & Græci libri, &c. Ergo.

Deinde, ſi hoc eſt idoneum argumentum, tum ſequitur ſacram ſcripturam in nullam aliam linguam verti debere. Errat igitur Papa Romanus, dum contrarium

trarium dispensat. Quód enim illicitum est, in eo Papa dispensare non potest.

Secunda ratio est. *Quia nullus antiquus autor meminit vllius alterius versionis.*

Cuius rei apud antiquos scriptores mentio nulla fit, ea res nunquam exstitit. Sed Vernacularũ versionum nulla mẽtio fit apud antiquos scriptores. Ergo nullæ vnquam vernaculæ versiones fuerunt.

Hoc argumentum est prorsus Iesuiticum. Nos & Maiorem & Minorem negamus, illam quia apud antiquos creationis scriptores, nulla fit mentio *creationis Angelorum*. Ergo dicere nullos Angelos creatos esse, nimis temerarium esset. Eodem modo etsi apud antiquos scriptores nulla mẽtio fieret Vernacularum versionum, tamen magna temeritas esset, pronunciare nullas vnquam Vernaculas versiones fuisse. Deinde & minor non tantùm falsa est : sed magnam etiam antiquitatis imperitiam arguit. Socrates enim *lib.4.cap.* 35. *hist. Ecclesi.* narrat Vlphilam transtulisse sacras literas in *Gothicam* linguam. Beda *in hist. Angl. libro* 1. *capite* 1. facit mentionem *Anglicanæ* versionis. *Syriacæ, Chaldaicæ, Æthiopicæ, Arabicæ, Ægyptiacæ* versionis vestigia adhuc exstant, Hæ autem omnes tam antiquæ sunt, vt plærique docti testentur eas ipso Apostolorum tempore exstitisse. Hæc ad Minoris falsitatem ostendendam sufficiant. Cũ igitur neq; Maior neq; Minor vera sit, sequitur cõclusionẽ verã esse nõ posse. Hoc igitur argumentum in aduersarios nostros retorquemus, & dicimus Vernaculas versiones, earumque lectiones in primi-

tiua Ecclesia licitas fuisse. Ergo & nunc licitas esse. Nam quod in primitiua licuit Ecclesia, hoc & nunc illicitum non est. Sed in primitiua Ecclesia licuit sacras scripturas in *Syriacam*, *Ægyptiacam*, *Æthiopicã*, *Arabicam*, *Chaldaicam*, *Anglicam*, *Gothicam*, *Frisicam*, & in alias Vernaculas linguas vertere, & in ijsdem linguis legere, licuit & in illis sacra publica administrare. Ergo illud nunc illicitum esse nõ potest. Maior est Bellarmini, ac proinde ab eo negari non potest. Minorem probant prædicta exempla. Gothi enim legerunt scripturam in lingua Vernacula, idem fecerunt Angli. Syriaca translatio tota adhuc exstat, & Chaldæa. In Syriaca Ecclesia etiam *hoc tempore sacra publica administrari lingua Syriaca* testatur Tremell. *in præf. Syriac. Test.* *Arabicæ* versionis multi libri adhuc exstant. Sanè doctissimus vir & Orientalium linguarum peritissimus *Franciscus Iunius aliquos libros Noui Testamenti ex Arabica linguâ* vertit in Latinam. Guillelmus Postellus dicit se vidisse *Euangelia lingua Æthiopica*, in epistola ad Ambrosiũ Theseum. Ipse Ambrosius Theseus sæpè allegat *Indorum Psalterium*, quod à Ioanne Potten testatur charactere Syriaco editum esse. Ex *Armenicis* verò *Euangelijs* integras sæpè paginas ad verbum recitat descriptas charactere Armenico, Prophetarum etiam testimonia & Psalmorum producit ex *autographis Dalmaticis*. Testaturq; *Chaldæis & Syris fuisse à Leone decimo* (cuius tempore ille hæc scripsit) *permissum*, *ut Liturgiam sua Lingua Romæ celebrarent*, in introduct. in Chaldaicam, Syriacam, Armenicam, & decem alias Linguas. Apud doctissimum virum Franciscum Raphelingium

phelingium Professorem Hebraicæ linguæ in Academia Leidensi exstat *pentateuchum Mosis Lingua Persica Hebraico charactere descriptum,* in quo ille (vt decus Belgicæ nobilitatis Philippus Marnixius ad me scripsit) dicit multas voces exstare, quæ ad Belgicam linguam quàm proximè accedunt. In Bibliotheca D. Hermanni Comitis de Nevvenar solet exstare liber vetustissimus, aureis argenteisque characteribus in papyro exaratus, continens vniuersum *Nouum Testamentum Lingua antiqua Frisonum*, vt idẽ Aldegundius me docuit. Ex hoc libro idem Aldegundius dicit se habere *descriptam orationem Dominicam Frisico vel Saxonico antiquo charactere, qui non multum à Muscouitico charactere differre, & ad Græcum accedere videtur.* Eius initium est: *Atta unsar thu in himina, waikmi namo thein, &cet. Æthiopicum* & *Ægyptiacum Psalterium* his annis in lucem reduxit illud decus politiorum literarum Iosephus Scaliger. Armenios vsurpasse *Armenicã versionem* docet Sixtus Senensis. *Bib. libro* 8. Sed & Dalmatæ vsurparunt *versionem Dalmaticam*. Alfons. de Castro. lib. 3. capite 13. Eccius in Enchiridio. C. de Missa Latina. Erasmus in Indice operum Hieronymi, quæ perierunt. Slauonica ecclesia vsurpauit *versionem Slauonicam.* Auent Anal l. 4. & vt vno verbo dicam, Singuli populi tempore primitiuæ Ecclesiæ vsurparunt Scripturam in lingua Vernacula. Augustinus lib. 2. de doct. Christ. cap. 5. dicit *Diuinam scripturam per varias Interpretum Linguas longè latéque diffusam innotuisse.* Chrysostomus homilia 1. in Ioh. dicit *Syros, Ægyptios, Indos, Persas, Æthiopas & alias*

innumeras gentes dogmata diuina in suam linguam transtulisse, atque ita homines barbaros philosophari didicisse. Theodoret. libro 5. de corrigendis Græcorum affectibus. *Hebraici,* inquit, *libri non tantùm in Græcum sermonem conuersi sunt: sed in Romanam quoque linguam, Ægyptiacam, Persicam, Indicam, Armenicam, Scythicam, atq; adeò Sauromaticam, & vt semel dicam, in omnes linguas conuersi sunt, quibus nationes ad hunc vsque diem vtuntur.* Num adhuc Bellarm. audebit dicere nullũ veterẽ scriptorẽ alterius alicuius versionis meminisse?

Sept. Argument. ab exemplo vniuersalis Ecclesiæ.

Quod vniuersalis Ecclesia facit, hoc & nos facere debemus. Sed vniuersalis Ecclesia semper legit scripturam lingua Latina, Græca & Hebræa, & in ijsdem sua sacra administrauit. Ergo nos omnes debemus scripturam ignota lingua legere, & in eadem sacra publica administrare.

Respondemus hoc argumentum nihil concludere, sunt n. 4 termini. Minor n. debebat sic formari, Vniuersalis Ecclesia semper legit scripturam ignota lingua, & sacra publica administrauit semper ignota lingua. Deinde & minor est falsa, quemadmodum in superiore argumento demonstratum est. Imò ne maior quidem vera est. Non enim quicquid vniuersa Ecclesia facit, nos facere debem⁹. Nam cùm Christus pateretur, vniuersalis Ecclesia erat vel apud sũmum Sacerdotem, & Iudæos; vel apud Apostolos; vel apud vtrosque: si apud Iudæos, tum verum est quod dixi, *Iudæi enim consultarunt contra Christum,* Matth. 26, 3. Si verò apud Apostolos, tum æquè verum est, quod dixi. *Apostoli enim omnes fugerunt à Chri-*

Christo, Matth.26,56. Si denique apud vtrosque Ecclesia fuit, tum etiam verum est quod dixi. Nam & Iudæi & Apostoli simul errarunt. Ergo non quicquid vniuersalis facit Ecclesia, nos facere debemus. Et ne quis Apostolos præpostere excuset. Manifestum est *eos in Christo offendisse*, Matth.26,31. Eodem tempore Iudæi oppugnabant Christum, & eius discipulos: negabant omnes Christum esse verum Deũ & redemptorem mundi. Si igitur apud eos fuit vniuersalis Ecclesia, errarunt in doctrina. Apostoli verò putabant Christum esse *Dominum terrenũ, & eius regnum esse terrenum*, Acto.1,6. Si ergo penes hos fuit vniuersalis Ecclesia, errarunt etiam omnes in doctrina. Si penes vtrosque fuit vniuersalis Ecclesia, idem sequetur. Manifestum igitur non quicquid facit vniuersalis Ecclesia, id nos facere debere. Cùm igitur in eo Argumento sint 4. termini, & ambæ præmissæ sint falsæ: sequitur conclusionem veram esse non posse. Hoc ad argumentum 7. sufficeret. Sed quoniam Bellarmino libuit vtramq; premissam probare, age excutiamus etiam eius prosyllogismos. Ille igitur Maiorem probat auctoritate Augustini & Greg. Aug. epist.118. *Contra id quod vniuersa facit Ecclesia disputare*, inquit, *insolentissima insania est*. Idem contra Donat. dist.l.4.c.24. & Leo in sermo. de Ieiunio pentecost. *Id quod in vniuersa Ecclesia seruatur, si non possit assignari eius initium de Apostolica traditione, descendere, & sic semp fuisse meritò creditur*. Arg. tale est:

Quicqd dicit Aug. hoc verum est, sed Aug. dicit illud oib. homin. obseruandũ esse, quod vniuersa Ecclesia docet. Ergo hoc ita fieri debet.

Maiorem refutat ipſe Auguſtinus: dicit enim ſe in omnibus patrum ſcriptis ea arripere, *quæ cum ſacris literis congruunt: quæ cum iis non congruunt, reprobare, & eandem libertatem aliis in ſuis ſcriptis concedit.* C. Neque. Diſt. 9. C. Noli meis, C. negare, C. quis neſciat. eâdem. Hoc Papæ in ſua decreta retulerunt. Ergo de omnibus patribus intelligendum. ac proinde de Leone idem dicere poſſumus. Sed conuertamus nunc argumentum in Bellarminum.

Quicquid facit vniuerſa Eccleſia, hoc nobis faciendũ eſt. Sed vniuerſa Eccleſia legit ſcripturam lingua cognita, & adminiſtrauit Sacra lingua cognita. Ergo & nunc ſcriptura legenda eſt lingua cognita, & ſacra publica adminiſtranda ſunt lingua cognita.

Maior eſt Bellarmini, ergo ab eo negari non poteſt, minor nota eſt ex argumento præcedente. Hæc de maiore. Nunc accedit Bellarminus ad minorem probandam, & enumeratione omnium populorum, oſtendit in toto orbe ſcripturam tantùm extitiſſe lingua *Latina, Græca & Hebræa.* Exiſtimo Bellarminum hoc feciſſe, nõ quod ita *putarit*, ſed vt Geographicam quandam ſcientiam oſtentaret, vel vt imperitorum oculos perſtringeret.

Ac primùm dicit in toto Oriente in publico vſu fuiſſe tantùm verſionem Græcam, ſed hoc falſum eſſe oſtendimus argumento ſexto, Syri enim vſi ſunt verſione *Syra*, Arabes *Arabica*, Ægyptij *Aegyptiaca*, Chaldæi *Chaldaica*, Indi *Indica*, ſinguli alij populi vſi ſunt verſionibus Vernaculis. Intereà tamen nõ nego fuiſſe aliquos in Syria, Ægypto, & reliquis

Orientis

Orientis Regionibus, qui Græca versione vsi sunt. Origenes enim, Athanasius & Cyrillus, Alexãdriæ locuti & concionati sunt Græcè, sed Alexandrini Græcam Linguam intelligebant, Epiphanius docuit Cyprios lingua Græca, sed illi Græcam linguam intelligebant, ita & Parthi intellexerunt græcè, Crassum enim *irriserunt sermone Græco*, vt est apud Plutarchum in vita Crassi. Quin & Nyssseni græcè sciuerunt, vt ex Gregorio, qui illorum Episcopus fuit, commodè intelligi potest. Ephesios sciuisse græcè extra controuersiam pono, & ne rem per se notam multis persequar, Cicero dicit in oratione pro Archia, *Græca ab omnibus Gentibus legi.* Cõrad. Hersbach. in Orat. de laude Græc. Lingu. dicit, *Græcam linguam in Cyprũ, Rhodũ, Cretam, Asiam minorem, Macedoniam, Epyrum, Mysiam, Illyrium, Thraciã, Dalmatiam, Syriam & Aegyptum esse ob Alexandri magni victoriam propagatam.* Vnde colligo eos, qui grȩcam linguam sciuerunt, legisse scripturam lingua græca, qui verò eam non sciuerunt, illos legisse scripturam lingua patria. Argumentum igitur tuum tale est:

Aliqui in Oriente non sciuerunt græcè, sed aliqui in Oriente legerunt Scripturam lingua græca, Ergo scriptura in linguas Vernaculas verti, & in ijs legi non debet, & sacra publica in ijs administrari non debent.

Hoc est topographicum illud Iesuitarum argumentum, & credibile est, hoc valdè placere Papistis, ante Bellarminum enim Hardingus eodem argumento vsus est, verùm cùm illud tam grauiter ab

Iuello

Iuello esset refutatum, non debuit à Bellarmino resumi. Sed ad rem, si vis contra nos concludere Bellarmine, sic collige.

Græca lingua fuit in tota Oriente ignota. Sed Orientales legerunt scripturam lingua græca, Ergo legerunt scripturam lingua ignota.

Deinde ex hoc infer, quod fecerunt Orientales, hoc & nos facere debemus, sed illi legerũt scripturã, lingua ignota. Ergo & nos idem facere debemus.

Atque istis argumentis fundata est vestra religio, Equidem non opus est, vt hæc Papistica argumenta refutentur, si verborum plumis nudantur, & syllogisticè tantùm proponuntur, hoc sufficit ad turpitudinem eorum patefaciendam. Perlustrato Oriente venit Bellarminus in Occidentem, & dicit omnes populos Occidentis legisse scripturam lĩgua Latina, sed hoc verum non est. Angli enim vsi sunt versione *Anglica*, Dalmatæ *Dalmatica*, Slauones & Bohæmi *Slauonica*. Frisij *Frisica*. Quin ipse Hardingus concedit *Russos & Muscouos legisse scripturam lingua Russica, & Muscouica, vt cap. 6. ostensum est*. Intereà non negabo aliquos populos Occidentis legisse scripturã lingua Latina, sed & illi Latinè sciebant. Augustinus monet populum, *vt non rideat sacerdotes, si minus grammaticè loquãtur*. de catechisandis rudib. c. 9. quomodo ridebũt vitia Grãmatica, nisi intelligant. Idem dicit, *se Psalmum quendam Latino sermone composuisse, vt in vulgi & Idiotarum notitiam perueniret*. l. 1. Retract. c. 20. Vnde apparet Latinam linguam in Africa tum fuisse Punica notiorem. Idẽ dicit, *hoc dicam vobis Latinè, quia non omnes nostis Punicè*. ser. 25. de verb.

verb. Apoſt. Vnde colligo illos qui punicè tantùm ſciebant, legiſſe ſcript. punicè, & feciſſe ſacra publica punicè. qui verò latinè ſciebant, illi legerunt ſcripturam lingua Latina, & fecerunt ſacra publica lingua Latina. Idem dicit *ſe Latinam linguam inter blandimenta nutricum didiciſſe*, l. 1. confeſſ. cap. 14. Hiſpani fortè etiam legerunt ſcripturam lingua Latina, ſed illi ſciebant latinè. Hiſpani enim plærique eam linguam didicerant, quia ea Ius dicebatur. *Strabo libro* 3. De Gallia incertum eſt, qua lingua ſacra adminiſtrauerint. Intereà tamen conſtat factum eſſe lingua nota. Nam cùm lector cui legendi eo die officium erat, deeſſet, turbatis Miniſtris, dum expectatur qui non aderat, *vnus ex circumſtantibus ſumpto Pſalterio, quem primum verſum inuenit, arripuit. Pſalm. aũt hic erat, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem tuam. Quo lecto populi clamor attollitur, & pars aduerſa cõfunditur.* Seuerus Sulpi. in vita D. Martini. Vnde apparet populum ſcript. intellexiſſe. Quomodo n. pars vna acclamaret, & pars altera cõfunderet, ſi neutra quicq̃ intelligeret? Argum. igitur Bellarm. tale:

Aliqui populi Occid. nõ ſciuerũt latinè, & aliq. legerunt ſcript. latinè, & fecerũt ſacra latinè. Ergo nemo debet ſcript. lingua Vernacula legere, neque ſacra publ. lingua Vernacula adminiſtrare.

Tãtũ n. ex Topogr. hac diſputatiõe colligi poteſt, verũ Bellarmine in hunc modũ cõcludere debebas.

Nullus populus Occid. ſciuit latinè, & oẽs populi Occid. legerũt ſcript. latinè, & fecerũt ſacra latinè. Ergo nemo debet ſcript. in lingua Vernacula legere, neque ſacra in lingua Vernacula facere.

Sed

Sed vt antè monui, hæc argumenta tam putida ſunt, vt refutatione opus non ſit, nudaſſe ſufficit.

Totum autem hoc argumentum retorqueo in Bellarminum.

Quod vniuerſalis primitiua Eccleſia fecit, hoc nos facere debemus. Sed tota vniuerſalis primitiua Eccleſia legit ſcripturam lingua nota, & ſacra adminiſtrauit lingua nota. Ergo & nos idem facere debemus.

Maior illius argumēti eſt Bellarmini, minor probata eſt argumento ſexto & ſeptimo. Hæc ad Topographicum hoc argumentum ſufficiant.

Octauum argumentum. Quia facit ad vnitatem fidei ſeruandam, *vt omnes populi vna Lingua ſcripturam legant, & faciant ſacra, &c.*

Quod facit ad fidei vnitatem ſeruandam, hoc nos conſeruare debemus. Sed ſcripturam legi vna lingua, & ſacra publica adminiſtrari vna lingua, facit ad, &c. Ergo nos hoc conſeruare debemus,

Minor huius Syllogiſmi eſt falſa, Veteres enim vſi ſunt linguis varijs, & tamen conſeruauerunt fidei vnitatem. Ergo & fidei vnitas etiam nunc conſeruari poſſet, etiamſi varijs linguis vtamur. Atq; hoc ipſum docet experientia. Angli enim, Belgæ, Hungari, Poloni, Heluetij, Galli, Germani, Scoti, Dani vtuntur diuerſis linguis, & tamen beneficio Dei fidei vnitatem hactenus conſeruauerunt.

Nonum argumentum, *quia nullam vtilitatem affert, ſcriptura in Vernacula lingua à plebe legi.*

Quod nullam vtilitatem affert, hoc deſiderare nō debemus,

debemus, ſed ſcripturam in Vernacula lingua à plebe legi, nullam vtilitatem affert. Ergo non debet hoc fieri.

Maiore prætermiſſa negamus minorem. Nemo enim eſt tam idiota, quin aliquam vtilitatem ex ſacrarum ſcripturarum lectione conſequatur, modò cùm ſerio Dei timore ad earum lectionem accedat. Bellarminus probat minorem, & dicit, primam lectionis vtilitatem eſſe intellectum: populum autem legendo nihil intelligere, neque legendo proficere. Sed hoc falſum eſt. Omnes enim Patres hortantur populum ad ſcripturarum lectionem, & affirmant populum multum vtilitatis ex ſacrarum literarũ lectione conſequi. *Ioh. 5. & Act 17. Chry. in Mat. Homil. 2. & in ad Colloßenſ. homilia 9. Idem de Lazaro, homil. 3. Origen. in Eſaiam. homil. 2. Idem in Ioſ. hom. 20. Idem in Nume. homil. 27. Hieronymus in Nahum. cap. 3. Idem ad Colloſſ. 3. Auguſtinus in Pſalmum 85. & in Pſal. 93. Idem in De ſcala Paradyſi. Idem ſer. 1. fer. 6. poſt paſſionem Domini. Origenes* inter cætera in Ioſ. hom. 20. *Dici poteſt, ſcripturæ ſunt difficiles* (inquit) *at nihilominus, ſi eas legeris, profuerint tibi. Dominus enim Ieſus ſi nos in ſcripturis occupatos inuenerit, & huiuſmodi ſtudijs vacantes, non ſolùm ipſe refici & paſci dignatur in nobis, verùm etiam ſi has epulas viderit apud nos apparatas, patrẽ ſuum ad nos adducet.* Deinde quod dicit Bellarminus *Laicos prorſus nihil intelligere*, hoc falſum eſt. atq; hoc malo Auguſtini, quàm meis verbis explicare. Ille igitur ſerm. 1. fer. 6. poſt Dom. paſſ. *Adhuc*, inquit, *bonum habemus ſolatium, diuinarum ſcripturarum lectionem, quia ſacrarum ſcripturarum lectio non parua cognitio*

tio est diuinæ beatitudinis. In his enim tanquam in speculo homo seipsum considerare potest, qualis sit, vel quò tendat. Lectio assidua purificat omnia, timorem Gehennæ incutit, ad gaudia superna cor legentis inuestigat, lego instigat, *Qui vult semper cum Deo esse, frequenter debet orare & legere. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur. cùm legimus, Deus nobiscum loquitur.*

Decimum argumentum, *Quia scripturam à plebe in Vernacula lingua legi, damnum adfert.*

Quod damnum adfert, illud expetere non debemus. Sed scripturam in Vernacula lingua legere damnum adfert. Ergo nemo debet scripturã in Vernacula lingu. legere, eadéq; ratione scriptura in Vernacula lingua exstare non debet.

Hoc argumentum est planè Iesuiticum, & dignũ tanto auctore. Nos respondemus ad maiorem, illam veram esse, si per se intelligitur. Si autem per se & per accidens simul, tum ea est falsa. Euangelium enim, quod per se est *odor vitæ*, per accidens est *odor mortis*, 2. Cor. 2, 16. Christus qui per se est *iustitia nostra*, per accidens est *Petra offendiculi*, 1. *Petr.* 2, 8. non tamen propterea non expetẽdus. Deinde ad minorem dicimus eam per se falsam esse, *Lex* enim *Iehouæ perfecta est, conuertens animas. Testimonium Iehouæ fidele est, sapientem efficiens paruulum. Præcepta Iehouæ recta, lætificantia cor. Præceptum Iehouæ purum, illuminans oculos, Psalm.* 19, 8. & talis est lectio Diuini verbi, vt argumento superiore probauimus. Si autem minor per accidens accipitur, tum illa quidem vera est, sed nihil sequitur, sunt enim quatuor termini.

Nam

Nam maior per se accipitur, minor per accidens. Scholæ vocant fallaciam accidentis. Quod autem verbum Dei lectum aliquibus mortem affert, fit vitio legentium,& non culpa ipsius verbi, eodẽ modo ꝙ Christus est petra offensionis,non fit culpa Christi,sed culpa offendentium.

Vndecimum argumentum. Quia propter linguarum mutationes versiones Vernaculæ singulis ætatibus mutandæ essent.

Si oportet scripturas lingua vulgari publicè legere; oportet etiam singulis ætatibus mutare versiones. Sed hoc fieri non potest. Ergo neque illud.

Connexum Maioris probat, Quia linguæ vulgares singulis ætatibus mutantur. Horatius in arte.

Verborum vetus interit ætas,

Et iuuenum ritu florent modo nata vigentq́;.

Nos respondemus connexum Maioris infirmum esse,& eius probationem nihil ad rem facere. Nam non integræ linguæ immutantur, sed tantùm *aliqua verba* aliquando innouantur. Exemplo sunt omnes linguæ. Eadem enim est nunc Germanica lingua, quæ fuit tempore Lutheri. In Latina,Græca & Hebræa ling. hoc est manifestius. Politior n. est lingua Latina tẽpore Ciceronis & Salustij, quàm tempore Plauti: tamẽ qui Salust. & Ciceronẽ ꝓbè intelligit, ille & Plautum intelligit. de similibus est idem iudicium. Deinde quod ad verborum quorundam innouationem attinet, non desunt singulis ætatibus homines pij, & docti, qui in sua vernacula & patria lingua,pro verbo obsoleto vsitatum substituere pos-

 sunt.

sunt. Quod autem Bellarminus dicit id præbiturũ occasionem multis erroribus, fit per accidens. Verbũ n. Dei in Vernaculas versum per se non affert errores, sed eos tollit & adimit, vt argumẽto sup. est ostẽsum. Deniq; quod dicit *Papam Rom. non posse de tam multis linguis iudicare.* Inde non sequitur Bellarmine, versiones Vernac. esse abijciendas, sed Papã Rom. nõ sufficere omnibus Ecclesijs, ac proinde non esse vniuersalem. Atque hæc de tuis argumentis contra versiones Vernaculas, & nisi posis fortiora argum. adducere, pronunciamus S. scripturã in oẽs Vernac. linguas verti debere, vt ab omnibus intelligatur.

CAPVT VIII.

Status controuersiæ de Sacris publicis explicatur.

BEllarmini argumẽta contra versiones Vernaculas refutauimus capite superiore, sequitur vt de precibus & sacris publicis disputemus. Priusquàm verò ad disputationem ipsam accedemus; ostendemus, quis sit controuersiæ status. Principalis autem quæstio est; Qua lingua sacra publica fieri debeant. Papistæ dicunt, *illa non debere Vernacula, sed tantùm Latina lingua fieri.* Nos contrà asserimus ea non debere Latina, sed Vernacula lingua celebrari. Hæ duæ sententiæ ex Diametro pugnãt, Ergo simul veræ esse non possunt. Nos prius more nostro Bellarmini argumenta examinabimus. Deinde nostram sententiam immotis rationibus asseremus.

CAPVT IX.

Refutantur argumenta Bellarmini contra sacra Vernacula.

Statum

STatùm controuersiæ explicuimus capite superiore, sequitur vt Bellarmini argumenta, quę cōtra preces, cantiones, & cætera Vernacula sacra obiecit, expendamus. Verùm Bellarminus tota hac disputatione vsus est argumentis communibus, eaq; & ad Vernaculas versiones, ad earũ lectionẽ, & ad S. publica accommodauit. Illa autem refutauimus cap. 7. & ex omnibus illis tantùm vnum est, quod ad sacra peculiariter pertinet, quod excutiemus hoc cap. Est aũt huiusmodi: Nos debemus latina lingua sacra facere, *quia illa est reliquis grauior & magis veneranda.* Argumentum tale.

Sacra publica debent graui & veneranda lingua fieri. Sed latina lingua est grauis & veneranda, Ergo debent latina lingua fieri.

Hoc argumentum tetigimus c. 7. argum. 2. Sed quoniam Bellarmino libuit illud reponere, afferemus ad illud diligentiorẽ solutionẽ. Ac primùm negamus maiorẽ. Apost. n. *ex afflatu Spiritus varijs linguis loquebantur*, Acto. 2. quo Sp. Sanctus significare voluit omnes linguas esse in Christo sanctificatas. Deinde Apostolus *tollit discrimen inter Iudæũ, & Græcum, Barbarum & Schytam*, Col. 3. 11. Malè igitur Papistæ inter illos distinguunt. Præterea cùm Papa & Cardinales nõ vellẽt Methodio & Cyrill. cõcedere, vt pop. Dalmatico ser. erudirẽt; Vox de cęlo audita est, *Oĩs Spiritus laudet Dominũ, & omnis lingua confiteatur ei.* Æneas Sylu. Bohem. hist. cap. 13. Et vt illa lingua tantum Barbara est, quæ non potest Deum laudare, *Bed. in 1. ad Cor. c.* 14. Ita & illa neq; grauis neq; veneranda est, quæ non potest Deũ adorare; reliquę

omnes in Christo sanctificatæ sunt. Denique idem sensit primitiua Ecclesia. Nam vt inquit Origenes libro 8. contra Celsum. *Græci græcè Deum nominant, Romani latinè, & singuli item Vernacula lingua Deum precantur, & laudibus pro se quisque extollit. Ille enim qui est linguarum omnium Dominus, audit quauis lingua orantes, idq́ non secus quàm si vnam vocem audiret, ex varijs linguis expressam. Deus enim cùm præsit machinæ vniuersi, non est quasi vnus aliquis, qui linguam vel Græcam vel Barbaram sit sortitus, vt cæteras nesciat.* Postremò Deus non est tanquam humanus princeps, vt nolit preces, nisi graui aliqua & polita lingua conceptas audire. *Sed quicunque eum in spiritu & veritate inuocat,* ille exauditur ab eo, Ioh. 4, 23. Hæc ad Maiorem. Deinde negamus & minorem. Latina enim lingua non est reliquis grauior, neque magis veneranda. hoc probauimus argumento secundo, cap. 8. Nunc addimus eam toti populo barbaram esse. Quã enim quisque linguam non agnoscit, illa ei Barbara est, 1. Cor. 14, 11. *Nisi igitur sciuero vim vocis, ero ei, qui loquitur Barbarus, & qui loquitur, apud me Barbarus est.* Hieronymus in 1. ad Corinth. 14. *Omnis sermo qui non intelligitur, Barbarus iudicatur.* Ouidius, *Barbarus hîc ego sum, & nõ intelligor vlli.* Anacharsis, *Schyta Athenis, & Atheniensis in Schytia est Barbarus.* Sed ex toto populo nemo est, qui intelligit latinam linguam. Ergo toti populo est barbara, imò nemo ex doctis eam intelligit, nisi in schola didicerit. Ergo omnibus hominibus, exceptis ijs, qui eam in scholis didicerunt, est barbara. Cùm igitur neque Maior neque minor vera sit, sequitur conclusionem veram esse

esse non posse. Hæc de argumentis Bellarmini, reliqua refutata sunt capite septimo.

CAPVT X.

Sacra publica debere Vernaculis linguis fieri.

ARgumenta Bellarmini contra sacra Vernacula refutauimus capite superiore: sequitur vt immotis argumentis ostendamus, sacra publica non debere ignotis, sed Vernaculis linguis fieri. Primum nostrũ argumentum est, quia Deus hoc mandauit.

Quod Deus mandauit, hoc omnibus hominibus est faciendum, Sed Deus mandauit, vt preces & sacra publica nota lingua faciamus. Ergo preces & sacra publica nota lingua administrare debemus.

Maior citra omnem controuersiam vera est, Minorem ponit Apostolus, 1. Cor. cap. 14, 9. *Si incertũ sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum, ita & vos nisi per linguam benè significantem vocem edideritis, quomodo intelligetur, quod dicitur, eritis enim in aëra loquentes.* Hoc esse mandatum constat ex versu 37. *Quæ scribo vobis, sunt Domini mandata.* Bellarminus excipit, *& dicit hic agi de exhortatione, & non de publicis officijs.* Sed hoc falsum est. versu enim 14. scriptum est. *Si precer lingua, spiritus meus precatur, sed intelligentia mea est infructuosa. Quid est igitur precabor spiritu, sed precabor etiam intelligentia, psallam spiritu, sed psallam etiam intelligentia.* Hoc de precibus, cantionibus & gratiarum actionibus necessariò intelligitur, & primitiua Ecclesia hoc ita intellexit. Chrys. Theophyl. Ambr... ad dictum locum. Basil. quæst. 278. *disertè*

dicit, hoc de ijs intelligendum esse, qui lingua audientibus ignota orationes edunt. Cùm igitur Bellar. videret huius exceptionis infirmitatem, excogitauit aliam, videlicet hîc quidē *agi de precibus & cantionibus, & gratiarum actionibus. Sed dicit, non esse necesse, vt omnes intelligant, sufficere n. vt ille qui locum idiotæ supplet & respondet, intelligat,* vers. 16. *Cæterùm si benedixeris spiritu, quomodo is, qui supplet locum idiotæ, dicet Amen.* Sed ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου: non significat eum, qui locum idiotæ supplet; sed eū, q̃ sedet inter idiotas, h. e. *ipsum idiotā.* Hier. ad dictum locū, *significat Laicum, qui nullo Ecclesiastico gradu fungitur.* Chrysostomus ἰδιώτην δὲ λαϊκὸν λέγει. Interpres vertit *promiscuam turbā.* Eodem modo explicat Theoph. & Occumenius ad dictū locū. & vt commodiꝰ intelligatur. Totus pop. olim respondebat, *Amen.* Iustin. in 2. Apologetico, πᾶς ὁ λαὸς inquit, ἐπευφημεῖ ἀμήν. Hier. in 2. Procemio ad Gal. *Tota Ecclesia instar tonitrui reboat Amen.* Vnde apparet hoc *Papist.* effugiū non satis tutū esse. Quod cū videret Bellar. excogitauit aliā exceptionē, videlicet *hic quidem agi de precibus & cantionibus, non tamen de diuinis officijs,* & hanc sententiā mordicus tuetur. Sed & hoc falsum est. v. n. 16. *dicit se loqui de ijs precibus, ad quarū terminationē pop. acclamabat Amen.* hoc aūt nō fit nisi in pub. precib. siue diuinis officijs. Deinde v. 19. dicit se loqui *de ijs precibus, cantionibus & gratiarū actionibus, quæ fiūt in Ecclesia,* illa aūt ptinent ad pub. siue diuina officia. Præterea oēs patres testātur totū pop. eo tempore *in diuinis officijs publicè precatū esse, & cecinisse.* Basil. hexam. hō. 4. *Virorū* inquit, *mulierū, puerorumq́; Deo preces fundētiū, strepitū instar fluctus littora verberantis*

verberantis visum esse. Chry. in 2. ad Cor. 18. *Cōmunes* inquit, *preces & a pop. & à sacerdote fiūt, & oēs vnā dicūt orationem. Benè precatur sacerdos pop. et bene precatur populus sacerdoti.* Idē ibidē. *Et cum Spiritu tuo, quibus verbis pop. respōdet sacerdoti, nihil aliud est,* inquit, *quā ea quæ sunt Eucharistiæ, Cōmunia sunt oīa, neq; n. ille solus gratias agit, sed populus omnis.* Nazianzenus in funeb. oratione Basilij. *Valens Imperator,* inquit, *in Ecclesiam ingressus, in qua Basilius prædicabat, psalmodia fuit quasi tonitru perculsus.* Clemens Alexandrinus stromatum libro 7. *In Orationibus quasi vnam vocem communem habent, & vnam mentem.* Chry. in 2. ad Cor. hom. 18. *Non modò sacerdos gratias agit Deo, sed populus etiam totus: quid autem miraris, quando sacerdotem & populum in precibus colloquentem vides?* Basilius Epistola 63. ad Neócæsarienses. *De nocte consurgit apud nos populus ad domum orationis, & in labore ac tribulatione, & assiduis lachrymis confitentes Deo, postremum surgentes ad orationem & Psalmodiam perueniunt, & nunc bifariam diuisi alterna vicissitudine inter se psallunt, simul quidem meditationem oraculorū inde corroborantes, simul aūt & attentionem, & cordis ab alijs rebus alienatam mentionem sibi ipsis parantes. Deinde vni permittentes auspicari cantū, reliqui subsonant, & sic in Psalmodiæ varietate, noctem sufferentes precibus intermixtis, die iam illucescente omnes in commune, velut ex vno ore, & ex vno corde confessionis psalmum proferunt Domino, propria sui ipsorum vnusquisq; verba pœnitentiæ facientes.* Iustin. Martyr in 2. Apologet. *Die qui Solis dicitur, omnes tum qui in oppidis tum qui in agris morantur, in vnum conuenimus, & ex Commen. Apost. & Prophetarum scriptis recitatur, quā-*

 tum

tum licet. Deinde vbi destitit, qui recitat, antistes orationē habet, qua admonet adhortaturq́; ad pulchrarum illarum rerum imitationem. Postea omnes vna surgimus ac precamur. Postquam autem à precibus destitimus, profertur panis & vinum & aqua. Tum antistes similiter precatur, & gratias agit, quanta potest intentione, populusq́; acclamat, dicens, Amen, & ijs super quibus acta sunt gratiæ, vnusquisq; participat. Si oppidanos & agrarios in vnū conuenire, & in isto conuentu scripturam sacram prælegere, eamq́ue concionando explicare, deinde totum istum cœtum precari, in eoq́ue cœnam Domini administrare, post cœnam gratias agere, populum ad gratiarum actionem Amen acclamare, non sunt partes sacri, atque adeò non ipsa publica sacra, vel Diuinum officium in se continent; tùm non erubescam, cum Bellarmino dicere, Paulum non loqui hoc loco, de publico officio. Deinde Chrysostomus dicit, Paulum agere de ijs precibus, quarum *finis est in secula seculorum, & ad quas plebeius respondet Amen.* in 1. ad Cor. homilia 35. Excutiat Bellarminus publicas preces, & doceat an ista clausula alibi, quàm in diuinis officijs inueniatur. Itē an plebeius ad vllas alias preces, quàm ad eas, quæ ad diuina officia pertinent, Amen responderit. Porrò diuinum officium erat eo tempore latiùs diffusum, sparsumq́; inter eos omnes, qui Spiritu Sancto afflati vellent aliquid, vel ad Dei laudem, vel ad populi ædificationem in medium proferre. Atque hoc ipsum munus reipsa vnum & idem erat. modo verò vocationis, & ordine proponendi distinctum. Primùm enim ordinarij doctores docebant, deinde reliqui proponebant,

bant, quòd à Spiritu Sancto acceperant, neque quicquam proferebant, nisi quod vel ad doctrinam, vel ad Dei laudem pertinebat. Erat enim vel *Psalmus*, vel *doctrina*, vel *prophetia*, vel *reuelatio*, vel *benedictio*, vel *precatio*, vel *gratiarum actio*, quod ab ijs proferebatur, vt ex Paulo colligi potest. At hæc omnia nō minus pertinent ad diuinas λειτουργίας; quàm illa quæ ab ordinarijs pastoribus proferebantur, imò erant patres τῶν θείων λειτουργίων. Et ob eam caussam cùm illa desinerent, sermocinationes plebis & sacerdotis in veteribus liturgijs vsurpatæ in eorū locum successerunt. Chrysostomus homilia 37. in 1. ad Corinth. *Cœlum*, inquit, *Ecclesia tum fuit, Spiritu cuncta administrante, cuncta Ecclesiæ capita moderante, afflatu suo vnumquemque corripiente, nunc verò vestigia tantùm illarum rerum tenemus. Duo loquimur aut tres, & seorsim quidem, & altero silente incipit alter: Verùm hæc signa tantùm sunt & monumenta rerum. Vbi igitur nos cepimus loqui, &* cū Spiritu tuo *plebs respondet: ita quondam se locutos significare volens.* Manifestum igitur eas preces, cantiones, benedictiones, prophetias, gratiarum actiones, &c. de quibus Paulus loquitur, esse partes τῶν θείων λειτουργίων. Hoc cùm videret Bellarminus, & tamē in sententia perseueraret, addidit aliquam probationem, & dicit. *Sacra publica tum administrata esse lingua Græca, & eam omnes Corinthios intellexisse. Ergo Apostolum non esse locutum de Sacris publicis.* Hoc potest in genere de omnibus sacris, vel in specie de sacris Corinthiacis intelligi. Si putat Bellarminus omnia sacra publica eo tempore Græcè celebrata esse, valdè errat. *Indos enim rem diuinā*

fecisse lingua Vernacula fatetur Eccius in locis communibus. Lyra & Thomas affirmant *in primitiua Ecclesia commune officium vulgari lingua celebratum esse,* in 1. ad Corinth. capite 14. *Hieronymum preces publicas Dalmaticè faciendas curasse fatetur* Eccius in locis communibus C. de Missa Latina. *Preces publicas in primitiua Ecclesia lingua populari & vsitata necessario factas esse testatur Hardingus*, articulo 3. §. 28. contra Iuellum. Ephremus Edessæ Diaconus erat *Græca lingua ignarus, & Syra lingua vtebatur.* Theodoretus libro 4. capite 29. Ergo fecit sacra lingua Vernacula, id est, *Syra.* Idem composuit *cantiones Syras, quæ in festis Martyrum decantarentur. Theodor. libro 4. ca. 29.* In funere Paulæ, Psalm. *Hebræo, Græco, Latino & Syro sermone cantatos esse* narrat Hieronymus *in Epitaphio Paulæ. Veteres in oblationibus & tractatibus, aliquando Hebræa, aliquando Syra lingua vsos fuisse testatur Ambrosius* in 1. ad Corinth. capite 14. Basilius cùm recensuisset, quomodo omnes simul precarentur, & psallerent, subiungit: *Si nos propterea fugietis, fugietis Ægyptios, fugietis vtriusq; Libyæ incolas, Thebanos, Palestinos, Arabas, Phænices, Syros, & eos qui ad Euphratem habitant, & in summa omnes, apud quos communes vigiliæ, Psalmodiæ, & preces in honore sunt.* Vnde apparet, omnes populos Vernacula lingua sacra publica administrasse. *Omnes homines lingua Vernacula Deū precari,* auctor est Origenes contra Celsum, libr. 8. Idē affirmat Hieronymus ad Heliodorum in Epitaphio Nepotiani. *Nunc passionem Christi,* inquiens, *& resurrectionem eius, cunctarum gentium & voces & litteræ sonant. Taceo de Hebræis, Græcis & Latinis, quas natio-*

nes

nes suæ crucis titulo Dominus dedicauit. Bessorum feritas & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferijs homines immolabant, stridorem suũ in dulce Christi fregerunt melos, & totius mundi vna vox est Christus. Ex his apparet omnes populos tempore primitiuæ Ecclesiæ sacra publica fecisse lingua Vernacula. Si autem putat publica sacra, quæ Corinthi fiebant, facta esse græcè: sciat illa, partim ab ordinatis doctoribus, partim ab ijs, qui Spiritus Sancti instinctu extraordinariè loquebantur, facta esse: & ab illis quidẽ græcè, ab his verò linguis ignotis. Hanc consuetudinem reprehendit Paulus, & vult vt *quicquid in Ecclesia ex Spiritus instinctu protulerint, faciant lingua nota.* Quod autem ijs qui ordinario munere fungebantur idem non præcipit, causa est, quòd ex ijs omnibus nemo tam amens erat, vt ignota lingua vteretur: & quòd multi putabant ea, quæ ex Spiritus afflatu proferebãtur, peregrinis linguis inculpatè proponi posse. Dum verò Paulus ea reprehendit, quæ ex peculiari Spiritus instinctu, peregrino idiomate proferuntur: certè multò minus tollerat ea, quæ ordinario modo proferuntur, peregrina lingua proponi. Deinde Paulus omnia quæ in Ecclesia fiunt, iubet ad ædificationem fieri, 1. Corint. 14, 26. *Quoties conuenitis, quisque vestrum canticum habet, doctrinã habet, linguam habet, reuelationem habet, interpretationem habet: omnia* qui oĩa dicit nihil excipit *ad ædificationem fiant.* At quod ignota lingua fit: neminem ædificat. *Illud enim nemo audit,* 1. Cor. 14, 2. *neque quicquam prodest.* 1. Cor. 14, 6. *& est tanquam vox in aërem prolata.* 1. Cor. 14, 9. *imò est audientibus barbarum.*

1. Cor.

1.Cor.14,11. Amb.in 1.ad Cor.14.*ex ea re nullus profectus est*. Quæcunque igitur preces, cantiones, intepretationes, benedictiones, gratiarum actiones in publicis Ecclesiæ conuentibus fiunt, debent lingua promiscuæ plebi nota fieri. Et ita factum esse in primitiua Ecclesia constat ex prioribus. Sanè Thomas Caietanus hoc argumento ita motus est, vt dixerit *melius esse ad ædificationem Ecclesiæ, orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, dici lingua communi Clericis et populo, quam dici latinè*. in 1. ad Cor. 14. Sixtus Senensis bib. 6,263. Hoc cùm Bellarminus videret, excogitauit aliam solutionem, & dicit tempore primitiuæ Ecclesiæ *fuisse paucos Christianos, & eos omnes potuisse respondere, et propterea lingua populari sacra celebrāda fuisse. Nūc verò diuisa esse diuina officia, et solis clericis relictum esse, vt communes preces, et laudes in Ecclesia peragant*, sufficere igitur, vt Clerici intelligant preces, vt populus eas intelligat, non esse necesse. Sed diuisio hominum in Laicos & Clericos, contra Dei verbum est, Omnes enim fideles sunt clerus Domini, 1.Pet.5,3, *Neque vt dominantes cleris, sed vt sitis exēplaria gregis*. vbi illi, quos nunc Laicos vocant, cleri vocantur. Deinde hæc institutio, qua soli Clerici canunt & precantur, populus totus tacet, est contra Dei verbum, Paulus enim vult *vt Idiota respondeat Amen*. Omnes item Patres in primitiua Ecclesia testantur *totius populi esse precari, et canere*, Prætereà patres Apostolorum ætatem secuti statuerunt, *vt populus alternatim caneret*, Augustinus libro 9. confessio. capite 7. dicit *Ambrosium eam rationem Mediolani ad multitudinis solatium instituisse*. Theodor. libro 2.

cap.

capite 24. *hi primi*, loquitur de Flauiano & Diodoro *in duas partes diuisis cœtibus Psalmos accinentium instituerũt alternis Dauidicam Melodiam decantare, quod Antiochiæ fieri cœptum, peruagatum vsque quaque est, & ad fines orbis terrarum peruenit.* Basilius Epistola 63. ad Neocæsarienses, *De nocte surgit apud nos populus, & ad domum orationis contendit, Deoq; se in labore et afflictione, et continuis lachrymis confitentes, postremum exurgunt à precibus, et Psalmodiam instituunt, et nunc in duas partes diuisi alternatim sibi inuicem canunt, Atque hæc consuetudo omnibus alijs Dei Ecclesijs congruebat.* Postremò officia diuina nũc nõ sunt diuisa, vt dicit Bellarminus: sed sunt populo prorsus ablata. Populus enim nunc nullas partes habet in Papisticis sacris. *At in primitiua Ecclesia fuerunt populo in diuino officio quædam partes tributa, tempore enim Apostolorum totus populus respondebat* in diuinis officijs. *Bellarminus libro 2. de verbo Dei capite* 16. Iustinus Martyr Apologeti. secundo, *dicit totum populum respondere consueuisse, Amen.* Hieronymus in prolo. libro 2. ad Galat. dicit. *In Ecclesiis vrbis Romæ quasi cœleste tonitru audiri populum roboantem, Amen.* Chrys. in 2. ad Corinth. hom. 18. *Sacerdos in Sacra liturgia populum alloquitur, et populus Sacerdotem.* Idem ibidem. *Non modò Sacerdos gratias agit Deo, sed populus etiam totus: quid autem miraris, quando Sacerdotem et populum in precibus colloquẽtem vides.* Idem ibidem. *Sacerdos et populus in sacra liturgia colloquuntur.* Sacerdos ait *Dominus vobiscum,* Populus respondet *et cum spiritu tuo.* Ob has causas populus debet preces intelligere, rectè Augustinus. *Quamobrem Sacerdos vocem extollit, altéque precatur in*

Ecclesia? Non vt Deus, sed vt populus illum exaudiat: quo ipsius audita voce, et mente percepta admoneatur, et consensione quadam coniungatur, atque ad Deum excitetur. Cum hac Augustini sententia congruit Cyprianus, de Orat. Domi. *Ideo Sacerdos ante orationem, præfatione premissa parat fratrum mentes*, dicendo, *sursum corda:* vt dum respondet plebs, *habemus ad Dominum*, admoneatur, *se nihil aliud quàm Dominum cogitare debere.* Ex quibus omnibus apparet, hoc populo contra primitiuæ Ecclesiæ exemplum ademptum esse, & preces ignota lingua concipere, pugnare cum Dei verbo, & primitiuæ Ecclesiæ consuetudine, ac propterea ita fieri non debere.

Nam quod pugnat cum Dei verbo & cum primitiuæ Ecclesiæ consuetudine, hoc fieri non debet. Sed publica sacra administrare ling. ignota pugnat cum Dei verbo, & cum primitiuæ Ecclesiæ consuetudine. Ergo non debent ignota lingua celebrari.

Deinde quoniam hoc cum Apostolorum scriptis & primitiuæ Ecclesiæ consensu pugnat, neque Apostolorum, neque Sanctorum Episcoporum tempore vsitatum fuit; manifestum est esse inuentum nouũ & humanum. Nam quod publicæ preces, & cantiones Latina lingua fiunt, causa est, quia à solis sacrificis fiunt. Sed & hoc est inuentũ nouum & humanũ. Humanum, nam secundum Dei verbum preces & cantiones ab omnibus fieri debent. Nouum, quia ita non est factum in primitiua Ecclesia. Est igitur hoc corrigendum, & publica liturgia ad præscriptũ Apostolorum, & ad exemplum primitiuæ Ecclesiæ mutanda

mutanda est. Hoc cùm videret Bellarminus, excogitauit aliud subsidium, & dixit nunc esse *alium finẽ publicorum sacrorũ*, & in primitiua Ecclesia aliũ esse finem istarum cantionum, precum, benedictionum, gratiarum actionum, doctrinæ, prophetiæ, & reliquorum, de quibus Apostolus in priore ad Corint. capite 14. loquitur, & quæ ego partes diuinarum liturgiarum esse probaui. Horum enim finem in primitiua Ecclesia fuisse populi ædificationem, Nũc autem publicorum sacrorum finẽ esse cultum Dei. Hoc miror homini docto potuisse excidere. Dicere enim istarum *precum, cantionum, benedictionum, gratiarum actionum, prophetiarum*, & reliquorũ de quibus Apostolus loquitur, & quæ ego diuinarum liturgiarum partes esse antè necessarijs argumentis probaui, alium fuisse finem tempore Apostolorum, & alium esse finem diuinarum liturgiarum nostro tempore, est cum Deo & cum Ecclesia ludere. Istorum enim de quibus Apostolus loquitur, & omniũ publicorum sacrorum duo erant fines tempore Apostolorum. Vnus respectu Dei, alter respectu populi. Respectu Dei, gloria & honor Dei. Respectu populi, ædificatio populi. Gloriam Dei esse eorum finem respectu Dei, docent sacræ literę, 1. Cor. 10, 31. *Omnia facite ad gloriam Dei.* 2. Cor. 8, 19. *Sed etiam suffragijs electus est, ab Ecclesijs socius peregrinationis nostræ, cum hac beneficentia, quæ administratur à nobis, ad ipsius Domini gloriam.* Ædificationem autem esse eorum finem respectu nostri, etiam tradunt sacræ literæ. 1. Cor. 14, 12. *Quandoquidem studiosi estis Spirituũ, ad ædificationem Ecclesiæ quærite vt excellatis.* & vers. 26.

Omnia

Omnia ad ædificationem fiant. Origenes in Leuit. ca. 7. *Non essent necessaria hæc legi in Ecclesia, nisi ex his aliqua ædificatio audientibus præberetur.* Eidem fines publicorum sacrorum adhuc sunt, neque existimo Bellarminum adeò contemnere posteritatis iudicium, vt audeat negare sacrarum precum, cantionum, & totius Ecclesiastici minist. finē esse etiā numDei gloriā, & hominis ædificationē. Sanè quod ad Dei gloriam attinet, eam adhuc affirmat esse finem publicorum Sacrorum; quod verò ad proximi ędificationē attinet, cogitur cōcedere, velit, nolit. Apost. n. Paulus adeò perfectus non erat, quin ædificaretur, etiam cùm alios doceret. ad Rom. 1. cap. vers. 12. *hoc est ad communem exhortationem percipiendam apud vos.* Quamdiu igitur Bellarminus non probauit Laicos Papisticos esse Paulo doctiores, vel esse adeò doctos, vt amplius discere nihil posśint, tam diu sacrorum publicorum finis est populi ædificatio. Equidem adeò segniter instituitur populus apud Papistas, vt multos viderim *Septuagenarios, qui non poterant orationem Dominicam, neque Symbolum Apostolorum, neque Decalogum Domini recitare.* An verò tales homines non opus habent ædificatione? Melius Apostolus 1. ad Thessal. 5, 11. *adhortamini alij alios, & ædificate singuli singulos.* Relinquitur igitur & gloriam Dei, & populi ædificationem etiamnum esse sacrorum publicorum fines. Verùm cùm sacra administrantur ignota lingua, tum neque Deus honoratur, neq; populus ædificatur. Illud manifestum est. Nam ignota lingua cantare, vel precari, *est quasi auium voce cantare. Meruli enim & psittaci, et corui, et pica, et huiusmodi*

iusmodi volucres sæpe docentur ab hominibus cãtare, quod nesciunt. vt docet Augustinus in Psal. 18. Vnde apparet illos, qui ignota lingua precantur, similes esse auibus, quæ voces sonare edocentur, & earum vim ignorant. Sed si quis auẽ doceat pronunciare Symbolum Apostolorum (quod de Cardinali Ascanio refert Cœlius Rhodiginus) vel orationem Domini, vel salutationem Angeli, ille profanaret Dei verbũ. Planè eodẽ modo, qui ignota lingua preculas quasdam recitat, Dei verbum profanat, & naturæ ordinem inuertit. Sermo enim homini datus est, vt per eum homo alijs sententiam suam explicet, & per eũdem aliorum sententiam intelligat. Atqui Papisticæ preces & cantiones non solùm indoctæ plebeculæ; sed ipsis etiam Sacrificulis sæpè ignotæ sunt. Quid enim iste sacrificus intellexerit, qui baptizabat *in nomine Patria, & Filia, & Spirita Sancta.* Item quid ille intellexerit qui scripsit , *Cuius Dominus humilitatem respiciens, concepit redemptorem mundi*, iudicet Bellarminus: Sanè Sixtus Senensis veritate victus, cogitur fateri non solùm *eum, qui supplet locum Idiotæ; verùm etiam ipsos Presbyteros & Diaconos, qui orant, sæpenumerò non intelligere, quid oretur.* Bib. 6. annot. 263. Dicat nunc Bellarminus, an tales sacrificuli à *merulis* & *psittacis*, de quibus Augustinus loquitur, quicquam differant, imò annon isti Sacrificuli Deum & homines rideant, eiusq; verbum profanent? tantum abest vt Deum per eiusmodi ineptias honorent. Sed neque homo per preces ignotas ædificatur, Ambrosius in 1. ad Corinth. 14. *Si vtique ad ædificandam Ecclesiam conuenitis, ea dici debent,*

quæ intelligant audientes. 1. ad Cor. 14. verſ. 6. *Si veniam ad vos lingua loquens, quid vos iuuabo?* hoc eſt, vt Oecumenius explicat, *non ſum vobis vlla in re vtilis.* & verſ. 9. *Niſi per linguam benè ſignificantem ſermonem edideritis, quomodo intelligetur quod dicetur, eritis enim in aëra loquentes,* hoc eſt, vt Oecumenius explicat, *fruſtrà & inutiliter loquemini.* vel vt Chryſoſtomus explicat, homilia 35. in 1. ad Corinth. *Diſceditis nullum lucrum capientes ex voce quam non intelligitis.* Auguſtinus libro 12. de gen. ad litteram. cap. 8. *nemo ædificatur audiendo, quod non intelligit.* & vt hoc àrgumentum concludam, ipſa ratio hoc docet. Nam cùm verba ſint ſigna rerum, clarum eſt res non intelligi, niſi verba intelligantur: ac proinde qui verba non intelligit, ille eorum ſenſum non percipit, & non ædificatur. Cùm igitur per preculas ignota lingua conceptas, neque Deus honoretur, neque populus ædificetur, manifeſtum eſt eas ab homine Chriſtiano vſurpari non debere. Hæc eſt ipſa veritas.

Secundum Argumentum *quia preces ignota lingua conceptæ inutiles ſunt.* Argumentum tale;

Quod inutile eſt, hoc in Eccleſia fieri non debet.
Sed preces ignota lingua conceptæ inutiles ſunt. Ergo preces in Eccleſia non debent ignota lingua concipi.

Maior eſt manifeſta, Ex quo enim nulla vtilitas colligi poteſt, illud in ſacro cœtu vſurpari non debet. Minor probatur. Mat. 15, 8. *Appropinquat mihi Populus hic ore ſuo, & labijs honorat me, cor autem eorum procul abeſt à me.* 1. Cor. 14, 14. *Nam ſi precer lingua Spiritus*

Spiritus meus precatur, sed intelligentia mea est infructuosa. Bellarminus negat minorem, & dicit *publicam Ecclesiæ orationem ignota lingua conceptam esse populo vtilem, quia non fit populo, sed Deo: ac proinde non esse necesse, vt populus eam intelligat, satis esse si Deus eam intelligit.* Hæc Bellarmini responsio primùm implicat contradictionem. Eam enim vocat publicam *Ecclesiæ orationem*, quæ non est Ecclesiæ. Cœtus n. in templo conuocatus, hoc est, tota multitudo Euãgelij audiendi causa congregata est Ecclesia. Hæc autem multitudo tacet, & non precatur, neque potest precari. Ergo oratio papistica, quæ fit in templo, non est Ecclesiæ oratio. Nec est quod regerat *Sacrificos precari.* Illi enim non sunt Ecclesia: sed tantum præcones (dico non qui sint, sed qui esse debeant) in Ecclesia. Ac proinde illorum precatio nõ potest Ecclesiæ precatio dici, nisi Ecclesia idem cum illis vel aperta voce, vel tacito consensu oret. Sed populus idem cum illis nec aperta voce orat; linguam enim ignorat: nec tacito consensu, nihil enim intelligit. Deinde dicit *publicam Ecclesiæ precationem non fieri populo: sed Deo pro populo.* Manifestè igitur inter Ecclesiam, & populum Euangelij audiendi causa in templo congregatum distinguit. Atqui iste populus est ipsa Ecclesia. Nisi hoc fateatur, doceat, quænam sit *ista Ecclesia, quam presbyteri debent pascere*? Actor. 20, 28. Cùm igitur hæc Bellarmini distinctio inter populum Euangelij audiendi gratia in templo congregatũ & Ecclesiã falsa sit, cumq; hoc dogma ex ista distinctiõe ortum sit; ipsum etiam dogma falsum esse necesse est. Prætereà quod dicit Bellarminus *pu-*

blicas preces non fieri populo, falſum eſt. Deus enim iubet vt *Idiota*, hoc eſt, vt Chryſoſtomus interpretatur, *promiſcua plebs* ad eas *reſpondeat Amen*, 1. Cor. 14, 16. Sed illud, ad quod promiſcua plebs Amen reſpondere debet, fit populo. Populus enim cùm Amen dicit, confirmat orationem. Nam, vt inquit Ambroſ. in 1. ad Corinth. 14. cap. *per hos completur confirmatio precis, cùm reſpondetur Amen, vt omnia dicta veri teſtimonio in audientium mentibus confirmentur.* Deinde Paulus iubet *omnia*, quæ in Eccleſia fiunt, *ad ædificationem fieri*, 1. Cor. 14, 26. Sed quæ ad ædificationem fiũt, illa fiunt populo. Non enim Deus, ſed populus ædificatur. Prætereà in publicis primitiuæ Eccleſiæ conuentibus fiebant *ſacræ preces, cantiones, lectiones, conciones, Sacramentorum adminiſtrationes, gratiarum actiones*, & prętereà nihil, atq; his partibus omnis liturgia, hoc eſt, Eccleſiaſticum miniſterium tum abſoluebatur, Iuſtin. Apol. 2. Plin. in Epiſt. ad Traian. Sed hæc omnia ad populi ædificationem inſtituta ſunt. Ergo fiunt populo. Hanc ob cauſſam iubet Paulus *eum, qui ignota lingua loquitur, tacere, ſi non ſit interpres*, ac vult, *vt ſibi & Deo loquatur*, 1. Cor. 14, 28. hoc eſt, vt interpretatur Ambroſius, *tacitè intra ſe oret, aut loquatur Deo, qui audit muta omnia*, & addit cauſſam: *In Eccleſia enim*, dicens, *ille loqui debet, qui omnibus prodeſt*. Idem docet Chryſoſt. homil. 36. in 1. ad Corinth. *Si*, inquit, *non eſt interpres, ſileto: Nam ſuperuacaneum nihil fieri debet, neq; ad oſtentationem. Sibiipſi verò loquatur & Deo*, hoc eſt, *animo & cogitatione, aut ſine ſtrepitu priuatim*. Hinc apparet, omnia illa, quæ in Eccleſia fiunt, Deo, non populo;

populo, debere tacitè fieri: & contrà omnia illa, quę in Ecclesia fiunt populo, debere alta voce, eaque omnibus nota fieri. Si igitur Sacrificuli *Deo canunt & precantur*, vt inquit Bellarminus, *tum loquantur sibi & taceant*, vt iubet Paulus, *aut orent tacitè intra se*, vt docet Ambrosius, aut deniq; *loquantur animo & cogitatione, & sine strepitu priuatim*, vt præcipit Chrysostomus. Hoc docet Augustinus, generaliter enim dicit *non opus esse locutione, id est, sonantibus verbis, cùm oramus, nisi forte, sicut sacerdotes faciunt, mentis significandæ caussa, non vt Deus, sed vt homines audiant, & cõsensione quadam per commemorationem suspendantur in Deum.* De Magistro capite 1. Aut igitur taceant Sacrificuli, aut orent lingua nota. Nam qui lingua auditoribus ignota orat, ille *mentem suam non significat*, à nemine enim intelligitur, neque eum *quisquam audit*, vt inquit Paulus 1. Corinth. 14, 2. Nam vt docet Cicero *in ijs linguis, quas non intelligimus, surdi sumus*, Tusc. Quæst. libro 5. in fine. Hanc ob caussam Iustinianus *iubet*. Authẽt. 123. *vt omnes Episcopi* (nota Imperatorem posse Episcopis iubere, & Ecclesiasticas leges ferre) *pariter & Præsbyteri non tacito modo, sed clara voce, quæ à fideli populo exaudiatur, sacram oblationem, & preces in sacro baptismate adhibitas celebrent: quo maiore exinde deuotione in promendis Dei laudibus audientium animi efferantur.* Ita enim & D. Paulus docet, *dicens* in 1. ad Cor. Epist. Enimuero si solummodò benedicas spiritu, quomodo is, qui priuati locum implet, dicet ad gratiarũ actionem Dei, ipsum Amen. Quandoquidem quid dicas nescit. Tu quidem pulchrè gratias agis, alter aũt non ædificatur.

His igitur de caussis conuenit, vt inter cæteras preces, & ea quæ in sancta oblatione dicuntur, clara voce à religiosissimis Episcopis & Presbyteris Domino nostro Iesu Christo cum Patre & Spiritu Sancto proferantur: scituris religiosissimis sacerdotibus, quod si quid horum neglexerint, & in horrendo iudicio magni Dei de his rationem reddent, neque nos hæc cognoscentes (nota Imperatoré posse Episcopos punire) *relinquemus inulta.* Cum hoc Imperatoris edicto consentit Cyprianus, in sermone, de orat. Dom. in fine, *Sacerdos,* inquiens, *ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo*, sursum corda, *vt dum respondet plebs*, habemus ad Dominum, *admoneatur se nihil aliud, quàm Dominum cogitare debere.* Dupliciter igitur errat Bellarminus, primùm quòd preces ignota lingua faciendas putet, Deinde quòd eas populo fieri neget. Et dum illud per hoc probat, petit principium, & illud quod incertum est, probat per illud, quod æquè incertum est. Cæterùm publicas preces, imò tota λειτουργία, hoc est, Ecclesiasticum ministerium fit populo & Deo, Deo vt glorificetur, populo vt ædificetur. Hi duo fines semper sunt & fuerunt Ecclesiastici ministerij fines, vt præcedente argumento probauimus. Atque inter eos gloria Dei est vltimus finis, ædificatio populi est finis subordinatus. Suntque hi duo fines ita inter se iuncti, atque deuincti, vt alterum sine altero, assequi non posis. Nam si ministerium ita instituis, vt populus ædificari non posit, tum ex eo ad Deum nulla gloria redit. Et contrà si illud ita instituis, vt Deus per illud glorificari non posit, tũ ex eo populus non ædificatur. Hæc sunt manifestiora, quàm

ra, quàm vt probatione opus sit. Cùm igitur legitimus ministerij finis, sit populi ædificatio, negare illud populo fieri, nihil aliud est, quàm dicere, Solē meridie non lucere. Porrò tempore primitiuæ Ecclesiæ preces fiebant populo, & populus eo tempore in publicis precibus suas partes habebat, preces item tum concipiebantur lingua audientibus nota, vt antè ostendimus. Cùm igitur in nostris Ecclesijs idem facere cupiamus, desinant nobis religionis nouitatem exprobrare papistæ, imò recipiant priscos Apostolicos ritus, atq; doctrinam, & libenter ad illorum societatem redibimus; aut si scientes & volētes in erroribus perseuerabunt, tolerent saltem, vt nos corruptam religionem ad pristinam integritatem emendemus. Secunda ratio qua Bellarminus Minorem negat, est. *Quia Ecclesia vtiliter orat pro absentibus, qui sæpè non sciunt pro se orari, tantum abest vt intelligant quid oretur: Orat item Ecclesia sæpè vtiliter pro infidelibus, qui non volunt pro se orari, & contemnunt nostras preces, tantum abest vt intelligant eas, vtrumque autem fit cum fructu. Ergo & preces ignota lingua conceptæ in Ecclesia, inutiles esse non possunt.* Respondeo esse magnam dissimilitudinem. Vt enim pro alijs etiam absentibus, & pro infidelibus etiam hostibus nostris oremus, est mandatum Dei, & habet exemplum in scriptura, Iacob. 5,16. *Orate alij pro alijs.* Matth. 5,44. *Orate pro persequentibus vos.* Lucæ 23,34. *Christus orat pro ijs, à quibus crucifigitur.* Rom. 1, 9. *Paulus orat pro Romanis,* qui aberant. Sed ignota lingua in Ecclesia precari, neque est mandatum Dei, neque habet exēplum in scripturis. Mandatum verò est in scriptura,

vt preces fiant lingua nota, vt antè probauimus: & ita factum est apud omnes gentes in tota primitiua Ecclesia. Deinde inter quæstionem, & medium terminum nulla est cohærentia. Longè enim aliud est, *orare pro alio vt absente & ignorante*, & *precari cum alio vt præsente & sciente*, vel *cum Ecclesia*, *vt Ecclesiæ ipsius membrum communes preces ad Deum fundere*. In Ecclesia enim docemur exemplo Christi & Apostolorum, non alij pro absentibus & ignorantibus precari: sed *προσκαρτερεῖν ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει, concorditer vel vnanimiter precari*. Vnde apparet preces quæ ab Ecclesia fiunt, ita fieri pro Ecclesia, vt ab ipsa Ecclesia proficiscantur. In Ecclesia enim nihil fieri debet, nisi à tota Ecclesia, & nomine totius Ecclesiæ consentiẽtis, approbantis & *respondentis Amen*, ac proinde intelligentis id, quod agitur: & ita factum esse in primitiua Ecclesia docuimus ante. Tertia ratio qua Bellarminus Minorem negat, est. *Quia Sacerdos in Iudaica Ecclesia*, Leuit. 16. *ingrediebatur in sanctuarium cùm oraret, populus autem stabat foris, neque audiebat eius vocem, tantum abest, vt intelligeret, quid oraret*. Ergo, inquit Bellarminus, *preces ignota lingua conceptæ à Sacrifico inutiles esse non possunt*. Respondeo esse magnam dissimilitudinem, illud enim erat à Deo mandatum Leuitic. 16, 17. *Nullus autem homo erit in tabernaculo Ecclesiæ, dum ingreditur ipse* (loquitur de Sacerdote) *ad emundandum in Sanctuario, donec egrediatur ipse*, &c. Ostendat Bellarminus expressum mandatum ex Sacris literis, quo Deus præcipit sacra ignota lingua celebrari, & assentiemur ei. Deinde illud est typicũ, quemadmodum in epist. ad Hebr. copiosè explica-

tur.

tur. Sacerdos enim in Veteri Teſtamento, vt imago Chriſti venturi, intercedebat inter Deum & homines, & ob eam cauſſam ſolus introibat in ſanctuariũ. Nunc verò Chriſtus mediatorem agit inter Deum & homines, & in cœleſti ſacrario pro omnibus Eccleſiæ membris apparet, eorumque preces Deo patri gratias efficit. Presbyteri igitur & Epiſcopi nũc non ampliùs mediatoris officium adminiſtrant; ſed vt Eccleſiæ membra vnà cum ipſa Eccleſia cõmunes preces per vnum illum mediatorẽ ad Deum fundũt. Ac proinde velo ſciſſo non amplius quaſi pro abſẽte, & atrij interſtitio excluſa Eccleſia precantur; ſed more Apoſtolorum, & totius primitiuæ Eccleſiæ conſuetudine preces ſuas cum plebis precibus coniungunt, Heb. 10, 9. *Cùm igitur fratres habeamus libertatem ingrediendi ſacrarium per ſanguinem Ieſu, accedamus cum vero corde*, id eſt, acccedat tota Eccleſia. Per verbum enim *accedamus*, intelligit ſeipſum, qui ſcribit, & omnes eos, ad quos ſcribit. Porrò ex hoc loco apparet noſtrum pontificem ſuum ſacrariũ omnibus credentibus aperuiſſe. Et ob eam cauſſam populum nunc non foris expectare vt in Veteri Teſtamento; ſed intus cum ſacerdotibus vnam & communem orationem Deo offerre. Chryſoſt. in 2. ad Corinth. Homil. 18. *Communes preces à ſacerdote & ab ijs fiunt, & omnes vnam dicunt orationem.* At quomodo populus cum ſacerdotibus vnam dicet orationẽ, niſi eam intelligat; Quarta ratio qua Bellarminus minorem negat. *Quia Iudæi colebant Deum varijs ceremonijs & figuris, quarum ſignificationes multi non intelligebant. Ergo preces ignota lingua conceptæ inutiles eſſe*

non possunt. Respondeo, est magna item dissimilitudo. Nam vt Iudæi Deum figuris & ceremonijs colerent, erat mandatum Dei, vt autem ignota lingua precemur, est contra mandatum Dei, & contra primitiuæ Ecclesiæ exemplum. Deinde nemo erat in populo Iudaico, qui prorsus ignoraret, quid illi ritus sibi vellent, quotidie enim instituebantur à Leuitis, sacerdotibus & prophetis. Sed sunt multi qui ne γεῦ quidem de omnibus sacris papisticis intelligunt. Nam vt antè dixi, noui ego multos papistas senes, qui neque *orationem dominicam, neque symbolũ Apostolorum, neque decalogum Domini* tenebant. Quid autem tales homines proficerent ex precibus ignota lingua deblateratis? Quinta ratio, qua Bellarminus minorem negat, est, *Quia preces hæreticæ secundũ Augustinum sunt vtiles, ergo preces ignota lingua conceptæ, non poßunt inutiles esse.* Hoc argumentum indignum iudico ad quod respondeatur. Deinde hoc ipsum argumentum Bellarminum refutat. Dicit n. ex Augustino *vitium precis superari ab affectu precantis.* Vnde apparet affectum requiri, Sed si affectus requiritur, tum etiam intelligẽtia requiritur. Nemo enim eo, quod non intelligit, afficitur. Debent igitur preces nota lingua concipi. Sexta ratio negatæ Minoris est. *Quia nullus homo perfectè intelligit psalmos, & tamen multi vtiliter orant psalmos Dauidis.* Ergo dicit Bellarminus *preces ignota lingua conceptas non esse inutiles.* Respondeo esse fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam nemo psalmos legit, quin aliquid intelligat, & si diligens esse volet, potest quotidie proficere. Ergo psalmorum

lectio

lectio est vtilis. Multi verò de precib' ignota lingua conceptis prorsus nihil intelligunt, neq; quicquam possunt proficere. Ergo preces ignota lingua conceptæ sunt prorsus inutiles.

His positis respondet Bellarminus ad scripturæ testimonia, quibus minorem probamus, ac primum ad illud Matth. 15, 8. *Populus hic labijs me honorat, cor eorum longè abest à me*, & putat preces ignota lingua conceptas non flagellari hoc testimonio, dicit enim *eos reprehendi, qui ore iactant pietatem, quam factis non præstant.* Sed errat Bellarminus toto cœlo. Christus n. reprehendit eos, qui per traditiones suas Dei mãdatum irritum faciebant, vel qui homines docebant doctrinas & mandata hominum. Vers. enim 4. & 5. scriptum est, *Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri aut matri morte moriatur, vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri aut matri Donum est, quocunq; à me iuuari posses, insons erit, & nequaquam honorauerit patrem suum aut matrem suam.* Hos ita per traditiones humanas Dei mandata violantes, dicit Christus, *ore ad Deum appropinquare, corde verò non accedere*, hęc est legitima huius loci explicatio, & ita explicat Hieronymus in 29. *capite Esaiæ.* Vnde exstruimus hanc maximam.

Quicunque per doctrinas humanas Dei mandata violant, illi ore propinquant ad Deum, sed cor eorum longè abest à Deo. At qui docent solos sacrificos debere in Ecclesia orare, idque ignota lingua, populum autem iubent prorsus tacere; illi per suas humanas doctrinas Dei mandatum violant. Deus enim iussit vt Idio-

ta

ta respondeat *Amen*, & vniuersa primitiua Ecclesia obseruauit, vt *totus populus in Ecclesia caneret, & Amen responderet*, & vt omnia fierent lingua nota. Ergo qui docent preces à solis sacrificis ignota lingua concipi debere, illi ore propinquant ad Deum, cor verò eorum longè abest ab eo.

Hæc est genuina sententia huius loci, & fatebitur hoc ipse Bellarminus, si omnia diligenter expēdet. Iam verò subiungimus:

Qui preces ignota lingua in Ecclesia concipiunt, illi tantùm ore propinquant ad Deum. Sed non debemus ore tantùm appropinquare ad Deum. Ergo non debemus preces ignota lingua concipere.

Deinde respōdet ad alterum testimonium, quod est, 1. ad Corinth. 14, 14. *Si precor lingua, spiritus meus precatur, sed intelligētia mea est infructuosa*, & dicit hoc testimonio *non comprehendi preces ignota lingua conceptas, sed his dicit præponi eas, quæ sunt nota lingua conceptæ*. At hoc nobis sufficit, eum n. modum debemus vsurpare in precando, ex quo plus vtilitatis consequi possumus. Sed quando precamur lingua nota, inde plus vtilitatis consequimur, quàm quādo precamur lingua incognita. Ergo debemus preces nota lingua concipere. Deinde dicit Bellarminus, Paulum non dicere *orationem esse sine fructu, quia affectu proficit, sed mentem esse sine fructu, quia nihil intelligit*. At hæc duo nempe proficere affectu, & tamen nihil intelligere, sunt contradictoria, & simul vera esse non possunt. Desiderium enim nō iuuatur ijs rebus, quas prorsus non

non intelligit. Nihil enim affectus vel desiderium tuum proficit, siue aliquot ignota verba recitas, siue non recitas. Deinde vera oratio cum fide indissolubili nexu est coniuncta. Sed fides cum bruta & crassa ignorantia simul consistere non potest. Huc accedit Bellarminum petere principium, dicit enim *si rusticus latinæ linguæ prorsus imperitus oraret 7. psalmos latinè, eum proficere affectu, & bona intentione. Ergo preces ignota lingua conceptæ, non sunt inutiles.* Sed illud antecedens negamus verum esse, & suo loco ostendemus falsum esse. Est igitur inter nos controuersum, dum igitur sacra peregrina lingua cōcepta per preculas ignota lingua cōceptas probat, probat illud quod controuersum est, per illud quod æquè controuersum est. Prætereà quòd negat Apostolum *reprehendere preces ignota lingua conceptas*, hoc falsum est. Et vt hoc commodiùs intelligatur, explicabimus hoc Apostoli testimonium. *Si precer lingua, spiritus meus precatur, sed intelligentia mea est infructuosa.* Precer, accipitur in natiua significatione, & intelligitur de ijs precibus quæ fiunt ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, vers. 19. *& quibus Idiota respondet Amen.* vers. 16. Vnde apparet eum loqui de publicis precib⁹, & de ijs quę fiunt alta voce. *Lingua*, loquitur de lingua incognita. Hierony. ad dictum locum, lingua, scilicet *incognita.* & vers. 2. *Qui loquitur lingua, non loquitur hominibus, sed Deo, nullus enim audit.* Cum quo congruit illud Ciceronis Tusculan. 5. *in ijs linguis, quas non intelligimus, surdi sumus.* Vnde apparet eum loqui de lingua ignota, sensus igitur est, si in Ecclesia preces ignota lingua concipiam. *Spiritus meus precatur.* Bellarmi-

larminus per spiritum intelligit intentionem, affe-ctum vel desideriū precantis, vt sit sensus, affectu & desiderio precātis proficio, sed hæc interpretatio nō est sana. Spiritus n. septies vsurpatur in hac disputatione, sed nunquā in eo sensu. Deinde Sp. hoc loco & v. 2. *Spiritu loquitur mysteria*, ponitur in eodē sensu. Sed *Spiritus* istic significat afflatū quē Sp. dedit. Ergo & hoc loco *Spiritus* talē afflatum qui à Spiritu datur, significat. Eodem modo explicant ferè omnes Doctores, Basil. quæst. 278. *Spiritus alicuius orat*, idē est, atque *aliquis orationem edit lingua omnibus ignota*. Eodē modo explicat Ambro. in Epistola 1. ad Corinth. capite 14. ad ea verba. *Si benedixeris Spiritu*, hoc enim secundum Ambrosium est, *Si laudes Dei loquaris lingua audientibus ignota*. Hierony. eodem modo interpretatur in 14. ad Cor. Epist. 1. *Spiritu loquitur mysteria*. Spiritus, inquit Hierony. *iterum linguam significat*, at lingua in eodem versu significat linguam ignotā. *Nam qui loquitur lingua*. Ergo & spiritus hîc secundum Hieronymum significat linguam ignotam. Et vt omnia in pauca contraham, *Spiritus* hoc cap. per Metonymiam ponitur pro eo, quod à Spiritu datur, videlicet pro afflatu, qui à spiritu proficiscitur, vel pro ignota lingua, quæ ab eiusmodi afflatu proficiscitur, vel pro verbis ignota lingua conceptis. Atq; ita Spiritus toto capite accipitur, nisi quod versu 32. *Spiritus Prophetarū* ponitur pro doctrina Prophetarum, quæ à Spiritu proficiscitur, eadem Metonymia, sensus igitur est, cùm in Ecclesia ignota lingua precor, edo orationes lingua audientibus ignota. *Sed mens mea est infructuosa*. Hæc ferè eodem modo

papistæ

papistæ nobiscum accipiunt, sed non eodem modo nobiscum applicant. Infructuosum enim est ex eorum numero, quæ sunt πρός τι. Nam infructuosum est, quod alicui infructuosum est. Papistę hoc intelligunt de solo precante, & dicunt eius mentem esse infructuosam, quia per preces ignota ligua cōceptas non eruditur ille, qui ita orat. Sed hæc interpretatio pugnat cum Paulo. Vers. n. 4. dicit Apostolus, *Qui loquitur lingua, seipsum ædificat.* Nos igitur dicimus Orantis mentē esse infructuosam, non sibi; sed alijs. Atq; hæc interpretatio conuenit cum textu Pauli, vult n. alios respondere *Amē.* Deinde doctiss. Patres ita explicant, Basil. quæstione. 278. Quærit *quomodo Spiritus alicuius orat, mens est infructuosa? Hoc de his qui lingua audientib. ignota orationes edūt, dictū est. Dicit n. si orem lingua, Spiritus meus orat, mens verò mea infructuosa est. Cùm n. ignota fuerint præsentibus verba orationis, infructuosa est mens orantis, cùm nemo vtilitatē capiat. Quum verò præsentes intellexerīt orationē prodesse audientibus potentem, tunc is qui orat, fructum habet; quod hi qui vtilitatem capiunt, meliores redduntur.* Similiter loquitur Apostolus vers. 6. *Si venero ad vos loquens linguis, quid vos iuuabo?* Chry. illud explicat in hūc modū, *disceditis nullum fructū percipientes ex voce quam nō intelligitis.* Vnde apparet eū loqui, non de fructu loquētis, sed de fructu audientiū. Sēsus igitur est, cùm in Ecclesia preces ignota lingua fundo, profero verba lingua omnibus incognita, idque ex afflatu Sp. Sancti, sed auditores ex ista oratione, nullam vtilitatem consequuntur. Apost. verò reprehendit, & vetat illa fieri, quæ non afferunt vtilitatē, vult n. omnia referri

ferri ad ædificationē. Ergo ꝓhibet preces ignota lingua cōcipere. Hæc etsi vera sunt, conatur tamē Bellarminus ꝓbare preces ignota lingua cōceptas non esse infrugiferas. Vers. n. 17. dicit. *Nam tu quidem benè gratias agis*, loquitur autem Apostolus de gratiarum actione ignota lingua facta. Ergo *inquit Bellarminus*, preces ignota lingua factæ non sunt inutiles. Respond. esse ignorationem Elenchi. Nam nō rectè opponuntur, sunt enim simul vtiles, & non vtiles. sed non ijsdem: loquenti sunt vtiles, vt antè probaui, ex vers. 4. sed audientibus sunt inutiles, Dicit enim eodem versu, *sed alius non ædificatur.* Rectè Ambrosius ad ista verba: *Tu quidem benè gratias agis*, de eo dicit, *qui cognita lingua sibi loquitur, quia scit, quid dicat.* & ad ea verba. *Sed alius non ædificatur*, rectè idem Ambrosius. *Si vtique ad ædificandam Ecclesiam conuenitis, ea debent dici, quæ intelligant audientes. Nam quid prodest, vt quis lingua loquatur, quam solus scit, vt qui audit, nihil proficiat? Ideo tacere debet in Ecclesia, vt ij loquantur, qui prosunt audientibus.*

Vnde sic colligo:

Qui non prosunt audientibus, debent tacere in Ecclesia, sed qui ignota lingua vtuntur in Ecclesia, illi nō prosunt audiētibus. Ergo qignota lingua vtuntur, illi debēt tacere in Ecclesia.

Expende hoc argumentum Bellarmine, & respōde Ambrosio. Deinde dicit Apostolum loqui de ea lingua, quam nemo, imò ne ipse quidem loquens intelligit. Sed lingua latina, qua papistæ sua sacra faciunt, intelligitur à Sacrificis. Ergo Apostolus non loquitur de lingua latina. Respon. Maiorem falsam

esse,

eſſe, verſ. enim 4. dicit, *Qui loquitur lingua, ſeipſum ædificat*, Sed ædificatio non eſt abſque intellectu. Ambroſius ad iſtum locum annotat, *Per id quod fortè ſolus ſit*, lego ſcit, *ꝙ loquitur, ſe ſolū ædificat, Nam qui prophetat, omnem plebem ædificat, dum intelligitur ab omnibus, quid loquatur*. & verſ. 17. dicit, *Et tu quidem benè gratias agis*, vbi Ambroſius, *de eo dicit, qui cognita ſibi loquitur, quia ſcit, quod dicat*. Vnde apparet maiorem falſam eſſe, falſa igitur & cõcluſio. Sed & minor quandoq; falſa eſt. Pleriq; n. Monachi & ſacrifici nihil intelligunt, neq; quicquam benè pronunciant in Eccleſia. Exemplum iſtius ſacrifici, qui dicebat, *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spirita Sancta*, &c. ille fuit inter Monachos doctiſsimus. Nam multi ſunt, qui tantùm non poſſunt pronunciare, Vnde ſequeretur omnia Sacra ab indoctis Monachis facta, eſſe illicita. Non n. intelligunt linguam, qua utuntur. Addit Bellarminus, *licet mens Ruſticorum manet ſine fructu, tamen affectus eorum non manet ſine fructu*. Sed ante probaui, hoc eſſe principium petere, & cõtrouerſum probare per controuerſum. Poſtremò dicit Bellarminus, *fructum mentis, qui deeſt idiotis, multis alijs fructibus compenſari. Primò quia ſacra illis ſæpè communiſsima lingua, id eſt, latina prælegvntur*, Sed hoc eſt ridiculum & falſum. Ridiculum, ſiue enim ignota verba ſemel, ſiue millies, ſiue nunquam audiant, nihil conſequentur vtilitatis. Tales enim Sacrifici ſunt εἰς ἀέρα λαλοῦντες. Falſum, quia latina lingua non eſt communiſsima, imò ne communis quidem. Commune enim eſt, quod eſt duorum, vel plurium, & lingua quælibet illis communis eſt, qui

X ſimul

ſimul ſciunt, & vſurpant illam linguam. Quod autem alicuius non eſt, neque vſu, neque poſſeſsione, hoc illi cum nemine commune eſt, imò hoc prorſus ad eum non pertinet. Iam verò latinam linguam non ſciunt, neque vſurpant Idiotæ, neque poſſunt vſurpare. Ergo illa non eſt Idiotis cum alijs communis. Imò nullo modo ad Idiotas pertinet. Et vt vno verbo dicam, tam eſt Idiotis latina communis, quàm hebræa. Imò latina lingua non tantùm non cōmunis eſt idiotis cum doctis, ſed ad illos nullo modo pertinet. Eſt enim illis prorſus incognita, & ob eam cauſſam Idiotæ nullam vtilitatẽ ex ea percipere poſſunt. Sacra igitur publica ea lingua prorſus fieri non debent. Tertium argumentum, Quia preces publicæ ita inſtitui debent, vt populus illas intelligere poſsit.

Quod à populo intelligi debet, hoc nota lingua concipiendum eſt. Sed preces publicæ à populo intelligi debent. Ergo preces publicę nota lingua concipiendæ ſunt.

Maior non opus habet probatione, Minorẽ probo, 1. Corinth. 14, 14. *Quia ille qui locum Idiotæ ſupplet, debet reſpondere Amen.* Ille verò eſt ipſe Idiota, Ambroſ. ad dictum locum, *eum, qui Idiotæ locum implet, vocat imperitum*. Hieronymus ad dictum locum dicit, *Laicum intelligit, qui nullo gradu in Eccleſia fungitur.* Chryſoſtomus Homil. 35. in 1. ad Corinth. Ἰδιώτην δὲ λαϊκὸν λέγει. Interpres Chryſoſto. vertit. Idiotam *promiſcuam turbam*, & rectè. *Idiota* enim per Synecdochen, *promiſcuam multitudinem* ſignificat. Iuſtinus enim in Apologetic. 2. πᾶς ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ Ἀμήν. Hiero.

in

in Procemio, 2. libr. ad Galatas. *Totus populus instar tonitrui respondet Amen.* Augustinus in psalm. 54. *Vnum psalmum cantamus, vnum respondemus Amen.* Bessarion de Sacrament. Eucharist. Sacerdote verba illa pronunciante, *populus assistens in vtraque parte respondet Amen,* Vnde apparet totum cœtum debere acclamare *Amen.* Et ita factum est in primitiua Ecclesia. Sed nemo potest respondere *Amen,* nisi intelligat, quid dicatur. *Respōdere enim Amen est confirmare benedictionem,* vt Ambrosius interpretatur, vel est *benedictioni consensum vel testimonium perhibere,* vt explicat Hieronymus. Hoc autem nemo facere potest, nisi intelligat id, cui consensum vel testimoniū perhibere debet. Rectè Ambrosius ad dictum locum. *Imperitus audiens quod non intelligit, nescit finem orationis, & non respondet Amen, id est, sit verum, vt confirmetur benedictio. Per hos enim impletur confirmatio precis, qui respondent Amen, vt omnia dicta veri testimonio in mentibus audientium confirmentur,* Chrys. hom. 35. in 1. ad Corinth. *Si tu benedixeris spiritu, id est, si tu peregrina lingua gratias agis, quam nec ipse intelligas, nec ceteris interpreteris, plebeius non potest subijcere Amē.* August. de Cate. Rudib. cap. 9. *Vt populus ad id quod planè intelligit, dicat Amen.*

Ad quod populus debet respondere *Amen*, hoc debet intelligere, sed ad preces publicas debet respondere *Amen.* Ergo populus debet preces publicas intelligere: & ob eam caussam debent preces ea lingua concipi, vt à populo intelligi possint.

Quartum Argumentum. Quia Innocentius 3.

iubet, vt Episcopi populis diuersarum linguarum & rituũ diuina sacra celebrent, secundum diuersitatem linguarum & rituum.

Magna equidem Papæ habenda est gratia, dũ hoc permittit, quod Deus mandauit. Bellarminus respõdet tantùm agi de *lingua Græca & Latina.* Sed hoc nõ est verisimile. Nam qui Constantinopolin ceperant, erant ex Gallis, Germanis, Anglis, Italis & alijs gentibus collecti. Dum igitur promittit se velle *idoneos viros prouidere, qui diuina officia diuersis linguis administrent*, manifestum est eum loqui de omnibus & singulis populis, qui istam vrbem subegerant, & ibi adhuc hærebant. Deinde dicit, Illud nunquam in Italia obseruatum esse. Respondeo non esse nouum, vt Paparum cõstitutiones in ipsa Italia negligantur, & propter hanc vel negligentiam, vel tyrannidem conqueruntur saniores papistarum doctores. Lyra in 14. ad Corinth. *Quòd si populus intelligit orationem vel benedictionem Sacerdotis, melius reducitur ad Deum, & deuotius respondet Amen.* Et paulò post, *Quid proficit populus simplex & non intelligens? quasi dicat, nihil, aut modicum, quod nescit se confirmare tibi, qui es minister Ecclesiæ, respondendo Amen, propter quod in primitiua Ecclesia benedictiones, & cætera communia fiebant in vulgari.* Caietanus in 1. ad Corinth. cap. 14. *Ex hac Pauli doctrina habetur quod melius ad Ecclesiæ ædificationem est, orationes publicas quæ audiente populo dicuntur, dici lingua communi clericis & populo, quam dici latinè.* Hinc intellige nõ rectum esse, quod fit in Italia, sed quod fieri debet.

Quintum Argumentum. Quia finis diuinorum offi-

officioru est populi instructio, consolatio, & ędificatio, sed ex sacris ignota lingua conceptis neque instructio, neque consolatio, neque ædificatio percipi potest. Ergo non debent ignota lingua concipi. Minor probatur ex 1. ad Cor. 14, 26. *Omnia fiunt ad ædificationem.* 1. Cor. 14, 19. *Malo quinque verba ex intelligentia mea loqui, vt alios instituam.* Bellarminus negat Maiorem, & dicit ædificationem non esse sacrorum publicorum finem. Hanc negationem destruximus argumento 1. Ibi enim ostendimus duos esse fines diuinorum officiorum, vnum à parte Dei, alterum à parte nostri, à parte Dei, eius honorem & gloriam, à parte nostri, ædificationem, institutionē & consolationem. Gloriam Dei esse finem diuinorum officiorum concedit Bellarminus, ædificationem verò illorum finem esse negat. Hoc etsi à nobis probatum est argumento primo, tamen nunc diligentiùs probandum est. Et vt hoc rectè fiat, ostēdemus quidnam sit diuinum officium, vel sacrum publicum. Illud autem ex nulla re commodiùs colligi potest, quàm ex mandato, quo Apostoli à Christo instructi illud administrarunt. Mandatum verò illud est hoc, Matthæi 28, 29. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Sp. Sancti, & docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis.* Marci 16, 15. *Prædicate Euangelium omni creaturæ,* Lucæ 24, 47. *Oportuit in eius nomine prædicari resipiscentiam & remissionem peccatorum apud omnes gentes.* Actorum 9, 15. *Instrumentum electum est mihi iste, vt perferat nomen meum in conspectum gentium & regum & filiorum Israel.* Romá. 1, 1. *Paulus Apostolus separatus ad prædicandum*

Euangelium Dei. Hoc Apostoli tantùm fecerunt. Actor. 5, 42. *& quotidie in templo & domatim non cessarunt euangelizare Iesum Christum.* Paulus cùm reddit rationem sui facti, Acto. 20, 25. inquit, *Et nunc ecce, ego scio non amplius visuros faciem meam vllos ex vobis omnibus, per quos transiui prædicans regnum Dei. Ideo testor vobis hodierno die me purum esse a sanguine omniũ. Non enim subterfugi quò minus vobis annunciarem omne Dei consilium.* Idem fecit Christus ipse, Lucæ 4, 45. *Certè & alijs vrbibus oportet me euangelizare regnũ Dei, nam ad hoc missus sum.* Vnde necessariò colligo: Euangelizare Euangelium esse diuinum hoc officium. Illud enim sacrum quod Christus primùm administrauit, & ad quod ille missus est, & quod suis Apostolis præcepit, & quod Apostoli solùm celebrarũt, illud, inquam, est hoc diuinum officium, de quo loquimur. Sed euangelizare Euangelium Dei est illud sacrũ quod Christus ipse celebrauit, & ad quod Christus missus est, quod Christus suis Apostolis mandauit, & quod solùm Apostoli administrarunt. Ergo euangelizare Euangelium Dei, est illud diuinum officium, de quo loquimur. Hoc adeò certum est, vt nullus vnquam Papista sit contrarium vel diuersum ex sacris literis probaturus. Aniles autem nugas extra & contra Dei verbum excogitatas, nunquã pro sacro diuino, vel pro diuino officio assumemus, & ad illa omnia quod attinet, dicimus ea esse inter nos controuersa. Itaque de illorum finibus non sumus solliciti. Vbi verò ad illa refutãda accesserimus, probabimus ea contra Dei verbum instituta esse, neque esse vlli homini Christiano obseruanda, Gal. 1, 8. *Si*

quis

quis aliud Euangelium prædicauerit anathema sit. Istis igitur missis vel in aliud tempus reiectis, loquimnr de eo sacro, quod à Christo immediatè in verbo scripto expressum est. Quod denique ipse Christus instituit, quod idem Christus administrauit, quod, inquam, idē Christus suis Apostolis præcepit, & quod Apostoli administrarunt, & præter quod Christus & Apostoli nullum aliud celebrarunt. Hoc autem sacrum vno verbo, est Euangelium prædicare. Huius autem sunt multæ partes, vt adhortari, docere, consolari, orare, Deo gratias agere, eundem celebrare, & laudare, idque vel submissa voce, vt loquendo, vel alta vòce, vt canendo, Sacramenta administrare, disciplina honesta omnes coercere. Hæc inquam omnia prædicatione Euangelij continentur, & ita iudicauit primitiua Ecclesia. Iustinus Martyr Apologetico secundo. *Die qui Solis dicitur, omnes tum qui in oppidis, tum qui in agris morantur, in vnum conuenimus, & ex commentarijs Apostolorum vel Prophetarum scriptis recitatur quantum licet. Deinde vbi destitit qui recitat, Antistes orationem habet, qua admonet adhortaturq́, ad pulchrarum illarum rerum imitationem. Posteà omnes vnà surgimus & precamur. Postquam autem à precibus destitimus, profertur panis, vinum & aqua, tum Antistes similiter precatur & gratias agit, quanta potest contētione, populusq́, acclamat dicens Amen: & ijs super quibus actæ sunt gratiæ, vnusquisque participat.* Horum autem omnium, imò omnium illarum rerum quæcunq; tempore primitiuæ Ecclesiæ in Ecclesia fiebant, finis est ædificatio. Ideò dicit Ambrosius illos *tacere debere, quos nemo intelligit, vt ij loquantur, qui prosunt audienti-*

bus, in 1. ad Cor. 14. Hoc etsi verum est, tamen lubet audire, quibus argumẽtis Bellarminus probet finem diuinorum officiorum, non esse ædificationem, sed cultum Dei. Ac primum argumentum est, Quia solorum clericorum est sacrificium laudis Deo immolare, Num igitur soli clerici non opus habent ædificatione? At omnes historiæ testantur eos maximè opus habere. Sed ad rem, Bellarmini Argumentum tale est,

Quod soli clerici faciunt, eius finis non est ædificatio. Sed soli clerici immolant Deo sacrificiũ laudis. Ergo finis publicorum sacrorum non est ædificatio, sed cultus Dei.

Maiorem credo esse verissimam. Eius enim officij, quod soli clerici administrant, finem non esse ædificationem testatur totus mundus. Quod verò ad minorem attinet, est illa ambigua. Nam si per Sacrificium laudis intelligit commemorationem beneficiorum Dei, & pro ijs gratiarum actionem, quę propriè sacrificium laudis est. Tum illa est falsa, hoc n. conuenit omnibus & singulis hominibus, Hebr. 13, 15. *Per ipsum igitur assiduè offeramus Deo sacrificiũ laudis, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Oseæ, 14, 3. *reddemus* (loquitur de toto Israhele) *vitulos labiorum nostrorum.* Vnde apparet totius multitudinis esse Deum laudare, & ita factum est in primitiua Ecclesia. Iust. Martyr. apologet. 2. *Postea omnes vnà surgimus ac precamur.* Basilius hom. 63. *Ex nocte enim consurgit apud nos populus ad domum orationis, & in labore ac tribulatione & continuis lachrymis confitẽtes Deo. Postremò surgentes ab oratione ad Psalmodiam conueniũt.*

Idem

Idem ex omnibus alijs Patribus probari potest. Si verò intelligit de Missa, petit principium. Neque hoc pugnat cum Esaia, qui cap. 62,9. dicit *Custodes neque die neque nocte tacere debere.* Nam si Sacerdotes semper debent pro populo Deum laudare, orare, & vigilare; istinc non sequitur populum ipsum neq; laudare Deum, neque orare, neque vigilare debere. Vtrumque enim fieri debet, sed cum hac differentia, vt singuli ferè pro sese, sacerdotes pro vniuerso cœtu gratias agant. Secundum argumentum est. Quia nemo est nisi imperitissimus qui non intelligat latinè. Hoc ita falsum est vt sola negatione destruatur. Omnes n. ferè Laici in multis regionibus nihil intelligunt de latina lingua. Postremò dicit loca ex 1. ad Corinth. 14. suæ sententiæ non aduersari. Fatetur n. scripturas afferre vtilitatem, sed hoc fieri dum docti eas legunt, & dum illæ indoctis à cõcionatoribus explicantur. Hoc etsi verum est, magnam tamen vtilitatem afferunt, etiam cùm indocti eas legunt. vt cap. 4. ostendimus.

Sextum Argumentum. Quia Christus & Apostoli Vernacula lingua in sacris publicis vsi sunt.

Quemadmodũ Christus & Apostoli sacra publica administrarunt, ita etiam & nunc administrari debent. Sed Christus & Apostoli administrarunt sacra publica nota lingua. Ergo & nunc nota lingua administrari debent.

Hoc argumentum Bellarminus eludit, & dicit à prædicatione ad scripturam non valere consequentiam. Apostolos enim *prædicasse quidem varijs linguis, & tamen vna tantũ lingua nempe Græca scripsisse.* Verùm

quod Apoſtoli vna tantũ lingua ſcripſerunt, hoc alij etiam Apoſtolorũ ſæculo, in innumeras linguas trãſtulerũt, vt antè oſtendimus. Deinde contradictionẽ implicat. Hic n. dicit Apoſtolos *ſolùm græcè ſcripſiſſe*, at cap. 15. huius lib. fol. 176. lin. 15. aſſeruit Apoſt. ſcripſiſſe *latinè, græcè & hebraicè.* Aut igitur hoc, aut illo loco errat Bellar. Præterea hæc reſponſio manifeſtè arguit eũ non tantũ hærere, ſed etiã teneri. Nos igitur hoc argum. paulò magis illuſtrabimus. & dicimus

Quemadmodũ Chriſt⁹ & Apoſtoli & vniuerſa Eccleſia primitiua, ſacra publica adminiſtrauit, eodẽ modo moderni miniſtri ea adminiſtrare debent. Sed Chriſtus, Apoſtoli & vniuerſa primitiua Eccleſia adminiſtrarunt ſacra publica lingua omnibus nota. Ergo moderni miniſtri debẽt ſ. publ. adminiſtrare lingua omnib⁹ nota.

Qui Maiorẽ negat, oſtẽdit ſe non eſſe dignũ, qui in Eccleſia loquatur. Minor eſt trimembris. Vnum membrũ eſt de *Chriſto*, illũ adminiſtraſſe ſacra lingua nota. fatebũtur oẽs, quicunq; 4. Euangelia perlegerunt. Alterũ membrũ eſt, *Apoſtolos* adminiſtraſſe ſacra lingua nota. Hoc nemo negabit, qui ſaltem acta Apoſt. perlegit. Tertiũ membrũ eſt, *Vniuerſam primitiuam Eccleſiã* adminiſtraſſe ſacra lingua nota, hoc etſi ex præcedẽtibus notũ eſt, tamen quibuſdã teſtimonijs illud nunc probabo, & ex ijs, quæ ante ſparſim dicta ſunt, quædã iterabo. Primũ oẽs homines in primitiua eccleſia celebraſſe ſacra pub. lingua omnib⁹ nota fatetur Hardingus *artic.* 3. §. 28. *cõtra Iuellũ.* Idẽ fatentur Lyra & Thomas *in* 1. *ad Cor.* 14. Idem docet Origenes cõtra Celſum, *lib.* 8. Idẽ docet Baſil.

Epiſt.

Epist.63.ad Neocæsarienses, simile docet Theodoretus *l.2.c.* 24. Deinde Hieronymū composuisse *Dalmatis publicas preces lingua Dalmatica docet* Eccius in locis cap. de Missa latina. & *Indos fecisse sacra lingua Indica*, docet Eccius ibidem. Ephremum Edessæ Antistitē *fecisse sacra* lingua Syra docet Theodoretus libro 4. cap. 29. In funere Paulæ cantatos fuisse Psalmos lingua *græca, latina, hebræa, & syra* docet Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Veteres in oblationibus & tractatibus aliquando *hebræa*, aliquando *syra* lingua vsos esse testatur Ambros. in 1. ad Cor. c. 14. Basil. cùm recensuisset quomodo oēs simul & precarētur & psallerent, (quod nisi nota lingua fieri non potuit) *dicit Ægyptios, Libyos, Thebanos, Palæstinos, Arabas, Phænices, Syros, & Euphratis incolas, & omnes homines in quibus vigiliæ, psalmodiæ & preces in honore sunt, idem facere*, ad Neocæsarienses, epist. 63. Huiusmodi multa exempla sunt apud Patres. Quin in ipso publico officio erant certæ partes populo attributæ. Iust. Martyr in Apologetico secundo. *Totus populus respondet, Amē.* Idem docet Hieronymus *in Proœmio 2. libr. ad Galatas.* Sed hoc fieri non posse, nisi populus ea intelligat, ad quæ respondet *Amen*, probatum est. Chrysostomus in 2. ad Corinth. homilia 18. *Sacerdos in sacra Liturgia populum alloquitur, & populus sacerdotem.* Idem ibidē, *Non tantùm Sacerdos gratias agit Deo, sed populus totus, quid autem miraris quando Sacerdotem & populum in precibus colloquentem vides.* Idem ibidē, *Sacerdos & populus in sacra Liturgia colloquuntur*, Sacerdos ait ad populum, *Dominus vobiscum*, populus respondet, *& cum Spiritu tuo*, Cypr. in Nat. Dom. *Sacerdos*

dos ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mẽtes, dicendo *Surſum corda*, plebs reſpondet *habemus ad Dominum*. Similia paſsim apud veteres. Ex his liquidè conſtat, ſacra publica in vniuerſa primitiua Eccleſia facta eſſe lingua nota. Manifeſtum igitur aut eos non errare, qui ſacra publica nota lingua celebrant; aut Chriſtum Apoſtolos & vniuerſam primitiuam Eccleſiam, qui idem fecerunt, erraſſe. Imò aut Chriſtus, Apoſtoli aut tota primitiua Eccleſia errarunt, dum ſacra publica lingua nota adminiſtrarunt, aut Papiſtæ errant, dum publica ſacra ignota lingua adminiſtrant. Sed Chriſtus, Apoſtoli & uniuerſa primitiua Eccleſia non potuerunt errare, Ergo Papiſtas errare neceſſe eſt.

Septimum Argumentum. Quia Moraui, Rutheni, Armenij, Ægyptii & alij vtuntur lingua nota in ſacris publicis. Ergo Proteſtantibus hoc negari etiam non debet.

Reſpondet Bellarminus ſe horum exemplo non magis moueri, quàm Luteranorum & aliorum hæreticorum. Hoc reſponſum dignum eſt Doctore Ieſuitico, plenum enim eſt Chriſtianæ manſuetudinis & pietatis, ſi vellem tibi, Bellarmine, eodem modo reſpondere, dicerem Heracleonem & alios Hæreticos inuſitata verba in publicis ſacris vſurpaſſe, vt eſt apud Auguſt. in lib. de hær. cap. 16. Papiſtæ idẽ faciunt, nos igitur papiſtarum exemplo non magis moueri, quàm illorum hæreticorum. Sed non vtar iſta reſponſione, verùm longè alia, nempe: Tota & vniuerſa primitiua Eccleſia vſa eſt lingua nota in publicis ſacris. Ergo moueat te auctoritas vniuerſæ Eccleſiæ,

Ecclesiæ, vt idem nobis concedas. Si verò hæc te non commouet. Omnes Apostoli celebrarunt sacra publica lingua nota, moueat ergo te horum auctoritas. Si verò neque horum auctoritate moueris, ipse Dominus & saluator noster vsus est lingua nota in publicis sacris. Moueat igitur te huius auctoritas. Quòd si te neque Iesu Christi auctoritas commouet, palam ostendis te non Iesu Christi, sed Antichristi ministrum esse. Verùm siue te huius auctoritas moueat, siue non moueat, nos malumus cum Christo, Apostolis & tota primitiua Ecclesia vulgari & nota lingua populum ædificare, quàm cum Papistis inani incognitoque sono aërem verberare.

(:)

FINIS.

SIBRANDI LVBBERTI

De Principiis Christianorum dogmatum Liber quartus.

CAPVT I.

Status controuersiæ proponitur.



IBRO superiore disputauimus de sacro Vernaculo, sequitur vt de Obscuritate canonicarũ Scripturarum disseramus. Statum huius controuersiæ vel ignorauit Bellarminus vel peruertit. Non enim nostra sententia est, scripturam adeò perspicuam esse, vt nulla interpretatione opus habeat, neque dicimus eam adeò facilem esse, vt quilibet idiota eam perfectè intelligat. Palam enim asserimus donum interpretationis esse in Ecclesia necessarium, fatemur etiam in sacris scripturis multa adeò obscura esse, vt non tantùm idiotis, sed etiam doctissimis quibusque negotium facessãt, nec à nobis nisi in altera vita perfectè cognosci possint. Intereà tamen negamus omnia obscura esse, vel ita obscura esse, vt vel nihil in iis absque Cõmentariis intelligi, vel vt Idiotæ ex earum lectione nihil proficere possint. Errat igitur Bellarminus dum dicit nos asserere totam scripturam adeò perspicuam esse, vt ad eam intelligendam nulla opus sit explicatione. Dum verò hanc sententiam Luthero affingit

affingit, facit, ſanctiſsimo viro iniuriam, & eius ſententiam peruertit. Lutherus quidem in præfatione aſſertionis articulorum à Leone damnatorum. *Oportet*, inquit, *Scriptura iudice hanc ſententiam ferre, quod fieri non poteſt, niſi ſcriptura dederimus principem locum in omnibus, quæ tribuuntur Patribus, h. e. vt ſit ipſa per ſe certiſsima, facillima, apertiſsima ſuiipſius interpres, omnium omnia probans, iudicans, & illuminans.* Sed hoc non iuuat calumniã Bellarmini. Hæc n. ſententia eſt bimembris: Vnũ membrum de iudice cõtrouerſiarũ, alterũ de ſcripturæ perſpicuitate. Poſterius nũc tantùm in controuerſiã trahitur. Itaq; ad illud tantùm reſpondebimus. Dicimus igitur hanc ſententiã neq; nouã, neq; falſam eſſe, modò rectè intelligatur. Noua non eſt. Chryſoſt. n. homilia 3. in 2. epiſt. ad Theſſal. dicit, *omnia clara & perſpicua eſſe in diuinis ſcripturis.* Clemens in exhortatione ad Gentes, *Audite*, inquit, *qui eſtis lõgè, audite qui eſtis propè, nullis celatũ eſt verbum Dei, lux eſt cõmunis, oĩbus illuceſcit hominibus, nullus eſt in verbo Cimmerius, feſtinemus ad ſalutẽ.* Epiphan. contra Ariomanitas hær. 69. *Oĩa ſunt*, inquit, *clara & lucida, et nihil contrariũ, neq; mortis cõplexus ſpeciẽ habens in diuina ſcriptura.* Idem contra Anomæos hær. 76. *Omnia ſunt clara*, inquit, *in diuina ſcriptura his, qui ratiocinatione ſermonem diuinum adire volunt, & nõ diabolicam operationẽ in ſeipſis conceperũt, ac ſeipſos in barathrum mortis conijcere conantur.* Lactantius lib. 6. capite 21. *Num*, inquit, *Deus & mentis & vocis & linguæ artifex diſertè loqui nõ poteſt? Imo verò ſumma prouidẽtia carere voluit fuco ea quæ diuina ſunt, vt oẽs intelligerẽt quæ ipſe oĩbus loquebatur.* Chryſoſt. hõ. 12. in Gen. *Scriptura*

inquit

inquit, *seipsam exponit, & auditorē errare non sinit.* Quin ipse Bellarminus lib.1.c.2. de verbo Dei, *Sacris Scripturis,* inquit, *quæ Propheticis & Apostolicis literis continentur, nihil est notius, nihil certius.* Ex his & similibus apparet hanc sententiam non esse nouam: Sed neq; falsam eam esse probabimus suo loco. Priusquam autem progrediamur, Lutheri mentem paucis explicabimus. In scriptura sunt duo consideranda, Verba & Dogmata. Verba sunt obscura & ex eorū obscuritate sæpè Dogmatum obscuritas nascitur. Cùm verò verba, hoc est, grammaticū sensum rectè intelligimus, tum ipsum Scripturarū sensum rectissimè assequimur. Hinc infert dogmata esse perspicua. In lib. de Seruo Arbitr. *Res ipsa,* inquit, *sunt in luce, non curandum si quædam rerum signa sunt in tenebris.* h.e. In Grammatico sensu sæpè est difficultas; Dogmata verò, quæ ad salutem necessaria sunt, & quorum summa Symbolo Apostolico cōprehensa est, sunt perspicua. Idē docet Theodoret. libro 5. de græc. affect. *Passim videas,* inquit, *nostratia dogmata, non à Doctoribus tantùm; sed à plebeis intelligi.* & Bellar. de verbo Dei, libr. 2. cap.3. *Mysteria,* inquit, *redemptionis etiā rustici & mulieres intelligunt.* Sed, *inquis,* oīs scripturæ difficultas secundum Lutherum ex ignorantia sensus grammatici oritur. At Origines & Hieronymus fuerunt optimi grammatici, & tamen subinde in dogmatis errarunt. Respondeo fuisse illos quidem bonos grammaticos, sed non optimos. Errarunt enim sæpè in sensu grammatico; quid mirum igitur si & ipsa dogmata interdū non intellexerunt. Sed ipsa etiā dogmata, *inquis,* sæpè obscura sunt. Verū hoc

hoc fit per accidens. 2. Corinth. 4. versu 3. *Si tectum est Euangelium, ijs qui pereunt, tectum est.* Quemadmodũ n. Sol est lucidus; sed cæcis, & ijs qui oculos claudunt, non est lucidus: ita verbum Dei perspicuũ est; sed peruersis & excęcatis perspicuũ non est. Deinde dogmata duobus modis, nempe externâ & internâ perspicuitate perspicua sunt. Externâ etiã quibusdã non regeneratis perspicua sunt, Iacob. 2, 19. *Diaboli credunt & contremiscunt.* Internâ verò non nisi ijs innotescunt, quorum mentibus Spiritus S. illa reuelat & obsignat. Qui igitur grãmaticum sęnsum rectè intelligunt, & à Spiritu sancto illuminati sunt, illis dogmata Christiana sunt perspicua. Sed hîc obseruandi sunt aliqui gradus. Quo n. quisque in grammatica plus profecit, & à Spiritu s. magis illuminatus est: eò etiam plus de dogmatis intelligit. Hanc esse legitimam Lutheri sententiam ex præfat. psalter. colligi potest. *Scio,* inquit, *impudentissimæ esse temeritatis affirmare se vnum Scripturæ librum in omnibus perfectè intelligere.* Ibidem, *Nolim,* inquit, *ab vllo hoc de me præsumi, quod nullus sanctissimorum & doctissimorum adhuc præstare potuit, Psalterium videlicet me in omnibus in suo legitimo sensu intelligere, & docere. Sat est aliquos et eosdem ex parte intelligere. Multa sibi reseruauit Spiritus, quò nos semper discipulos habeat. multa solùm ostẽdit, vt alliciat. multa tradit, vt efficiat.* Ex his, opinor, manifestum est, non esse Lutheri mentem, omnem scripturam ita facilem esse, vt nulla explicatione indigeat. Deinde sæpè accidit, Bellarmine, vt homines docti non vbique æquè perspicuè loquantur. Quid si idem acciderit Luthero? Vt taceam Lutheri

opinionem non esse nostræ sententiæ regulam. Sed frustrà hæc disputo. Palam enim fatemur in sacra Scriptura quædam esse obscura, donum item interpretationis esse in Ecclesia necessarium. Dum igitur Bellarminus hanc sententiam oppugnat, pugnat sine aduersario, & dum eam nobis tribuit, facit nobis iniuriam. Cæterùm an Bellarminus errore, an verò malitia fecerit, committo Dei iudicio: Dissimulare tamen non possum eum in principio tertii libri dicere quæstionem esse, *Sint ne sacræ Scripturæ per se facillimæ, atque apertissimæ, an verò interpretatione indigeant?* & in eodem capite, Argumento sexto concludere, *Non igitur Scriptura sola sufficit dirimere controuersias.* Vnde eò adducor, vt credam Bellarminum hæc cōtra conscientiā scripsisse, neque ausum fuisse verum controuersiæ statū proponere, ne eius argutiolæ & paralogismi innotescerent. Quæstio enim & Conclusio re & subiecto idem sunt: differunt autem sola ratione, & habitudine quadam, vt Dialectici loquūtur. Si igitur rectè conclusit *Scripturam non sufficere ad controuersias dirimendas*, tum quæstionē ante non rectè proposuit. Nos autem ex hac conclusione verum controuersiæ statum formamus esse hunc, Sint ne omnes controuersiæ in Christiana religione ex Dei verbo scripto dirimendæ? vel quod idem est. Sufficiatne Dei verbum scriptum ad omnes controuersias in Christiana religione dirimendas? Harū affirmationes nos sustinemus. aduersarij verò earum negatiuas defendūt. Hoc ita esse fatebitur ipse Bellarminus, si rem diligentiùs expendet. Non n. controuersia est, an Scriptura ita sit perspicua, vt nulla

 inter-

interpretatione opus ſit. Hoc enim & Papiſtæ & Orthodoxi negant. Neque controuerſia eſt an Scriptura ita ſit perſpicua, vt idiotæ eam citra omnem explicationẽ intelligãt. Sed cõtrouerſia eſt, An Scriptura ita clara, certa, & perſpicua ſit, vt indocti ex ea doceri, & contumaces ex eadẽ refutari poſsint? Vel quod idem eſt, An Scriptura ita clara, certa & perſpicua ſit, vt controuerſiæ in Chriſtiana religione ex ea dirimi poſsint? Huius negatiuam defendunt Papiſtæ, eius verò affirmatiuam veram eſſe contendunt Orthodoxi: Nos priùs aduerſariorum ſententiam proponemus, eorumq́; argumenta diluemus: deinde noſtram ſententiam explicabimus, eamq́ue immotis argumentis aſtruemus.

CAPVT II.

Argumenta pro obſcuritate Canonicarum Scripturarũ ex Dei verbo petita refutantur.

QViſnam ſit huius controuerſiæ ſtatus, oſtendimus capite ſuperiori. Sequitur vt argumenta, quæ Bellarminus pro ſua ſententia adduxit, diluamus. Eius ſententia eſt, totam ſcripturam adeò eſſe obſcuram, vt abſque interpretatione nihil in ea intelligi, & Idiotę ex eius lectione nihil proficere poſſint. Hanc probat multis argumentis, quæ omnia ad quinque claſſes reduci poſſunt. Prima claſsis eſt eorum, quæ ducuntur ex ſacra Scriptura. Primum argumentum ſumitur ex Pſal. 119. verſu 18. *Retege oculos meos, vt intuear mirabilia ex lege tua.* Et verſu 34. *Fac vt intelligã, vt cuſtodiã, conſeruemq́; eam ex tota anima.* Et verſu 135. *Fac vt præluceat facies tua ſeruo tuo,*

& doce me statuta tua.

Quod absque peculiari spiritus reuelatione non intelligitur, hoc adeò obscurum est, vt in eo absque interpretatione nihil cognosci, & Laici ex eius lectione nullum fructum cōsequi possint. Sed sacra Scriptura absque peculiari Spiritus illuminatione non intelligitur. Ergo Scriptura adeò obscura est, vt in ea absque Interpretatione nihil cognosci, & Laici ex eius lectione nullum fructum capere possint.

Bellarminus præterita Maiore probat Minorem. Eius probationes suprà allegauimus. Sed nos respondemus ad Maiorem, eam esse bimembrē. Vnum membrū est, nihil posse in Scriptura cognosci absq; interpretatione. Alterum, Laicos ex eius lectione nullum fructū consequi. Nos ad vtrumque distinctè, & primùm ad posterius respondebimus. Si Maior in hunc modum formatur, Quòd absque peculiari Spiritus reuelatione non intelligitur, hoc adeò obscurum est, vt Laici ex eius lectione nullum fructum capere possint. Si, inquam, Maior, in hunc modum formatur, tum est falsa. Deus enim vtrumque, hoc est, illuminationem & studium priuatum coniunxit. Studium, 1. Timoth. 4. versu 13. *attende lectioni.* Iohan. 5. versu 39. *Scrutamini scripturas.* Actor. 17. cap. vers. 11. *fuerunt aūt illi Iudæi generosiores illis qui erant Thessalonicæ, vt qui receperint sermonem cum omni alacritate, quotidie scrutantes scripturas, an hæc ita se haberent.* Illuminationem, Act. 2. cap. vers. 17. *Effundā ex Spiritu meo in quamuis carnem.* Iohan. 16. cap. versu 13. *Spiritus ille veritatis ducet vos in omnem veritatem.*

Cùm

Cùm itaque Deus vtrumque coniungat, & velit nos Scripturæ operam dare, ac promittat Spiritus illuminationem: manifestum est nos malè argumẽtari ab vnius positione ad alterius remotionẽ. Perinde enim est, ac si dicam, nemo potest absque peculiari Spiritus gratia conuerti. Ergo ministri frustrà laborant in docendo. Eodem prorsus modo non sequitur, Scriptura absque Spiritus illuminatione non intelligitur. Ergo Laici in ea legenda operam perdunt. Imò, Bellarmine, licet homo absque peculiari Spiritus gratia non conuertatur, vtiliter tamen minister ad conuersionem hortatur, & ministerium illud Deus fortunat suo spiritu, iuxta illud, *Paulus plantat, Apollo rigat, Deus dat incrementum*, 1. Corint. 3. versu 6. Eodem modo licet Scriptura absque Spiritus illuminatione non intelligatur, vtiliter tamen Laici se in eius lectione & meditatione exercent, & studium hoc Deus suo spiritu secundat, iuxta illud Luc. 11. versu 9. *Quærite & inuenietis*. Vtrùmque igitur coniungi potest, imò coniungi debet. Requirit enim Deus summum studium à nobis ac diligentiã, & simul vult vt suum auxiliũ quotidie imploremus. Etsi igitur absque peculiari Spiritus gratia nihil possumus, priuatum tamen nostrum studium inutile non est. Hoc ad secundum membrum, nunc ad primum. Si Bellarminus ita intelligit Maiorem, quòd ex Spiritus reuelatione intelligitur, hoc prorsus obscurum est, tum sequitur ex hoc argumento, Scripturam non tantùm Laicis, sed etiã doctis, imò omnibus, qui non sunt diuinitùs illuminati, obscuram esse, ac proinde vi huius argumenti, non tantùm

Laici, ſed etiam docti ab eius lectione arcerentur, Quod vt intelligatur, formabo argumentum in hũc modũ. Quod ex Sp. ſancti reuelatione intelligitur, hoc prorſus obſcurũ eſt, ac proinde legi non debet, ſed ſacra ſcriptura abſque Sp. ſancti illuminatione non intelligitur, Ergo prorſus obſcura eſt, & legi nõ debet. Reſp. aut eſſe puras particulares, aut excluſiuá addendam eſſe medio termino, vt æquipolleat vniuerſali, verbi gratia; Quod ex Spiritus ſ. reuelatione tantùm intelligitur, hoc prorſus obſcurum eſt, ſed Scriptura ex Sp. ſancti reuelatione tantùm intelligitur, Ergo Scriptura prorſus obſcura eſt. Sed iam Minor falſa eſt. Licet n. Scriptura abſque Spiritus reuelatione non intelligatur, tamen non ꝑ ſolam Spiritus illuminationem intelligitur. Inſtituit n. Deus miniſteriũ, præcipit, vt ipſi ſcrutemur & legamus. Quod vtique non feciſſet, ſi omnis lectio, & omne priuatum & publicum ſtudium eſſet ſuperuacuum. Ergo Maior corrigenda eſt in hunc modũ. Quod abſque Spiritus reuelatione non poteſt intelligi, hoc adeò obſcurum eſt, vt ſola lectione vel humano ſtudio cognoſci non poſsit. Deĩde reſpõdemus ad Minorem. Si illa formatur in hunc modũ, Scriptura ſola Spiritus reuelatione intelligitur, tum eſt falſa. Multi enim partim per miniſteriũ, & partim per illuminationem ſcripturam intelligunt, vt Beroënſes Actor. 17. & Lydia Act. 16. & paſsim. Si autem Minor formatur in hunc modum, Scriptura abſque Spiritus illuminatione nõ intelligitur, tum nihil aliud cõcluditur, quàm ſolum humanũ ſtudiũ ad eam intelligẽdam non ſufficere, Sed hoc concedimus. Fatemur n.

omne nostrum studiū esse irritum, nisi Spiritus auxilium accesserit, neq; diffitemur Sp. illuminationē sufficere. Sed Deus non semper immediatè agit, aliquando enim per seipsum, absq; medijs, hominem instruit, vt Mosen, Ezaiam, Paulum, & alios: aliquādo verò cum mediis gratiam suam coniungit, vt in Beroēnsib. Lydia & aliis. Prætereà scriptura potest dupliciter cognosci, externo modo, & interno. Externo modo sępè absque peculiari Spiritus reuelatione intelligitur, vt Iacobi, 2. versu 19. *Dæmonia credunt & horrescunt*, hoc est, historicè intelligunt ea, quæ in scripturis narrātur. Interno verò modo scriptura nunquā absque peculiari Spiritus reuelatione intelligitur. Hic aūt intellectus est, cùm spiritus nobis testatur, non tantùm omnib. sed etiā nobis vera esse, quæ in scriptura narrātur, & in nobis generat tales motus, ex quibus certò cognoscimus, ea, quæ in scripturis traduntur, ad nos pertinere, qui intellect⁹ semper cum vera resipiscētia coniunctus est. De hoc loquitur Dauid. Petit n. sibi istam legis intelligentiā dari, qua legem ipsam obseruet & faciat. Hæc aūt intelligentia vt non datur absq; peculiari Spiritus gratia, Ita Sp. S. multis medijs ad eam nobis instillandā vtitur. Nō rectè igitur ab vnius positione ad alterius remotionem argumentatur Bellarminus. Deniq; si scripturæ intelligētia ex sola Sp. reuelatione concipitur tū inutilis est omnis interpretatio. Si igitur hæc est Bellarm. sententia, viderit ipse quot gradib. absit à castris Suencfeldii. Si autem vult studium nostrū non esse inutile, & spiritum per illud esse efficacem, tùm non contradicit nobis, illud enim fatemur.

à Spiritu ſancto non ſeparamus : Si verò hoc dicis, tum concedimus Maiorem. Sed tum nihil aliud ſequitur, quàm verbum Dei à Spiritu ſ. ſeparatum adeò obſcurum eſſe, vt vera ſententia in rebus controuerſis ex eo erui non poſsit. At hoc noſtram cauſam non lædit. Etſi enim verbum Dei à Spiritus ſ. auxilio ſeparatum non ſufficit ad veram ſententiam in rebus controuerſis oſtendendam: ſufficit tamen ad veram ſententiam in reb. controuerſis oſtendẽdam, quando cum Spiritus ſancti illuminatione coniungitur. Eſt igitur fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter. & eſt perinde ac ſi dicas, verbum Dei abſque Spiritus ſ. auxilio non ſufficit ad veram ſententiam in rebus controuerſis oſtendendam, Ergo prorſus non ſufficit. vel quod idem eſt, etiam cum Spiritus ſancti illuminatione coniunctum non ſufficit ad veram ſententiam in controuerſiis oſtendẽdam. Secundum argumentum ſumitur ex Luc. cap. 24. verſu 27. *Interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ſe ſcripta erant.* Et Actor. 8. cap. verſu 31. *Qui enim poßim, niſi quis mihi præierit.*

Quod abſque interpretatione intelligi non poteſt, hoc eſt adeò obſcurum, vt Laici in eo legendo fruſtrà laborent. Sed Scriptura abſque interpretatione intelligi non poteſt. Ergo Scriptura eſt adeò obſcura, vt à Laicis legendo cognoſci non poſsit.

Reſpondeo Maiorem eſſe falſam. Duo enim ſubalterna inter ſe non pugnant. Ergo quemadmodũ priuatum ſtudium, & publica interpretatio conſiſtere poſſunt, ita etiã interpretatio & priuata lectio

ſe mutuò non tollũt, ſed ſimul cõiungi poſſunt. Ad Minorẽ dico, non omnia prima lectione à nobis apprehendi; Sed quæ primũ erant difficilia, ea deinde reddi facilia, ſi diligens ſtudiũ, & ardens Ieſu Chriſti inuocatio acceſſerit, imò vt Eunuch. primũ legebat, & accedentẽ interpretationẽ non aſpernabatur: ita etiã nos cum publ. interpretatione priuatum ſtudiũ coniũgere debemus. Deinde ex hoc loco colligi poteſt eo tempore nihil fuiſſe vſitatius, q̃ ſcripturã legi à Laicis. Eunuchus n. erat Laicus, & in via ſcripturã legebat. Preterea diſcipuli quos Chriſt' inſtituebat, triſtiſsimo ſpectaculo quaſi ſtupore quodã ita erãt perculſi, vt quod verũ erat, id nemine mõſtrante videre non poſſent. Huc accedit eos nõ de externa intelligentia fuiſſe ſollicitos, externum enim ſcripturę ſenſũ vtcunq; intelligebãt: ſed de interna πληροφορία laboraſſe. Hoc conſtat ex iis verbis Luc. 24. v. 21. *nos aũt ſperabamus illum eſſe, qui redempturus eſſet Iſraël.* Atque hanc internam certiorationem à nobis priuato ſtudio apprehendi non poſſe, iam antè oſtẽdimus: non igitur ſi omnia diligenter expendũtur, ex hoc loco plus colligi poteſt, quàm interpretationẽ ſcripturæ eſſe in Eccleſia neceſſariã, at hoc nunquam negauimus, ſic igitur argumentum corrigendum.

Illud ſine quo ſcriptura intelligi non poteſt, eſt in Eccleſia retinendum. Sed ſine interpretatione ſcriptura in Eccleſia intelligi non poteſt. Interpretatio igitur in Eccleſia retinenda eſt. Hoc autem libenter concedimus, neque aliud quippiam ex hoc argumento colligi poteſt.

Poſtremò

Postremò Eunuchus fuit valdè rudis in scriptura, quod constat ex vers. 34. capitis 8. Actor. *Rogo te de quo Propheta hoc dicit? de se ipso, an de alio quopiam.* Discipuli verò obstupefacti supplicio Christi videre non potuerunt. Quid mirum igitur, si interpretatione opus habuerũt? Si verò argum. ad cõtrouersiá accõmodari debet, formandũ est in hunc modũ.

Quod absque interpretatione intelligi nequit, hoc adeò obscurum est, vt vera sententia, in rebus controuersis, ex eo colligi nequeat. Sed verbum Dei absque interpretatione intelligi non potest. Ergo verbum Dei adeò obscurum est, vt vera sententia, in rebus controuersis, ex eo colligi nequeat.

Respondeo vt suprà. Maiorem posse duobus modis intelligi. Nempè veram sententiam in rebus controuersis ex scriptura simpliciter colligi nõ posse. Et veram sententiam absque interpretatione ex scriptura colligi nõ posse. Si hoc dicis, tũ non oppugnas nostrá sentent. si illud dicis, tũ argumẽtaris à secũdũ quid ad simpliciter. Perinde n. est, ac si dicas, Vera sentẽtia nõ potest ex scriptura omni interpretatione destituta colligi. Ergo prsus ex ea colligi non potest, vel quod idẽ est, vera sententia in rebus controuersis ex scriptura per rectá interpretationẽ explicata colligi nequit. Tertium argum. deducunt ex 2. Pet. 3 c. v. 16. *vt qui in omnibus ferè Epist. loquatur de istis, inter quæ sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parúmque stabiles detorquent, vt et reliquas Scripturas suo ipsorum exitio.* Ad quem locum addit Bellarminus. *Petrus non dicit quædam esse difficilia indoctis*

indoctis & instabilibus, vt heretici exponunt, sed difficilia absolutè.

Quæ absolutè difficilia sunt, ea opus habent interpretatione, sed quædam in Scriptura absolutè difficilia sunt, Ergo quædam in Scriptura opus habent explicatione.

Respondeo totum argumentum à nobis concedi. Non enim excludimus interpretandi munus ex Ecclesia. Quòd autem ex hoc argumento vult inferre, totam scripturam esse obscuram, nimis insulsum est, à particulari enim ad vniuersale nihil sequitur affirmatiuè. Vt n. non possum dicere, aliquod animal est rationale, Ergo omne animal est rationale. Ita etiam non possum inferre, quædam in scriptura sunt difficilia, Ergo omnia quæ sunt in Scriptura sunt difficilia. Imò ne sequitur quidem, quædam in Scriptura sunt difficilia, Ergo ipsa Scriptura est difficilis. Quemadmodum non sequitur, Quędam in mari sunt pisces, Ergo ipsum mare est piscis. Sæpè enim accidit vt auctor res difficiles perspicuè explicet. Potest igitur scriptum perspicuum esse, & res scripto comprehensæ, obscuræ. Si hoc argumentum ad controuersiam accommodari debet, formãdum est in hunc modum,

Quod absolutè difficile est, hoc adeò obscurum est, vt vera sententia in rebus controuersis ex eo erui non possit. Sed quædam in sacra Scriptura absolutè difficilia sunt. Ergo, tota Scriptura adeò obscura est, vt vera sententia in rebus controuersis ex ea erui non posit.

Sed tum aliud est in conclusione, quàm in præ-

missis

miſsis. Si autem dicis, ſaltem quædam in Scriptura eſſe adeò obſcura, vt vera ſententia in rebus controuerſis ex ea erui non poſsit: tum dico eſſe quatuor terminos. Aliud enim eſt, ipſam Scripturam eſſe difficilem, & aliud, quædam in Scriptura eſſe difficilia. Si verò dicis, in quo ſunt quædam difficilia, hoc adeo obſcurum eſt, vt vera ſententia in rebus controuerſis ex eo colligi non poſsit: Sed in Scriptura, Ergo. Tum reſpondeo Maiorem eſſe falſam. Non n. ſi quædam obſcura ſunt, ideò omnia obſcura ſunt. Si denique dicis, in quo ſunt quædam obſcura, ex eo in quibuſdam vera ſententia erui nequit. Sed in Scriptura, Ergo. Tum etiam Maior eſt falſa. Res n. obſcuræ in aliquo lib. perſpicuè tradi poſſunt. Deĩde aliquod poteſt difficile eſſe, & tamen non prorſus obſcurum. Denique *nihil de iſtis obſcuritatibus eruitur, quod nõ alibi planiſsimè dictum reperiatur*, vt docet Auguſtinus de doct. Chriſt. lib. 2. cap. 6. Difficilia igitur per facilia explicari poſſunt. Sed hæc ſufficiant ad illa argumenta, quæ Bellarminus ex Dei verbo petiuit. Quibus ſi exiſtimat ſe poſſe Laicis ſcripturam ex manibus excutere, valdè errat. Perinde enim eſt, ac ſi diceret, Scriptura eſt difficilis, Ergo omne priuatum ſtudium abijciendum. Cùm potiùs contrarium ſequatur, nempè, Scriptura eſt difficilis, Ergo ſumma nobis diligentia adhibenda eſt, vt eam diſcamus. Sin verò Bellarminus voluit oſtẽdere, omnem ſcripturam ita obſcuram eſſe, vt per ſolam reuelationẽ intelligi poſsit, viderit ipſe, quid ſit Suencfeldio reſponſurus. Sin denique vult quędam in ea obſcura, ac proinde legitima interpreta-

tione

tione explicanda esse, ostendit libidinem pugnandi. Quærit enim pugnam, vbi nulla est controuersia. Omnes enim vltrò & sponte etiam Bellarmino non monente hoc fatemur.

CAPVT III.

Argumenta ex Patribus pro Scripturarum obscuritate adducta, refutantur.

ARgumentis, quæ Bellarminus ex scriptura pro eius obscuritate adduxit, refutatis, diluemus ea quæ pro eadem scripturarum obscuritate ex Patribus sumpsit. Primùm est ex Irenæo libr. 2. cap. 27. *Postquam docuisset in rebus creatis quædam obscura esse, addit nos per Dei gratiam in scripturis quædam scire, quædam autem Deo commendare, vt in hac vita, & futura Deus semper doceat, homo semper discat.*

In quo quædam cognoscimus, quædam ignoramus, hoc totum est obscurum. Sed in scriptura quædam cognoscimus, quædã ignoramus, Ergo tota scriptura est obscura.

Respondeo Maiorem esse falsam. Non enim si quædam sunt obscura, ideò omnia sunt obscura. Verbi gratia: Quædam in homine sunt ossa, Ergo quicquid in homine est, est os; non sequitur. Si verò Maior in hunc modum formatur. In quo quædã cognoscimus, quædam ignoramus, in eo quædam sunt obscura, quædam perspicua, tum illa quidem vera est. Sed nihil aliud concludit, quàm in scriptura quædam obscura esse, quædam perspicua, sed hoc nunquam negauimus. Deinde nõ hoc vult Irenęus, quod colligit Bellarminus, sed propter quædã ista

obſcura, quæ in altera vita ab ipſo Deo diſcemus, vult neminem in hac vita perfectam ſacrarum literarum cognitionem conſequi. At hoc non negamus. Si hoc argumentum ad controuerſiam accōmodari debet, formandum eſt in hunc modum.

In quo ſunt quædam obſcura, ex eo vera ſententia in rebus controuerſis erui non poteſt: In ſcriptura ſunt quædam obſcura, Ergo ex ſcriptura vera ſententia in rebus controuerſis erui non poteſt.

Sed tum maior eſt falſa, illa enim obſcura alicubi clariùs explicantur, ex quorum collatione veritas erui poteſt. Atq; hanc eſſe mentem Irenæi conſtat ex lib. 3. cap. 12. Diſertè enim docet *oſtenſiones, quæ ſunt in Scriptura, non niſi ex Scriptura oſtendi poſſe*. Deinde propter quędam obſcura dicere omnia eſſe obſcura, eſt cum ratione inſanire.

Secundum Argum. ſumit ex Origene lib. 7. cont. Celſum. *Qui docet cordatos viros ſcrutando ſcripturam intellectum eius invenire potuiſſe, licet in ea multa ſint obſcura. Idem* Homil. 12. in Exod. *dicit nobis ſemper orandum eſſe, ut veniat agnus de Tribu, Iuda & nobis librum ſignatum aperiat.*

In quo ſunt multa obſcura, hoc totú obſcurum eſt, ſed in ſcriptura ſunt quędam obſcura. Ergo ſcriptura eſt tota obſcura.

Reſpondeo Maiorem iterum eſſe falſam. Nam nō ſequitur, vt dixi, quædam in ſcriptura obſcura ſunt, Ergo tota ſcriptura obſcura eſt. Si autē vult quædā in ſcriptura obſcura eſſe, tú pugnat ſine aduerſario, libenter enim fatemur quædā in ſcriptura obſcura eſſe

esse. Hoc argumentum ad controuersiam accommodatum refutauimus cap. 2. arg. 3. & cap. 3. arg. 1. Ex. 12. autem Homil. in Exod. Argumentum tale formari potest.

Quod absq; agni reuelatione non intelligimus, hoc prorsus obscurum est, sed scriptura absq; agni reuelatione non intelligitur. Ergo prorsus obscura est.

Priusquam respondeam, dico duplicem esse revelationem, vnam vniuersalem, qua Deus vniuersaliter omnes homines illuminat, hęc illuminatio est naturæ, ipsi naturæ sc. ab initio generationis insita. Alia particularis, solis electis propria. Hæc illuminatio est interna, & semper cũ sanctificatione coniuncta. De hac loquitur Origenes, & si Bellarm. argumentum de ea intelligit, concedimus illud totum: Fatemur enim nullum dogma esse in scriptura, quod nos nostris viribus secundum intellectũ sanctificationis intelligere possumus, semper enim valet ista regula, *animalis homo nõ intelligit ea, quæ sunt spiritus, nec potest intelligere.* 1, Corinth. 2. v. 14. Debemus igitur semper orare, quemadmodũ docet Origenes, *vt agnus veniat de tribu Iuda, & aperiat librũ*, hoc est, vt det nobis Sp. Sanctum, qui nos sanctificet, & mentes nostras illuminet, vt piè viuamus, & verbũ Dei rectè intelligamus. Hoc argumentum ad controuersiam accommodatum refutavimus cap. 2. arg. 1. Tertium argumentum ducit ex Ruffino, qui. lib. 11. cap. 9. docet *Basilium & Nazianzenum omnib. secularibus scientijs expolitos, post quam 13 annos collegæ fuissent, sacræ scripturæ operam dedisse, idq; longo tempore.*

Cui docti viri operam dant,idq́; longo tempore, hoc eſt totum obſcurum,ſed S.ſcriptura eſt id, cui docti viri operam dant, idq́; longo tempore,Ergo S. Scriptura eſt tota obſcura.

Reſpondeo ad Maiorem, non ſequi illud totum obſcurum eſſe,cui docti viri operam dant. Poſſunt enim in eo quædam perſpicua eſſe, quædam obſcura.Ad Minorem dico, eos doctores non qualemcunq; cognitionẽ deſideraſſe, ut quæ laicis ſufficeret; ſed deſideraſſe eximiam eruditionem, qua alios erudire poſſent. Erant enim doctores, & alios docebãt, ſed qui tales ſunt, ab iis requiritur maior ſciẽtia. Quid mirum igitur, ſi Baſilius & Gregorius maiorem diligentiam ad S. literas diſcendas adhibuerunt. Sanè & hoc tempore maior eruditio, maiorq́; diligẽtia requiritur à doctoribus, quàm ab idiotis.Idiotæ enim multa cum laude neſciunt,quæ doctores ſine turpitudine ignorare non poſſunt. Si hoc argumentum ad controuerſiam accommodari debet,formandum eſt in hunc modum,

In quo diſcendo docti viri multum induſtriæ ponunt,hoc adeò obſcurum eſt, vt vera ſententia in rebus cõtrouerſis ex eo erui non poſsit. Sed ſacra Scriptura eſt illud,in quo diſcendo docti viri multum induſtriæ ponunt. Ergo ſacra Scriptura adeò obſcura eſt, vt vera ſententia in rebus controuerſis ex ea erui non poſsit.

Sed tum minor eſt falſa. Nam & in rebus Mathematicis, naturalibus & Iuridicis diſcendis docti viri multum laboris ponunt. Et tamen ex ijs vera ſententia in rebus controuerſis erui poteſt. Eodem

igitur modo, si quis debitum laborem ad res sacras cognoscendas confert, & quotidie Deum de Spiritus sancti gratia interpellat, non dubium est, quin veram sententiam in iis inuenire possit. Quartum argum. est ab auctoritate Chrysost. Is Homil. 40. in Iohan. ad illa verba *Scrutamini scripturas*, dicit, *Non dixit, legite scripturas, sed scrutamini. Diuina n. summa indigent diligentia. Christus relegauit Iudaeos non ad nudam lectionem, sed ad diligentem inuestigationem.*

Quod sine summa diligentia intelligi nequit, hoc totum est obscurum, Sed S. scriptura sine summa diligentia intelligi nequit, Ergo tota S. scriptura est obscura.

Respondeo ad Maiorem. Ex summa diligentia non sequi totalem obscuritatem. Possunt n. quædā esse obscura, quædam perspicua. Deinde Chrysostomus istic non concludit totam scripturā esse obscuram, sed tantùm concludit eam non esse otiosè, neque oscitanter legendā. Quod nos non negamus. Fatemur enim summam simul & diligentiam, & pietatem à sacrarum literarum studiosis requiri.

Quintū argum. sumitur ab auctoritate Ambrosij, is Epist 44. *Scriptura*, inquit, *diuina est, mare habens in se profundos sensus, altitudinem diuinorum ænigmatum.*

Quod habet quosdam profundos sensus, hoc est totum obscurū, sed scriptura habet quosdā ꝓfundos sensus. Ergo tota scriptura est obscura.

Respondeo Maiorem esse falsam, nam vt sæpè dixi, propter quædam obscura, non est necesse, vt omnia sint obscura, neque hanc esse Ambrosij sententiam, potest colligi ex sequentibus, vbi præter pro-

fundos

fundos ſenſus etiã *niueos fluuios eſſe in ſcriptura aſſerit.*
Sextũ argum. ſumitur ab auctoritate Hieronymi, ille in Epiſt. 13. ad Paulinum dicit, *non poſſe ſcripturã diſci ſine magiſtro.* Idem in præf. ad Gal. dicit, *Quanto ſtudio præceptores audierit. Et quodiam vir Alexandriam profectus ſit, vt Didymum de quibuſdam ambiguis interrogaret.* Idem in Epiſtola 119. capite 21. dicit *epiſtolam ad Romanos nimijs obſcuritatibus inuolutam eſſe.* Sed ex his omnibus nihil aliud colligi poteſt, quàm eos, qui volunt in Theologia excellere, debere doctos viros adire, ac diligẽter diſcere: & eſſe in Theologia quædam obſcura. At neutrum vnquam negauimus. Deinde ab omnibus hominibus non requiritur tanta ſcientia, quanta ab Hieronymo.
Septimum Argum. ducitur ab auctoritate Auguſtini. Is lib. 2. de Doctrina Chriſt. capite 6. *Sed multis,* inquit, *& multiplicibus obſcuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt, aliud pro alio ſentiẽtes: Quibuſdam autem locis quid vel falsò ſuſpicentur, nõ inueniunt, ita obſcurè quædam dicta denſiſsimã caliginem obducunt, quod totum prouiſum diuinitùs eſſe non dubito ad edomandam laboris ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facilè inueſtigata plerunque viluerunt.* Reſpondeo Auguſtinũ dicere non omnia, ſed *quædam* eſſe obſcura, atque hoc ex eodem cap. colligi poteſt. *Magnificè,* inquit, *& ſalubriter Spir. ſanctus ſcripturas modificauit, vt locis apertioribus fami ſuccurreret, obſcurioribus aũt faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſsimè dictum alibi reperiatur.* Eodem libro, capite 9. *in ijs,* inquit, *quæ apertè in ſcriptura poſita ſunt, inueniun-*

tur illa omnia , quæ continent fidem moréſque viuendi, ſpem ſcilicet,atque charitatem. Secundus locus eſt ex 12. lib. Confeſſ.cap.14.vbi idem Auguſtinus, *mira*, inquit, *profunditas eloquiorum tuorum,quorum ecce ante nos ſuperficies blandiens paruulis, Sed mira profunditas Deus meus,mira profunditas,horror eſt intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* Reſpondeo nos hoc non negare.Fatemur enim multa eſſe obſcura in ſacra Scriptura,ſed non omnia. Idem enim Auguſtinus lib.2.de doct.Chriſt.cap.8.*in ijs*,inquit,*quæ apertè in ſcripturis poſita ſunt, inueniuntur illa omnia,quæ cōtinent fidem,moreſq; viuendi.*Tertius locus eſt,Epiſt.3. ibi,*Tanta*, inquit,*eſt profunditas Chriſtianarum literarum, vt in eis quotidie proficerem , ſi eas ſolas ab ineunte pueritia vſquè ad decrepitam ſenectutem maximo otio,ſūmo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere, non quod ad ea,quæ neceſſaria ſunt ſaluti , tanta in eis perueniatur difficultate,ſed cùm quiſque ibi fidem tenuerit.ſine qua piè rectèque non viuitur,tam multa, támque multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus reſtant,tantáque non ſolùm in verbis,quibus iſta dicta ſunt, ſed etiam in rebus,quæ intelligendæ ſunt , latet altitudo ſapientiæ,vt annoſiſsimis,acutiſsimis,flagrantiſsimis cupiditate diſcendi hoc contingat,quod eadem Scriptura quodam loco habet,cùm conſummauerit homo, tunc incipit.* Reſpondeo ex his omnibus nihil aliud ſequi, q̃ quædam,nō oīa obſcura eſſe in ſcriptura. Auguſtinus enim eodem loco aſſerit , *Ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti,non magna in eis difficultate inueniri.* Deinde *Modus ipſe*,inquit,*dicendi,quo ſancta Scriptura contexitur, quàm omnibus acceſsibilis,quamuis paucißimis penetrabilis*

bilis, ea quæ aperta cõtinet quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea verò quæ in mysterijs occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quò non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad diuitem, sed inuitat omnes humili sermone, quos non solùm manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Vnde necessariò sequitur non omnia, sed quædam tantùm esse in scripturis obscura. Idem respondeo ad Gregorium, hom. 6. in Ezech. Et vt omnia in pauca cõtraham. Si Bellarminus ex his colligit, Quædam sunt obscura, Ergo omnia sunt obscura, tum aberrat, quemadmodum ostensum est: si autem vult tãtùm quædam esse obscura, non omnia, & propterea in Ecclesia necessariam esse interpretationem, tum pugnat absque aduersario; libenter enim fatemur in scripturis multa obscura esse, asserimus etiam donũ interpretandi esse in Ecclesia retinendum. Si deniq; vult propter quædam ista obscura veram sententiã in rebus controuersis erui non posse, tum contradicit Augustino. Ille enim asserit *de istis obscuritatibus nihil ferè erui, quod non alibi planissimè dictum reperiatur.* l. 2. de Doct. Chr. c. 6. At quæ obscura sunt, illa per ea, quæ planissimè dicta sunt, explicari possunt. Et ob eam caussam vera sententia in rebus controuersis ex scriptura erui potest.

CAPVT IIII.

Argumentorum à re sumptorum pro Obscuritate Canonicarum Scripturarum Refutatio.

PAtrum auctoritatibus de Scripturarum Obscuritatibus explicatis, diluemus argumenta quæ à

re sumuntur. Primum argum. *Quia in Scriptura summa mysteria traduntur.*

In quo traduntur summa mysteria, in eo omnia sunt obscura, sed in scriptura traduntur summa mysteria. Ergo tota scriptura est obscura.

Bellarminus præterita Maiore, probat Minorem, de qua non est controuersia. Fatemur n. in scriptura esse multa mysteria, *quæ nemo principum huius seculi cognouit.* Sed nos concessa Minore, negamus Maiorem. Non enim sequitur omnia esse obscura propter quædam mysteria, quæ in ijs obscura sunt, vt non sequitur omnes homines esse Philosophos, etsi quidam Philosophi sint. Deinde mysteria, quæ in scripturis traduntur, duobus modis sunt obscura, & nō obscura. Primum enim in se, siue sua natura sunt obscura, secundum modū autem doctrinæ, qui & facilimus est, & simplicissimus, non sunt obscura. Per se siue sua natura sunt obscura, vt *Deum esse vnum, et trinum*, rem ipsam vel naturam huius rei nemo penitùs cognoscere potuit. Modo doctrinæ non sunt obscura. Idem enim, nempè *Deum esse vnum & trinum*, tam simplici & perspicua doctrina traditū est, vt & pueris & senibus, viris & fœminis, doctis & indoctis ignotum esse nec possit nec debeat. Deinde eadem mysteria, secundū *oculos naturæ* sunt obscura, secundum *oculos fidei* non sunt obscura. Secundum *oculos naturæ* sunt obscura. Quis enim vnquam naturæ lumine assequi potuit, hæc omnia esse *creata ex nihilo*, vel quis vi ingenij sui intellexit, quomodo *Sara, quæ in iuuentute erat sterilis, in senectute facta sit fecunda.* Eadem credenti, hoc est ei, cui Deus fidem dedit

dedit ad credendum, non sunt obscura. Atque ita ferè intelliguntur omnia illa difficiliora in scripturis. Testis Apost. ad Hebr. cap. 11. v. 3. *Per fidem intelligimus constructum esse mundum verbo Dei, vt quæ cernimus, sint ex non apparentibus facta.* Idem testatur Paulus ad Romanos 4. versu 18. *Qui contra spem sub spe credidit, vt fieret pater multarum gentium: secundum id, quod ei dictum fuerat, ita erit semen tuum. Ac minimè imbecillis fide, non considerauit suum ipsius corpus iam emortuum, cùm centum circiter natus esset annos, nec emortuam vuluam Saræ. Aduersus autem promissionem Dei non disceptauit infidelitate: sed robustus factus est fide, tributa gloria Deo: ac plenè persuasum habens, eum quod promiserat, posse etiam facere.* Ex his apparet illa quæ secundum *naturam* obscura sunt, secundum *fidem* non esse obscura. Sed Laici æquè habent idem, atque homines docti. Quin ipse Christus *gratias agit Patri, quod hæc mysteria reuelauerit paruulis, & absconderit eadē a sapientibus,* Matth. 11, 25. Possunt igitur & Laici illa mysteria intelligere. Postremò istorum mysteriorū est duplex sciētia: vna perfecta, altera quæ ad salutem sufficit, siue quæ ad salutē est necessaria. Perfectam nemo in hac vita consequitur, 1. Corinth. cap. 13. v. 9. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Etsi igitur multi se variè torqueant in illis vel euoluendis, vel inuoluendis: tamen omnes cogimūr cum Augustino dicere, *plura esse in Theologia, quæ nescimus, quàm quæ scimus.* Salutarem verò istam scientiam, quæ in fide, & sancta simplicitate consistit, etiam Laici in hac vita assequi possunt. Non igitur omnia my-

ſteria ita ſunt obſcura in ſacris literis, quin Veritas in rebus controuerſis ex ijs colligi poſsit, & Laici, præſertim fideles in illorum meditatione, lectione, auſcultatione, & ſtudio cum vtilitate verſari poſsint. Secundum Argumentum, Quia *phraſis ſiue modus dicendi eſt in ſcriptura obſcurus.*

In quo quædam dicendi formulæ ſunt obſcuræ, illud totum eſt obſcurum. Sed in ſcriptura quædam dicendi formulæ ſunt obſcuræ. Ergo tota ſcriptura eſt obſcura.

Bellarminus diſsimulata Maioris vanitate, probat Minorem, quæ non eſt controuerſa, & oſtendit in ſacra ſcriptura eſſe *quaſdam non veras, ſed apparentes tantùm antilogias; eſſe* item *quaſdam hyſterologias, Hebraiſmos, Tropos & ſimilia*, & probat illud, quod non eſt neceſſarium, & quod nemo negauit. Sed nos cōceſſa Minore, negamus Maiorem. Etſi enim quædam dicēdi genera in ſcriptura ſunt obſcura, iſthinc tamen non ſequitur totam ſcripturam eſſe obſcurā. Deinde illa talia ſunt, vt adhibito diligenti ſtudio, & ſedula inſtitutione facilè addiſci poſsint. Poſtremò ex iſtis multa ſunt, quæ quidē doctori ſunt cognitu neceſſaria, ſed tamen à Laicis citra periculum ſalutis ignorari poſſunt. Tertium Argumentum, *Quia Lutherani ſcribunt multos Commentarios in vniuerſam ſcripturam.*

In quod Lutherani multos Commentarios ſcribunt, hoc totum eſt obſcurum. Sed Lutherani multos Commentarios ſcribunt in vniuerſam ſcripturam. Ergo tota & vniuerſa ſcriptura eſt obſcura.

Reſpondeo Maiorem eſſe falſam. Poſſet enim ſcriptura intelligi, etiamſi tam multi Commentarii in eam non ſcriberentur. Deinde Commentar. ſcribuntur vt illa quæ mediocriter intelliguntur, meliùs intelligantur. His addo hoc ſeculum laborare multitudine Commentariorum. Lectores enim per lectionem Commentariorum ab ipſo textu abducũtur, & ſunt nonnulla, quæ in iſtis Commẽtarijs (loquor non tantùm de Commentarijs Lutheranis, ſed etiam Papiſticis) non euoluuntur, ſed inuoluuntur; & obſcurantur, non illuſtrantur. Quartum Argumentum. *Quia ipſi Lutherani fatentur in ſcriptura eſſe multa obſcura.*

Quod Lutherani fatentur, hoc eſt verum, Sed Lutherani fatentur in ſcriptura eſſe quædam obſcura. Ergo in ſcriptura ſunt quædam obſcura.

De præmiſsis huius Syllogiſmi nihil dicam. Sunt enim ex Hypotheſi, & ob eam cauſam contra Lutheranos, non pro ijs adduci poſſunt. Ijs igitur miſſis, tantùm dico de concluſione, quæ ſi vera eſt, ſequitur falſum eſſe, quod dixit Bellarminus in principio huius diſputationis, Lutheranos dicere *totam & vniuerſam ſcripturam eſſe facilem & perſpicuam.* Eſſe enim quædam in ſcriptura obſcura, & totam ac vniuerſam ſcripturam eſſe perſpicuam, ſunt contradictoria, & ſimul vera eſſe non poſſunt. At hîc Bellarminus ex eorum ſententia dicit quædam in ſcriptura eſſe obſcura, Ergo falſum eſt, quòd illic ex illorum ſententia dixit, totam ſcripturam eſſe perſpicuam, neque opus habere Interpretatione. Deinde

ex Luth. nunquam probabit Bellarm. omnia in ſcriptura eſſe obſcura. Si igitur ab aliquibus obſcuris, omnia obſcura eſſe diſputat, tum errat, quemadmodum antè oſtenſum eſt. Si verò contendit quædam in ſcripturis obſcura eſſe, & quædam perſpicua, tum pugnat ſine aduerſario. Idē n. aſſerimus, & docemus Interpretationem in Eccleſia neceſſariam eſſe. Libēter n. cum Auguſtino fatemur, *Sp. ſanctum ita modificaſſe ſcripturas, vt locis apertioribus fami ſuccurreret, obſcurioribus faſtidia detergeret, nec quicqua ferè de illis obſcuritatibus erui, quod non planiſsime dictum alibi reperiatur.* de Doctrina Chriſt. lib. 2. cap. 6.

Capvt v.

Orthodoxorum ſententia de Scripturarum Obſcuritate proponitur.

SVperioribus capitibus Papiſtarum argumenta de Scripturæ obſcuritate refutauimus:, ſequitur vt Orthodoxam Eccleſiæ Chriſtianæ ſententiá proponamus, & defendamus. Illa eſt huiuſmodi. In ſacris literis eſſe quædá, non omnia obſcura; ac proinde opus eſſe interpretatione, quædam tamen abſq; interpretatione intelligi poſſe. Deinde ea, quæ obſcura ſunt, ſi ſunt ad ſalutem neceſſaria, per ea, quę ꝑſpicua ſunt, explicari. Ac ꝓinde ſcripturam ita ꝑſpicuá eſſe, vt vera ſententia in rebus controuerſis ex ea erui poſsit. Hác ſententiam eſſe veram primùm probabimus ex ſ. literis, Deut. 30. cap. v. 11. *nam hoc præceptũ, quod præcipio tibi hodie, non eſt occultum à te, neque eſt remotum, Non in cœlo, vt quis dicat, quis aſcendet pro nobis in cœlum, vt tollat illud nobis, & recitet illud nobis, & impleamus illud. neq; trans mare eſt, vt dicas, quis trāsfretabit*

fretabit pro nobis mare, vt afferat illud nobis, et recitet nobis, vt impleamus illud. Sed propinquum est tibi verbum valde, in ore tuo, & corde tuo, vt facias illud.

Quod non est occultum à nobis, neq; est remotum à nobis, sed est nobis propinquũ, in ore & corde nostro, illud prorsus obscurum non est. Sed verbum Dei non est occultũ à nobis, neque remotum à nobis, sed est nobis propinquum, in ore nostro, & in corde nostro. Ergo verbum Dei non est prorsus obscurum.

Bellarminus concessa Maiore respondet ad Minorẽ, ac primùm dicit Mosen loqui non *de facilitate intelligendi scripturã, sed de facilitate implendi*, hoc ꝓbat testimonio Tertulliani, Ambrosij, Chrysostomi. At si hæc responsio vera est, tum etiam de facilitate intelligendi legem non intelligi nõ potest. Nam quod factu facile est, hoc intellectu difficile non est. Sed verbum Dei factu facile est, secundũ hos doctores. Ergo intellectu difficile non est. Maior est manifesta. Nam quod prorsus non intelligimus, hoc facere non possumus. Intelligentia n. actionem præcedit. Minor est vera ex hypothesi. Hac igitur respons. nõ contentus Bellar. addit alteram, *nempè posse etiã intelligi de facilitate cognoscendi.* Quod si ita est, habemus quod volumus. Nam si verbum Dei facile intelllgitur, sequitur illud prorsus obscurum non esse. Sed dicit Bellarminus, id tantùm de Decalogo intelligi debere, hoc probat quod *omne verbum Dei, quod nunc extat, eo tempore non extabat.* Quod enim nondum est, hoc neq; facile neque difficile esse potest. Sed verbũ Dei tum præter Decalog. nullũ erat.

Ergo neque facile, neque difficile esse potuit. Minor huius Syllogismi est falsa. Verbum enim Dei, quod ad salutem necessarium erat, tum erat. Fuit n. in Paradyso promulgatum, & omnes sancti, qui ante Mosen vixerunt, illud obseruarunt, neque vlla est differentia inter verbum Dei ante Mosen, & inter illud, quod est post Mosen, nisi quod ante non fuerit literis comprehensum, post verò literis cõsignatum. Nam quod ad substantiam attinet, verbum non scriptum idem est, quod verbum scriptum. Si igitur omne verbum, quod tempore Mosis erat, facile erat; sequitur verbum non scriptum facile esse. Verbum enim Dei quod tum fuit, non est difficile, sed tum fuit verbum non scriptum. Ergo verbum non scriptum non est difficile. Sed verbum scriptũ quo ad substantiam, & modum salutis consequendæ, nihil aliud est, quàm verbum non scriptum. Ergo & verbum scriptum quo ad substantiam, & modum salutis consequendæ, non est difficile. Maior est vera ex hypothesi. Minorem & eius consequentiam non negabit Bellarminus. Deinde quod dicit falsum est. Cùm enim Moses Deuteronomiũ scriberet, quatuor priores libri scripti erant; vocatur enim δεύτερος νόμος, quod lex in priorib. libris scripta in hoc libro iteratur. Manifestum igitur est quatuor priores libros, & triginta capita quinti lib. eo tempore scripta esse. Si igitur illud verbum, quod tum scriptũ erat, est facile; tum isti quatuor priores lib. & maxima pars 5. lib. hoc est, 30. priora cap. quinti lib. sunt facilia. Isti enim 4. lib. cum 30. prioribus capitibus quinti lib. eo tempore scripti erant.

Quicquid

Quicquid tempore Mosis scriptum fuit, hoc est intellectu facile, sed tempore Mosis 4. priores libri,& maxima pars 5. lib.scripta fuit.Ergo 4. priores libri & maxima pars 5. lib. non est intellectu difficilis.

Maior est vera ex hypothesi, Minorem Bellarminus negare non potest. Præterea quatuor priores libri Mosis cum 30. capitibus quinti libri non sunt intellectu difficiles,sed in ijs scripta sunt, quæcunq; sunt ad salutem necessaria. Ergo quæcunque sunt ad salutem necessaria, illa non sunt intellectu difficilia. Minorem non negabit Bellarminus,Maior est vera ex hypothesi. Sed & alia ratione probari potest tum plura, quàm solum Decalogum scriptum esse. Versu enim 10. meminit non tantùm *preceptorum*, quæ sunt decalogus, sed etiam *statutorũ* vel *ceremoniarum*, quæ non sunt in decalogo. Et versu 16. meminit non tantùm *preceptorum* & *statutorũ*, sed & *Iudiciorum*, quæ etiam non sunt in decalogo. At *statuta & Iudicia eo tempore* scripta erant. Falsum igitur, quod dicit Bellarminus, præter Decalogum eo tẽpore nihil scriptum fuisse. Deinde si omnia illa sunt facilia, quæ illo tempore scripta erant, tum sequitur omnia *precepta*, *statuta*, *& iudicia Iehouæ* esse facilia. Illa enim omnia tum scripta erant. At quicquid est ad salutem necessarium, hoc *preceptis*, *statutis*, *& Iudicijs Iehouæ* continetur. Ergo quod ad salutem necessarium est,hoc non est intellectu difficile. Deinde si quis disputandi gratia concederet solum Decalogum esse intellectu facilem, tamen obtinerem quod volumus. Non enim dicimus totam scripturã

facilem

facilē esse, sed quædā tantùm in scriptura esse facilia. Quod necessariò verū est, si Decal. est intellectu facilis, vt inquit Bellar. Decalog.n.est pars scripturę. Si igitur hæc est Bellar.sentētia, frustrà nobiscū litigat. Præterea tota scriptura diuiditur in Legē & Euangeliū, & quęcūq; in V. & N. Testamēto scripta sunt, illa sunt explicationes Legis & Euāgelij. Vnde seqtur dimidiā scripturæ partē, vtpote quæ vel legē tradit, vel eam explicat, etiā ex Bellar.sentētia esse facilē. Sed vt pedē paulò propius figamus. Bellar.concedit verbū Dei de quo Moses loquitur, facile esse. At loquitur nō de aliqua parte, sed de toto Dei verb. Loquitur n.de *praeceptis, statutis & iudicijs.* At *praecepta, statuta & iudicia* sunt totū Dei verbū. Deinde loqui eum de *lege* cōcedit Bellar. Et loqui eū de Euang. docet Paul. in Epist.ad Rom.c.10.v.6. Loquitur n.de ea lege, *quæ nobis affert iustitiā ex fide.* Illa aūt Lex est Euang. Si igitur illud verbū, de quo loquitur Moses, non est obscurū, sequitur neq; Legē, neq; Euang.esse obscurū. Loquitur n.de *Lege & Euāgelio.* At *Lege & Euang.* cōprehenditur totū Dei verbū. Ergo omne Dei verbū est intellectu facile. Vbi tamen notandū est, multa in Dei verb. ꝓpter corruptionē nostræ naturę esse obscurā. Quæ verò in ijs ita sunt ad salutē necessaria, vt citra eorū cognitionē nemo salu' fieri possit, illa regeneratis sūt facilia. Atq; hęc sent.ex hoc loco Mosis c.30,11. Et ex Pau.ad Rom.10,6.euidēter colligi pt.

Secundum argumentum, ex Psalm.19. v.8. *Testimonium Iehouæ fidele est, sapientem efficiens paruulum, preceptum Iehouæ purum est, illuminans oculos,* Psal.119. v.105. *Lucerna pedi meo verbū tuū, & lumē semitæ meæ.* Prou. 6,23. *Quia vt lucerna est mandatū, & lex vt lux.*

Quod

Quod efficit hominem ſapientem, & illuminat oculos noſtros, item, quod pedes noſtros dirigit,& in via lumen eſt, hoc adeò clarum eſt, vt veram ſententiam in rebus controuerſis oſtendere poſsit,ſed verbũ Dei efficit hoĩem ſapienté,& illuminat oculos noſtros,dirigit pedes noſtros,eſt nobis lumen in via,& affert nobis lucé.Ergo verbũ Dei adeò clarũ eſt,vt verã ſententiã in rebus cõtrouerſis oſtédere poſsit.

Bellarminus conceſſa Maiore reſpondet ad Minorem,& dicit hoc non de tota ſcriptura, ſed de aliqua parte, nempe de *lege Decalogi* intelligendum eſſe. Sed hoc eſt falſum. Dauid enim loquitur de tota lege. Pſalm.enim 19.v.8.meminit *Legis* & *Teſtimonij.* v.9.meminit *Precepti*. Hoc Hieronymus explicat *Nouum Teſtamentum.* v.10.meminit *Iudiciorum.* At hæc omnia non pertinent ad ſolum Decalog. Deinde v.8. dicit *Legem conuertere animam*, at hoc de ſolo Decalogo dici nequit. Cùm igitur legem nominet, & eiuſmodi propria addat, quæ non niſi de Euangelio intelligi poſſunt,manifeſtum eſt,eum non niſi de toto Dei verbo agere. Pſal. autem 119. meminit *Verbi, Legis, Iudiciorum, Teſtimoniorum,Preceptorum, ſtatutorum.* At hæc omnia de ſolo Decalogo accipi non poſſunt. Deinde ipſe Bellarminus hoc de tota ſcriptura explicat *lib.3.cap,2.* *Dauid*,inquit,*nomine legis non intelligit decem illa pracepta ſolùm, ſed omnes diuinas ſcripturas.* Idem docet Auguſtin. Sermone 23. in Pſalm. 118. *Quid eſt hoc verbum*,inquit,*quod ita lumen dicitur,vt Lucerna ſit,niſi verbum intelligamus,quod factum eſt ad Prophetas,vel quod prædicatum eſt per Apoſtolos? Non verbum Chriſtum,ſed verbum Chriſti, de quo*

ſcriptum

ſcriptum eſt, fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Nam & verbum Propheticum lucernæ comparans Apoſtolus Petrus, habemus, inquit, *certiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis intendentes velut lucernæ lucenti in obſcuro loco. Quod itaque hic ait lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis, verbũ eſt, quod ſcripturis ſanctis omnibus continetur.* Hac igitur Reſponſione non contentus Bellarminus, concedit Dauidem agere de tota ſcriptura, & hanc dicit eſſe *lumen* & *lucem*, &c. non *quòd lumen in ſe habeat*, ſed *quòd intellecta lucem afferat*. Sed hic admittit fallaciam conſequentis. Effectum enim dicit cauſę cauſam eſſe. Vult enim ſcripturam ideò lucidam, vel lucem eſſe, quod *intellecta illuſtrat*. Sed hoc eſt manifeſtè falſum. Non enim quia ſcriptura intellecta illuſtrat, ideò lux eſt, Sed quia lux eſt, ideò illuminat, & lucem affert. Quod item dicit *ſcripturam lucidam non eſſe, niſi nos intelligamus eam*, falſum eſt; quemadmodũ enim Sol lucidus eſt, etiamſi omnes homines eſſent cæci; eodem etiam modo ſcriptura lucida eſt, etiamſi omnes homines ſuos oculos ab ea auerterent. Neque tamen negamus *ſcripturam intellectam illuminare mentes noſtras*, ſed non propterea lucida eſt, quòd à nobis intelligitur. Ita enim illius lux penderet à noſtra intelligentia; & ſi nos eam intelligeremus, eſſet lucida; Si verò non intelligeremus, non eſſet lucida. Vel quod idem eſt; ſi hic homo eam intelligeret, eſſet lucida; ſi alter eam non intelligeret, non eſſet lucida; atque ita vno eodemque tempore eſſet lucida, & non lucida. Vtrumque æquè abſurdum. Vt autem hoc rectiùs intelligatur, explicabo paulò latiùs.

Scriptura dicitur duobus modis lucida, vno, *respectu sui*, altero, *respectu nostri*. Respectu sui, semper per se est lucida, & lucem semper in se habet. Respectu nostri, est nobis lucida, quando nos eam percipim⁹. Hoc est, quæ semper in se lucida est, illa etiam nobis incipit lucida fieri, cùm nos eius lucem percipimus. Dum igitur Bellarminus dicit,

Quod nobis lucidum non est, hoc omnino lucidum non est, Scriptura non intellecta nobis lucida non est. Ergo scriptura non intellecta prorsus lucida non est.

Admittit fallaciam à secundum quid, ad simpliciter. Maior enim simpliciter intellecta falsa est. Nā quemadmodum Sol in se lucidus est, etiamsi nobis non sit lucidus, hoc est, etiamsi nos eum non videamus; ita etiam verbum Dei in se semper lucidum est, etiamsi nos illud non intelligamus. Intereà tamen non negamus eos, qui scripturam non intelligunt, vel quibus scriptura propter ignorantiam lucida nō est, non posse controuersias Theologiæ ex scriptura decidere: sed asserimus eos tantùm posse controuersias Theologicas ex scriptura decidere, quibus illa per Spiritum sanctum lucida est. Prætereà quod Bellarminus dicit scripturam non esse lucidam, nisi intellectam, verum non est. Scriptura enim non tantùm lucem in se habet, sed nobis etiam lucem affert, Psalm. 19. versu 9. *Preceptum Iehouæ purum*, inquit Dauid, *illuminans oculos*, hoc est, *aperit oculos nostros, vt se intelligamus*, & v. 8. *Testimonium Domini fidele est, sapientem reddens paruulum*, hoc est, *imperitum instituit, & erudit*. Atque hæc est differentia inter scripturam,

& reliquas luces. Quod reliquæ luces ſplendent quidem, ſed cæcis non ſplendent; Scriptura verò ijs etiam, qui in cæcitate demerſi ſunt, lucem affert, & intelligentiam. Cùm igitur ſcriptura non tantùm in ſe lucida ſit; ſed *noſtros oculos etiam illuminet, & paruulos efficiat ſapientes*, rectè dicimus eam in rebus controuerſis ad veram ſententiam indagandam ſufficere.

Tertium argumentum eſt ex Matth. 5. cap. v. 13. *Vos eſtis lux mundi.*

Omnis lux eſt clara. Sed Apoſtolica doctrina eſt lux mundi. Ergo Apoſtolica doctrina ita clara eſt, vt tenebras à luce, id eſt, errores à veritate diſtinguere poſsit.

Maior eſt manifeſta. Vt enim tenebræ obſcuræ ſunt, ita lux clara eſt, et viam oſtendit. Minor probatur ex loco allegato. Quod autem Apoſtoli ſint lux mundi, de illorum doctrina intelligi debet. Doctrinâ enim vniuerſum mundum illumināt. Hieronymus ad dictum locum. *Docet*, inquam, *fiduciam prædicandi, ne Apoſtoli abſcondantur ob metū, & ſint ſimiles lucernæ ſub modio: ſed tota libertate ſe prodant, vt quod audierunt in cubiculis, prædicent in tectis.* Bellarminus reſpondet, eos *ratione vitæ eſſe lucē mundi.* Hoc quidem non negamus, ſed addimus eos & ratione doctrinæ eſſe lucem mundi. Nam qua re mundum illuſtrant, ea re ſunt lux mundi. Sed Apoſtoli ſua doctrina mundum maximè illuſtrant, Ergo Apoſtoli ſua doctrina maximè ſunt lux mundi. Maior eſt extra controuerſiam poſita. Minoris firmitatem cùm videret Bellarminus, concedit eam, & fatetur Apo-

ſtolorum

ſtolorum doctrinam eſſe lucem mundi: non ſimpliciter,ſed addita hac diſtinctione; nempe Apoſtolorum doctrinam eſſe lucem mundi, *non quòd ſit facilis ad intelligendum, ſed quod intellecta mundum illuſtret.* Hoc etſi à nobis antè refutatum eſt, iterum tamen à nobis excutiendum eſt. Ac primùm inquirendum eſt,an Apoſtolica doctrina non ſit in ſe lux? hoc eſt, an non ſit ſuæ naturæ ratione clara & lucida. An verò tum tantùm ſit lux,cùm à nobis intelligitur?Bellarminus dicit, eam tantùm lucem eſſe, cùm à nobis intelligitur. Non autem in ſe, & ratione ſuæ naturæ lucem eſſe. Nos verò affirmamus eam etiam in ſe lucem eſſe. Omnis enim lux in ſe lux eſt. Sol enim lucidus eſt, etiamſi nullus homo eum videat. Ignis item lucidus eſt, etiamſi à nemine videatur. Vanum igitur eſt, quòd Bellarminus Apoſtolorum doctrinam negat eſſe lucem mundi, niſi à nobis intelligatur. Et vt hoc rectiùs cognoſcatur, meminerimus antè à nobis dictum eſse,omnem lucem duob.modis lucidam eſse, nempè *reſpectu ſui*, & *reſpectu noſtri.* Reſpectu ſui Apoſtolorum doctrina ſemper lucida eſt, neque vnquam lucida eſse non poteſt. Reſpectu autem noſtri lucida eſt, quando nobis lucida eſse incipit, vel quando nos eam apprehendimus. Sol enim reſpectu ſui ſemper lucidus eſt,& quamdiu Sol eſt,non lucidus eſse non poteſt. Homini autem lucidus non eſt,niſi quando ille eum intuetur. Eodē modo Apoſtolica doctrina reſpectu ſui ſemper lux eſt,& quamdiu Apoſtolica doctrina eſt, non lux eſse non poteſt:nobis aūt tum demùm lucida fit, quādo eam intelligere incipimus. Dum igitur Bellarminus

in hunc modum disputat. Nulla lux est lucida, nisi videatur, Doctrina Apostolorum est lux. Ergo Apostolorum doctrina nō est lucida, nisi intelligatur. Dum, inquam, hoc modo disputat, admittit fallaciā à dicto secundum quid, ad simpliciter. Potest enim Sol lucidus esse, etiamsi homini cæco lucidus non sit. Deinde omnis lux clara est, & omnibus lucem affert, nisi sit impedimētum, vt, Sol omnibus hominibus lucem affert, nisi inter nostros oculos & corpus solare sit nubes interiecta, vel nisi homo sit cæcus, vel oculos sponte auertat: eodē modo, Doctrina Apostolorum est nobis lucida, nisi quis sit natura deprauatus, aut à Sathana excæcatus, aut data opera scire nolit. Vt igitur homines Solis luce illustrati, possunt inter tenebras, & lucem distinguere, ita ijdē lumine Apostolicæ doctrinæ illustrati, possunt inter veram & falsam doctrinam discernere. Intereà tamē non volumus reliqua omnia, doctrinam, studium, illustrationem, illuminationē esse superuacua. Hæc non est nostra sententia: sed dicimus eos omnes, qui per Spiritum sanctum sunt illuminati, & qui diligētem operam, studium, & laborem in scriptura cognoscenda posuerunt, posse ex scriptura de falsa & vera doctrina iudicare. Indoctis autem & impiis hominibus hoc iudiciū non concedimus, & vt apertiùs dicamus; dicimus scripturam per Spiritum sanctum nostris mentibus patefactam adeò perspicuā esse, vt ex ea in singulis controuersijs vera sententia à pijs, diligentibus, & doctis hominibus erui posſit, Quod autem Bellarminus dicit, *eam intellectam tantùm lucidam esse*, falsum est. Nam vt antè dictum est,

Scriptura

Scriptura Apoſtolica lux eſt, & lucem in ſe habet, etiamſi omnes homines cæci eſſent, neque hoc tantùm, ſed nobis etiam lucem affert, quemadmodum præcedente argumento oſtendimus. Cùm igitur Apoſtolica doctrina in ſe lucida ſit, & nobis lucem afferat, ſequitur eam ita claram eſſe, vt in rebus controuerſis ex ea vera ſententia erui poſsit.

Quartum Argumentum ex 2. Pet. 1. v. 19. *Habem⁹ firmiſsimũ ſermonem propheticũ, cui rectè facitis, quod attendatis velut lucernæ ſplendenti in obſcuro loco.*

Omnis lucerna ſplendens in obſcuro loco tenebras pellit, & viam monſtrat. Verbum Dei eſt lucerna ſplendens in obſcuro loco, Ergo verbum Dei tenebras pellit, & viam monſtrat, hoc eſt, errores patefacit, & veritatem manifeſtat.

Ex quo argumento hoc deduco.

Quod errores patefacit, & veritatem manifeſtat, hoc eſt ita perſpicuum, vt ex eo in rebus controuerſis vera ſententia indagari poſsit. Verbũ Dei errores patefacit, & veritatem manifeſtat, Ergo verbum Dei adeò perſpicuum eſt, vt ex eo in rebus controuerſis vera ſententia indagari poſsit?

Bellarminus reſpondet ad Maiorem, *Prophetarum doctrinam vocari lucernam ſplendentem, non quòd facile intelligatur, ſed quòd intellecta illuminet.* Ergo niſi intelligatur, non eſt lucerna ſplendens. Idem ſophiſma quod prius. Perinde enim eſt, ac ſi dicas, Sol non eſt lucidus, niſi videatur. At ſi homo faciem auerteret, vel Solem intueri nollet, num propterea Sol non eſſet lucidus? Eſt autem fallacia à nõ cauſſa vt cauſſa.

Non enim quia intelligitur, ideò eſt lucerna ſplendens; Sed quia lucem & claritatem in ſe habet, eamque alijs, in quibus non eſt impedimentum, affert, ideò eſt lucerna ſplendens. Aſpectus n. non eſt cauſa ſplendoris, ſed eius effectus. Splendor aũt, & claritas ſunt cauſæ aſpectus. Poteſt etiã eſſe fallacia cõſequentis. Nam nõ quia facilè intelligitur, ideò eſt lucerna ſplendens, ſed quia eſt lucerna ſplẽdens, ideò facilè intelligitur. Quoniã igitur *ſplendet in obſcuro loco*, ideò facilè videtur, & non contrà, quicquid dicat Bellarminus: Nam non quia Bellarminus Solem videt, ideò Sol clarus eſt. Eſt enim lucidus & clarus, etiamſi Bellarminus eum non videret. Sed quia lucidus eſt, & clarus, ideò eum videt. Planè eodem modo, Non ideò verbum Dei lucidũ eſt, quòd homo illud intelligit, Eſt enim lucidum, etiamſi nullus homo illud intelligeret; ſed quia lucidũ eſt, ideò homo illud intelligit. Poteſt igitur doctrina lucida eſſe, etiãſi tibi lucida non ſit. Dum igitur quod tibi lucidum non eſt, ſimpliciter lucidum eſſe negas, admittis fallaciam à dicto ſecundum quid ad ſimpliciter, vt anteà oſtenſum eſt. Relinquitur igitur, Scripturam & in ſe lucidam eſſe, & nobis lucem afferre, ac proinde ſufficere ad veram ſententiam in dogmatum controuerſijs oſtendendam.

Quintum Argumentum ex 2. Corinth. 4. verſu 3. *Quod ſi tectum eſt Euangelium noſtrum, ijs qui pereunt, tectum eſt.* Vnde apparet illud fidelibus apertum eſſe & clarũ. At quod clarum eſt, & apertũ, hoc ſufficit ad verã ſententiã in rebus controuerſis oſtendendã. Sed doctrina ſcript. clara eſt, & apta. Ergo doctrina

ſcrip.

ſcrip.in reb.cõtrouerſis ad veritatẽ oſtẽdẽdã ſufficit.

Bellarminus Maiore cõceſſa reſpondet ad Minorẽ, & negat *doctrinam ſcripturarum hoc loco per Euangelium ſignificari.* Sed hoc eſt falſum. Omnes n. Patres hunc locum de doctrina accipiunt. Ambroſius ad dictum locum, *Deum,* inquit, *ſecularium hominum oculos occæcare, ne videant gloriã maieſtatis Chriſti.* Hieronymus item hũc locum *de prædicata doctrina* intelligit, *Ita manifeſtum eſt,* inquit, *apud omnes homines, verum eſſe, quod dicimus, vt eorum conſcientia teſtimonium perhibeat nobis, qui reſiſtant.* Deinde ad verba allegata dicit, *Quaſi illi aliquis obiecißet, quòd hanc non oẽs intelligant veritatem. Sed non credentes,* inquit, *vel ſubdoli, nõ fideles.* Chryſoſt. Homil. 8. in ſecundam ad Corinth. *Nihil,* inquit, *habemus adumbratum, neque in vita ſoliũ iſta, ſed etiam in ipſa prædicatione.* & paulò poſt, *Nos verò,* inquit, *prædicationem nudam facimus, vt omnes illam cognoſcant, quòd autem increduli illius virtutem ignorãt, hoc non fit noſtra culpa, ſed illorum ſtupore.* Theophylactus inquit, *Euangelium adeò clarum eſſe, vt etiam impiorum oculos perſtringat, atque ita ferè explicant omnes doctores.* Deinde Paulus hoc eodem capite, verſu 2. ait, *ſe non falſare ſermonem Dei.* Per ſermonem autem Dei intelligit totam doctrinam. Hoc pono extra controuerſiam. At loquitur verſu 3. de eadẽ re, de qua verſu 2. Nam cùm verſu 2. diceret, ſe non falſare ſermonẽ Dei, poſſet obijci, quare igitur omnes non intelligunt ſermonẽ Dei? Hoc præoccupat & dicit, *Si quibus Euangelium opertum eſt, hoc non fieri propter Euangelij obſcuritatem, ſed propter aliam cauſam.* Vnde apparet aut Apoſtolum non ſatisfacere

tacitæ quæſtioni, aut Reſponſionem debere intelligi de eadem re, de qua quærebatur. Sed quærebatur de Sermone Domini. Ergo vox Euangelij etiā de Sermone Domini intelligi debet. Sermo autem Domini eſt doctrina ſcripturarum. Falſum igitur eſt, quod Bellarminus dicit, Euangeliū hoc loco de doctrina ſcripturarum intelligi non debere. Hoc cùm videret Bellarminus, excogitauit aliam Reſpō-ſionem,& dicit hîc agi de *intelligentia, & fide in Chriſtum.* Quod exiſtimo illi vel imprudenter elapſum, vel à veritate extortum eſſe. *Fidem enim & cognitionem Chriſti* accipit per Metonymiam,pro doctrina fidei & cognitionis Chriſti.Concedit igitur doctrinam fidei & cognitionis Chriſti eſſe apertam & facilem. At hoc tantùm volumus. Concedimus enim in ſcripturis multa obſcura eſſe, ſed quæ ad fidem & cognitionem Chriſti pertinent, ea eſſe perſpicua & clara. Si igitur hæc eſt Bellarmini ſententia, inter nos non eſt controuerſia. Quoniam igitur illa quæ ad fidem, & cognitionem Chriſti pertinent, perſpicua & clara ſunt, ſequitur ſcripturam ita perſpicuam eſſe,vt in rebus controuerſis vera ſententia in ijs dogmatis, quæ ad *fidem & cognitionem Chriſti* pertinēt, ex ea erui poſsit. Deinde dicit Bellarminus homines in Veteri Teſtamento *non vidiſſe myſteria Chriſti, niſi per velamen figurarum & vmbrarum. In Nouo autem Teſtamento dicit nos figuris omnibus impletis reuelata facie gloriam Domini ſpectare, & non eſſe anum, vel puerum Chriſtianum, qui non ſciat Deum paſſum, incarnatum, &c.* Vnde apparet myſteria Chriſti, Incarnationem, Paſsionem &c. ſecundum Bellarmini ſentē-

tiam

tiam ita esse clara & perspicua in Nouo Testamẽto, *vt qualibet anus, & puer ea intelligat.* Quod si ita est, tum equidem vera sententia in rebus controuersis, præsertim ad Christi mysteria pertinentib⁹, ex scriptura colligi potest.

CAPVT VI.
Idem probatur ex Patribus.

SCripturam ita perspicuam esse, vt cum Spiritus illuminatione serioq; discẽdi studio coniuncta, sufficiat ad veram sententiam in rebus controuersis ostendendam, probauimus ex ipsa scriptura. Idem nunc probabimus ex testimonio primitiuæ Ecclesiæ. Ac primùm ex Augustino, qui lib. 2. de doctr. Christiana cap. 6. *Magnificè, inquit, & salubriter Spiritus sanctus ita scripturas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret, nihil enim ferè de istis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè alibi dictum reperiatur.*

Quæ doctrina nihil ferè obscurum tractat, quin idẽ alibi planissimè explicet, illa ita perspicua est, vt vera sententia in rebus controuersis ex ea erui posit. Sed verbum Dei nihil ferè obscurum tractat, quin idem alibi planissimè explicet, Ergo verbum Dei ita perspicuum est, vt vera sententia de rebus controuersis, ex eo erui posit.

Bellarminus concessa Maiore respondet ad Minorem, & dicit, Augustinum non simpliciter dicere *omnia esse in verbo Dei planissimè explicata, sed ferè omnia.* Ergo dicit quædam obscura esse, quæ nullo loco

ſunt explicata, vt *Principium & finis Ezechielis.* At hoc nos non negamus;ſed addimus, illa quæ obſcura, & nuſquam explicata ſunt, non eſſe ad ſalutẽ valdè neceſſaria. Quæ verò ad ſalutem neceſſaria ſunt, illa non eſſe obſcura,ſed planiſsimè explicata.Et hoc ex Auguſtino colligi poteſt. Dicit enim eam ad *famem ſedandam ſufficere.* At illa famem non ſedaret, niſi quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, intelligerentur. Hanc eſſe veram Auguſtini mentem, conſtat ex ſermone de blaſphemia in Sp.ſanctum. *Apertis,* inquit, *Scripturæ locis paſcimur,obſcuris exercemur.*Et Tractat. *45.*in Iohann. *Paſcit nos*, inquit, *manifeſtis,exercet occultis.* Ex quibus ſequitur Bellarmine, ea, quibus paſcimur, eſſe manifeſta & clara. At hoc volumus, nempe quę ad ſalutẽ neceſſaria ſunt,nõ eſſe obſcura, ac proinde veram ſententiam de rebus ad ſalutẽ pertinentibus in dogmatis cõtrouerſis,ex ſcriptura colligi poſſe. Cùm igitur Bellarminus videret ſe Auguſtini auctoritate planè conuinci, deflectit ab Auguſtino,& producit duo exempla,quibus probare conatur,Scripturam,ad veram ſententiam in rebus cõtrouerſis oſtendendã, non ſufficere. Primũ eſt Mat. 26.*Hoc eſt corpus meum.* Hæc dicit Papiſtis clara,Zuïglianis obſcura eſſe. Quòd vocat nos Zuinglianos, facit nobis iniuriam. Etſi n. Zuinglium habeamus pro fideli Chriſti miniſtro,vt quiChriſtum non tantùm fideliter prædicauerit, ſed ſuum etiam ſanguinem pro eo fortiter ſuderit: tamen non in Zuinglij, ſed in Chriſti nomine baptizati ſumus, neq; Zuinglium Eccleſiæ noſtrę caput vel Spõſum vllo modo, ſed Chriſtum ſolũ agnoſcimus, & ob eam cauſſã nõ

de

de Zuinglio, sed de Christo nomẽ gerimus. Deinde quòd dicit hunc locum nobis obscurum esse, in eo errat. Explicamus n. hunc locum, vt tota primitiua Ecclesia explicuit. Tertullianus lib. 4. cont. Marcionem, *Acceptum*, inquit, *& distributum discipulis corpus suum, illum fecit, hoc est corpus meum dicendo, hoc est figura corporis mei.* Origenes in Leuitic. Homil. 7. *Agnoscite*, inquit, *quia figuræ sunt, quæ in diuinis voluminibus scripta sunt: & ideò tanquam spirituales & non tanquam carnales examinate & intelligite, quæ dicuntur, si n. quasi carnales ista suscipitis, lædunt vos, & non alunt. Est enim in Euangelio litera quæ occidit: non solùm in Veteri Testamento litera occidens deprehenditur: Est in Nouo Testamento litera quæ occidit eum, qui non quæ spiritualiter dicuntur, aduertit. Si enim secundum literam sequaris, hoc quod dictum est, nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habetis vitam in vobis, occidit hæc litera.* Cyprianus Sermone de Christo, *Dedit igitur Dominus noster in mensa, in qua vltimum participauit cum Apostolis conuiuium, proprijs manibus panem & vinum: in cruce verò manibus militum corpus dedit vulnerandũ. Vt in Apostolis secretiùs impressa sincera veritas, & vera sinceritas exponeret gentibus, quomodo vinum & panis caro esset & sanguis: et quibus rationibus causæ effectibus cõuenirent, & diuersa nomina vel species ad vnã reducerẽtur essentiam, & significãtia & significata ijsdem vocabulis censerentur.* Augustinus contra Adimantum cap. 12. *Non dubitauit*, inquit, *dominus dicere, hoc est corpus meum, cùm daret signum corporis sui*, & in Psalm. 3. *Dominus*, inquit, *Iudam adhibuit ad conuiuiũ, in quo corporis & sanguinis sui figurã adũbrauit.* Theodoret. dial. 1.
Seruator,

Seruator, inquit, *noster nomina mutauit: & corpori quidem id, quod erat symboli, ac signi nomen imposuit: symbolo autem, quod erat corporis.* Ex his apparet nobis hunc locum obscurum non esse, nisi velit Bellarminus eũ toti primitiuæ Ecclesiæ obscurum fuisse. Nam vt primitiua Ecclesia, ita & nos eum intelligimus. Hæc nunc de isto dicto sufficiant. Vberiùs enim id suo loco explicabimus. Alter locus est, quem pro scripturarum obscuritate adducit, Marci 14. *Bibite ex eo omnes.* Hunc locum Papistis facilem, nobis autem obscurum esse asserit. Sed errat. Non esse enim illũ obscurum ostendemus suo loco. Deinde quod dicit, *solis duodecim Apostolis hoc loco calicem concedi,* seipsum implicat. Nam si tantùm duodecim discipulis calix conceditur, certè ad rasos Sacrificulos non pertinet. Illi enim non tantùm ex istis duodecim discipulis, sed ne quidẽ omninò ex Christi discipulis sunt, quemadmodum suo loco ostendemus. Deinde ad quos dixit, *Edite,* ad eosdem dixit, *Bibite.* Sed *edite* dixit ad omnes adultos fideles, Ergo ad eosdẽ dixit *bibite.* Sed nunc non statuimus hunc locum penitùs excutere. Sufficiat ostendisse, eum obscurũ non esse, & orthodoxam Ecclesiam eum rectè cum primitiua Ecclesia cõtra Papistas intelligere, ac ꝓinde scripturam ita perspicuam esse, vt vera sententia de rebus controuersis ex ea erui possit.

Secundum Argumentum, Quod Chrysostomus Homilia 3. de Lazaro. *Apostoli,* inquit, *& Prophetæ omnia contrà fecerunt, manifesta claraq́ꝫ quæ prodiderũt, exposuerunt nobis, veluti communis orbis doctores, vt per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur vel sola lectione.*

Quæ

Quæ ita manifesta & clara sunt, vt vel sola lectiõe intelligi possint, ex ijs in rebus controuersis vera sententia erui potest, Sacra autem scriptura ita manifesta est & clara, vt vel sola lectione intelligi possit. Ergo ex sacra scriptura in rebus controuersis vera sententia erui potest.

Bellarminus concessa Minore respondet ad Maiorem, *& contendit ex Chrysostomi sententia multa esse obscura in sacris Scripturis.* Atqui hoc non negamus. Concedimus n. libẽter in sacris Scripturis esse multa obscura. Sed illa quæ ad salutem necessaria sunt, non esse obscura contendimus. Et illud probamus ex Chrysost. Homil. 3. in poster. ad Thessal. ille probat suam sententiam, & dicit Chrysostomum ad torporem excutiendum multorum, qui possent scripturã legere, si vellent, *illis amplificationibus*, vti. Sed dum Bellarminus probat quædam in scripturis esse obscura, probat rem non necessariam. Illud enim vltrò fatemur. Deinde quum dicit, *multos posse sacram Scripturam cum fructu legere*, si vellent, seipsum implicat; Per *multos* enim, aut eos intelligit, quos Chrysostomus alloquitur, aut errat. Sed tantùm Theologum aberrare à mente Chrysostomi dicendum non est. Ergo eos intelligit, quos Chrysostomus alloquitur. Alloquitur autem *sutores*, *piscatores*, & vt vno verbo dicam, *Idiotas*. Ergo ex Idiotis etiam multi sunt, qui secundum Bellarmini sententiam, scripturam etiam cum fructu legere possunt. Quod si ita est, sequitur scripturam adeò obscuram non esse, vt contendit Bellarminus. Ex cuius enim lectione Idiotę proficere possunt, hoc non est valdè obscurũ.

Sed

Sed ex scripturæ lectione Idiotæ proficere possunt. Ergo scriptura adeò obscura non est: Deinde dicit *ista perspicua, quæ in scripturis sunt, de historijs intelligenda esse*, idque secundum Chrysostomi sententiam. Si Bellarmin. propterea indefinitè loquitur, vt doceat quædam historica esse perspicua, & præter illa etiam, ista quæ sunt ad salutem necessaria, esse perspicua, non habet nos aduersarios. Si autem indefinitam istam locutionem intelligit exclusiuè, & sentit historica tantùm esse perspicua in sacra Scriptura, tum facit Chrysostomo iniuriam. Chrysostomus enim dicit, *Spiritum sanctum ista dispensasse, & attemperasse, quò publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores, Idiotæ illiterati per hos libros salui fierent, ne quis Idiotarum ad hanc difficultatis confugere poßet excusationem, vt omnia facilia conspectu eßent ea, quæ dicuntur, vt & opifex, & famulus, & vidua, & mulier, & omnium hominum indoctißimus, ex audita lectione aliquid lucri & commodi reportaret.* Ex hoc loco apparet non tantùm historica, sed & illa per quæ salui fieri debem', esse in Scripturis perspicua. Quod & totidem verbis dixit Homil. 3. in poster. ad Thessal. Similia dicuntur in Homil. 1. in Iohann. & Homil. 1. in Matth. Concludimus igitur ex Chrysostomi sententia, illa, per quæ saluamur, vel quæ sunt ad salutem necessaria, esse in scripturis perspicua & clara. Idem docet Epiphanius contra Ariomanitas Hæres. 69. *Omnia*, inquit, *sunt clara & lucida, & nihil contrariũ neq; mortis complexus speciem habens in diuina scriptura.* Idem contra Anomeos Hæres. 76. *Omnia clara sunt*, inquit, *in diuina scriptura, His qui ratiocinatione sermonem diuinum*

uinum adire volunt, et non diabolicam operationem in ſeipſos conſciuerunt, ac ſeipſos in barathrum mortis conijcere conantur. Lactantius lib.6. cap.21. *Num Deus,* inquit, *& mentis, & vocis, & linguæ artifex, diſertè loqui non poteſt? imò verò ſumma prouidentia carere ea fuco voluit, quæ diuina ſunt, vt omnes intelligerent, quæ ipſe omnibus loquebatur.* Idem docet Chryſoſt. Homil. 12. in Geneſ. *Scriptura,* inquit, *ſeipſam exponit, & auditorem errare non ſinit,* & in Pſalmum 95. *Neque oportet,* inquit, *quicquam ſine teſtibus dicere, ſolaq́ animi cogitatione. Nam ſi quid dicitur abſque ſcriptura, cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæſitans, & interdum friuolum ſermonem auerſans, interdum vt probabilem recipiens. Verùm vbi è ſcriptura diuinæ vocis prodijt teſtimonium, & loquentis ſermonem, & audientis animum confirmat.* Ex his & ſimilibus cum primitiua Eccleſia concludo ſacram Scripturam ita perſpicuam eſſe, vt ad veram ſententiam in dogmatis controuerſis oſtendendam ſufficiat.

CAPVT VII.
Idem probatur ratione.

PRimitiuæ Eccleſiæ Iudicium de Scripturæ perſpicuitate oſtendimus, & Bellarmini contra illud exceptiones refutauimus capite ſuperiore, nunc idē ratione probabimus, ac primùm, quia ſumma totius Scripturæ, quæ in oratione Dominica, Decalogo, Symbolo & Sacramentis cōſiſtit, habet in ſcriptura apertiſsima teſtimonia.

Quæ in ſcriptura habent apertiſsima & clariſsima teſtimonia, illa adeò perſpicua ſunt, vt vera ſententia

ſententia ex ijs in rebus controuerſis erui poſſit, ſed quæ in Decalogo, Symbolo, & Sacramentis continentur, habent apertiſsima teſtimonia in ſacris literis, Ergo vera ſententia in rebus controuerſis ex Scriptura erui poteſt.

Bellarminus nectit Enthymema, vt tantò faciliùs incautum lectorem decipiat, & dicit *nos propter iſta quædam perſpicua concludere, totam ſcripturam eſse perſpicuam.* Atque ita negat conſequentiam. Bellus homo, cùm non poſsit elabi, fingit ſibi ſomnia, cum quibus relicta controuerſia bellum ineat. Nos autem non dicimus omnem vel totam ſcripturam eſſe perſpicuam, *ſed illa eſse perſpicua, quæ in ſcriptura habent manifeſta, & clara teſtimonia,* & hoc nunquam refutabit Bellarminus, etiamſi omnes ſophiſtarum arculas excuteret. Deinde negat Minorem, hoc eſt Antecedens Enthymematis, & dicit, ſi omnes articuli Chriſtianæ fidei haberēt tam manifeſta ſcripturæ teſtimonia, tum nullæ eſſent in Eccleſia controuerſiæ, q.d.

De quibus eſt controuerſia, illa non ſunt manifeſta, ſed de omnibus articulis Chriſtianæ fidei eſt controuerſia, Ergo nulli articuli Chriſtianæ fidei ſunt perſpicui & clari.

Sed hìc Bellarmine te implicas contradictione. Paulò enim antè dixiſti, *anus & pueros ſcire Deum eſse incarnatum, paſsum, &c.* Argumento etiam 9. dixiſti, *Ruſticos intelligere myſteria Redemptionis.* At ſi hæc adeò perſpicua ſunt, vt ruſtici, anus, pueri ea intelligant, tum vtique non ſunt obſcura. & vice verſa, ſi obſcura ſunt, tum ruſtici, anus, & pueri ea nō intel-
ligunt

ligunt. Deinde Maior est falsa. Non omnia enim obscura sunt, de quibus aliqui controuersiam mouent. Multi enim superbia, & vanitate inflati, etiam illa, quæ clara & perspicua sunt, suis quęstionibus inuoluunt, & obscurant. Alij per liuorem, alij ex præiudicio multis contradicunt; sunt etiam, qui à Diabolo excæcati veritatem agnoscere nō possunt. Logici vocant fallaciam Accidentis. Deinde si omnia controuersa sunt obscura, tum nihil in tota Theologia est perspicuum. Nihil enim est in tota Theologia, de quo non aliquando fuit controuersia. At hoc non vult Bellarminus, fatetur enim in scriptura quædam esse perspicua. Ergo hoc argumentum est infirmum. Cùm igitur omnia illa, quæ in Decalogo, Oratione Dominica, & Sacramētis continentur, habeant perspicua & clara testimonia in sacris literis; sequitur multa esse in sacra Scriptura perspicua, & de ijs posse veram sententiam in rebus controuersis ex scripturis erui.

Secundum Argumentum. *Quia in Veteri Testamento liber erat signatus*, Ezaiæ 29. v. 11. *In Nouo autē Testamento liber est apertus*, Apocalyp. 5. v. 5. Quod apertum est, hoc adeò perspicuum est, vt sufficiat ad veram sententiam in rebus controuersis ostendendam. Sed verbum Dei apertum est. Ergo verbum Dei sufficit ad veram sententiam in rebus controuersis ostendendam. Bellarminus concessa Maiore respondet ad Minorem, & dicit non *totum Dei verbū apertum esse, sed mysteria redemptionis aperta esse concedit, eaq́ ita aperta esse asserit, vt rustici & mulieres ea intelligant.* At nos fatemur totam scripturam apertam

 non

non esse, & mysteria Redemptionis aperta esse cum Bellarmino agnoscimus. Ergo si Bellarminus ex animo loquitur, nulla est inter nos cotrouersia. Nostri ad defendendam orthodoxam sententiam producunt Hieronymum in 44. caput Ezechielis vbi ille hoc eodē modo explicat, atq; nostri. Bellarminus non respondet ad locum Hieronymi allegatum, sed allegat alium locum, ex Epist. 13. ad Paulinum. Vbi Hieronymus dicit *non solùm esse velamen in facie Mosis, sed etiam in facie Euangelistarum, ac proinde orandum nobis cum Propheta, reuela oculos meos. Atq; ita Hieronymum opponit Hieronymo.* Hoc disputandi genus etsi ridiculum est; tamen in gratiam Bellarmini excutiemus. Hieronymus in 44. caput Ezechielis. *Postquã, inquit, ille pependit in cruce, & loquutus est ad Latronē, hodie mecum eris in paradyso, statim velum templi scissum est, & aperta sunt omnia, ablatóq; velamine dicimus nos oēs reuelata facie gloriam Domini contemplantes in eandē faciē transformamur à gloria in gloriam.* Idem Epist. 13. ad Paulinum, *Dicit adhuc hodie manere velamē non solùm in facie Mosis, sed etiam in facie Apostolorum & Euangelistarum. Ideò cum Propheta orandum, reuela oculos meos.* Vtique illa duo, *velamē ablatum est*, & *velamē manet adhuc hodie in facie Mosis & Apostolorum* ex diametro pugnant. Ideò secundum idē & ad idē vera esse non possunt. Proinde si Hieronymus hæc eodem mòdo intellexit, tum aut errauit in Epist. 13. aut in Commentar. ad 44. caput Ezechielis. Elige Bellarmine, quam sententiam voles. Ac proinde desine patrum allegationes tantopere posthac contra nos iactare. Nam si intellexisti hæc pugnare, & tamē allegasti,

allegaſti, tum manifeſtum eſt, te hanc diſputationem inſtituiſſe, non vt lucem afferres, ſed vt tenebras effunderes. Si autem non ſciuiſti Hieronymum de diuerſa intelligentia loqui, tum ſequitur te non eſſe benè verſatum in ſcriptis patrum. Hieronymus enim in 44. caput Ezechielis loquitur de *Intelligentia cum Sp. Sancto coniuncta.* Nam cùm Spiritus Sanctus nobis mẽtes illuſtrat, velamen ablatum eſt. In Epiſt. verò 13. ad Paulinum loquitur de *Intelligentia à Sp. Sancto diſiuncta.* Niſi enim Sp. ſanctus nobis mentes illuſtret, omnis ſcriptura nobis difficilis eſt, & obſcura. Alio igitur modo ſcriptura aperta eſt, & alio modo reuelata. Cùm enim Spiritus S. velamen aufert ab oculis noſtris, & nobis veram fidem largitur, tum nobis ſcriptura aperta eſt, cùm verò velamen non aufert, neque fidem largitur, tum veram ſentẽtiam ſcripturæ aſſequi non poſſumus. Hanc eſſe mẽtem Hieronymi patet ex loco allegato. Dauid enim eo tempore habebat externam intelligentiam ſcripturarum, ſciebat Hebraicè, & hiſtoriam mediocriter intelligebat. Sed præter illam petebat etiam internam intelligẽtiam, hoc eſt, illuminationem à Sp. Sancto, non quod illam omninò non haberet, ſed vt illa in ſe augeretur: Eodem modo aperta eſt nobis ſcriptura ſenſu externo, ſenſu autem interno aperta non eſt, niſi Spiritus Sanctus oculos noſtros reuelet, ac proinde orandum cum Dauide, *reuela oculos meos.* Et quibus oculi reuelati ſunt, illis etiam orandum eſt, vt Spiritus ſanctus illorum oculos quotidie magis ac magis reuelet. Vno verbo, vnus locus de Intelligentia cum Spiritu ſancto coniuncta, alter de

Intelligẽtia à Sp. Sancto disiuncta, vel vnus de principio illuminationis, alter de eius incremento intelligi debet. Atque hæc de conciliatione locorum Hieronymi. Ex quibus apparet neutrum locum rectè intellectum cum nostra sententia pugnare. Etsi enim mysteria Redemptionis externo sensu nobis clara sunt, interno tamen sensu eadem nobis obscura sunt, donec Spiritus sanctus oculos nostros reuelet. Neque nos hoc negamus. Non enim volumus Scripturam à Spiritu sancto disiunctam sufficere ad veram sententiam in rebus controuersis ostendendam; sed contendimus verbum per Spiritum sanctũ intellectum sufficere ad veram sententiam in rebus controuersis ostendendam.

Tertium Argumentum. Quia Patres sua scripta per Scripturam probant.

Per quod Patres sua scripta probant, illud est notius, quàm scripta Patrum, sed scriptura est illud, per quod patres sua scripta probant. Ergo Scriptura est notior, quàm scripta patrum.

Bellarminus exagitat hoc argumentum tanquam Sophisticum, & auctorem Sophistam vocat: sed in eius refutatione præbet se ridiculum, & ostendit se philosophiæ imperitum esse. Respondet ad Maiorem per distinctionem, & dicit Notius accipi dupliciter, nempe *quoad verba*, & *quoad veritatem*. Equidẽ omnes Philosophi, qui hactenus in Scholis auctoritatem habuerunt, dicunt aliud *natura* notius esse, aliud *nobis*. Aristoteles libro 1. Physic. Auscultat. cap. 1. & libro 1. poster. Analyt. cap. 2. & passim. Ita loquuntur omnes docti Thomas, Albertus, Zabarella, Suessa-

Suessanus, Burana, Louanienses, Colonienses, Themistius, Philoponus, Auerrhoës, & vt vno verbo dicam, omnes doctores, qui hactenus in Scholis Philosophorum auditi sunt. Dum igitur Bellarminus à communi loquendi consuetudine discedit, iudicet ipse, an Lutherus, an potiùs ipse Sophistices condẽnari debeat? Sanè quoniam inusitatis & hactenus inauditis phrasibus vtitur, ideò difficiliùs intelligi potest. Quid enim per *Notius veritate*, & *notius verbis* intelligat, nisi ex subiectis exemplis percipi non potest. Illa sunt hæc, *Anima mouetur*, & *Anima vivit.* Inter quas propositiones dicit illam secundum *Noticiam veritatis* notiorem esse. Ergo Notius secũdum veritatem est illi idem, quod *notius nobis*. Moueri enim est effectum vitę, ac proinde notius nobis, quàm viuere, vt ex Aristotele libro 2. de Anima cap. 2. & ex eius expositoribus, Albertò, Thoma, Auerrhöe, Iauello, Titelmanno, Velcurione, & ex alijs cõstat. Deinde & res ips hoc docet. Viuere enim est natura Notius. Nam non quia homo mouetur, ideò viuit: sed quia vivit, ideò mouetur: at viuere & moueri non sunt nobis æquè nota. Ergo moueri est nobis notius. Quod igitur nobis notius est, hoc dicit Bellarminus secundum veritatem notius esse. Vnde sequitur quod Natura notius est, hoc illi secundũ verba notius esse. At dicit sacram Scripturam esse secundum veritatem notiorem, quàm scripta patrũ, hoc est, sacram Scripturam esse nobis notiorem, quã scripta patrum. Deinde dicit sacram Scripturam non esse secundum verba notiorem, quàm scripta patrum, hoc est, Scripturam sacram non esse natura

notiorem, quàm ſcripta patrum. Vtramque ſententiam examinabimus, vtemur autem phraſibus vſitatis. Prima ſententia eſt, ſacram Scripturam eſſe nobis notiorem, quàm ſcripta patrum. Quod ſi verum eſt, tum conſiſtit non tantùm noſtrum Argum. ſed etiam ſequitur ſcripturam apertam & perſpicuã eſſe. Nam quod nobis notum, hoc etiam apertum & manifeſtum eſt. At ſcripta patrum ſecundũ Bellarm. ſunt perſpicua & clara. Ergo & ſcriptura eſt perſpicua & clara. Scriptura n. nobis notior, vt Bellarminus vult, quàm ſcripta patrum. Deinde quemadmodum ex ſcriptis patrũ in reb. controuerſis verã ſententiã eruere poſſum⁹: ita etiam ex ſcriptura in reb. controuerſis veram ſententiã elicere poſſumus. Nã ſi vera ſentẽtia ex eo elici poteſt, quod nobis ignotius eſt, tũ multò magis ex eo, quod nobis notius eſt, colligi poteſt. At ſcripta patrum ſunt ignotiora quoad nos, & tamen ex ijs vera ſentẽtia, ſecundum Papiſtas, in reb. controuerſis elici poteſt. Ergo vera ſentẽtia in reb. controuerſis, multò magis ex ſ. Scriptura (illa n. ſecundum Bellarm. eſt notior quoad nos) colligi poteſt. Secunda ſententia eſt. Sacram Scripturam non eſſe natura notiorem, quàm ſcripta patrum. Sed hoc eſt falſum. Scriptura enim eſt cauſſa omnis veritatis, quæ eſt in ſcriptis patrum. Hoc docet Baſilius Epiſtola 80. *Non putamus iuſtum, obtinentem apud ipſos conſuetudinem legem ac regulam facere rectæ doctrinæ. Igitur Scriptura diuinitùs inſpirata arbiter à nobis conſtituatur, & apud quos inuenta fuerint dogmata diuinis ſermonibus concordantia, his omnino veritatis ſuffragium etiam accedit.* Idem in Moralibus. Summa 79. cap. 1.

Eruditi

Eruditi, inquit, *auditores debent ea probare, quæ à doctoribus dicuntur, & quæ consona sunt scripturæ, suscipere: quæ aliena, reijcere.* Origenes in Ieremiam, *necesse nobis est*, inquit, *Scripturas sanctas in testimonium vocare: Sensus quippe nostri, & enarrationes sine his testibus non habent fidem.* Idem in Matth. Homilia 25. *Ad testimonium omnium verborum, quæ in doctrina quærimus, debemus sensum Scripturæ referre, quasi confirmantem quem exponimus sensum. Sicut enim omne aurum, quod fuerit extra templum, non est sanctificatum, sic omnis sensus, qui fuerit extra scripturam, non est sanctus, quia non continetur à sensu scripturæ.* Chrysostomus in Psalm. 95. *Si quid dicitur*, inquit, *absque scriptura, auditorum cogitatio claudicat. Verùm vbi è Scriptura diuinæ vocis prodit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.* Tertullianus aduersus Hermogenem *Scriptum esse*, inquit, *doceat Hermogenis officina, si non est scriptum, timeat væ illud adijcientibus, aut detrahentibus destinatum.* Ex his manifestum est, sacram scripturam per se veram esse, scripta patrum propter scripturá. Deinde & ipsa ratio hoc docet. Scriptura enim est caussa omnis veritatis, quæ est in scriptis patrum, & ob eam caussam natura est notior, q̃ scripta patrum. Possem hæc prolixiùs persequi, sed quoniam Bellarminus inusitatis terminis vsus est, ideò plura non addam. Hoc tantùm dico, scripturá esse semper natura notiorem, q̃ scripta patrum, non autem semper notiorem quoad nos. Quandoque n. Scriptura est notior nobis q̃ scripta patrum, quandoq; non est. Patres n. sæpè ea, quæ in Scripturis obscura sunt, suis Commentarijs illustrant; sæpè etiam

ea, quæ in ſcripturis perſpicua ſunt, & clara, ſuis cõmentariis inuoluunt & obſcurant. Cùm igitur ſcriptura ſemper ſecundum naturam notior ſit, quàm ſcripta patrum, quandoque etiam nobis notior ſit, quàm ſcripta patrum, & ex ſcriptis patrum, ſecundũ aduerſarios, vera ſententia in rebus controuerſis elici poſsit, manifeſtum eſt ſcripturam in reb⁹ controuerſis ad veram ſententiam oſtendendam ſufficere.

Quartum Argumentum. Quia patres in primitiua Eccleſia ſcripturam abſque commentarijs intellexerunt.

Quod abſque patrum commentarijs in primitiua Eccleſia intelligi potuit, hoc ita perſpicuum eſt, vt ad veram ſententiam in dogmatis controuerſis oſtendendam ſufficiat. Sed ſcriptura tempore primitiuæ Eccleſiæ abſque commentarijs intelligi potuit. Ergo ſcriptura ita perſpicua eſt, vt ad veram ſententiam in dogmatis controuerſis oſtendendam ſufficiat.

Bellarminus cõceſſa Maiore negat Minorẽ, & dicit illos quidẽ *nõ habuiſſe ſcriptos comment.* Sed hoc nihil facit ad rem. Non n. doctrinam, neq; Inſtitutionem ex Eccleſia eijcimus, neq; quæritur, vtrum Inſtitutione in Eccleſia opus ſit, nec ne? Sed quæſtio eſt, an in Scriptura quædam ita ſint perſpicua, vt adhibito diligenti ſtudio & labore, vera ſententia in rebus controuerſis ex ea elici poſsit. Deinde dicit in primitiua Eccleſia *commentar. ſcriptos eſſe ab Irenæo & Iuſtino, & præſertĩ in Apocalypſin*, idq́; probat ex Hier. in Catalogo de viris illuſtribus. C. Iohan. Sed hoc non ſatis liquet. Hierony. n. in eod. lib. C. Irenæus

& capite

& C. Iuſtinus, omnes eorum libros recenſet, huius autem nullam facit mentionem: quod vtique nō feciſſet, ſi ſciuiſſet aliquid ab ijs in hunc librum ſcriptum eſſe. Et ſi maximè ſcripſiſſent in Apocalypſin, tamen iſthinc non ſequeretur, eam ab illis illuſtratā eſſe. Fuerunt n. auctores erroris Chiliaſtarum. Vnde non tam illuſtraſſe, quàm obſcuraſſe ſcripturam meritò dici poſſent. Denique totum argumentū nihil iuuat cauſam Bellarmini. Nam etiamſi Apocalypſis fuerit diligentiſsimè ab ijs illuſtrata, num propterea tota ſcriptura fuit ab illis illuſtrata? Sequitur igitur etiam Bellarmino teſte ſcripturam excepta Apocalypſi, à veteribus, abſque Commentarijs lectam & intellectam eſſe. Deniq; ſequitur ante Iuſtinum & Irenæum vniuerſam ſcripturam abſque commentarijs lectam & intellectam fuiſſe. Hoc ſufficit ad probandum ſcripturam etiam hoc ſeculo, abſque Commentarijs legi & intelligi poſſe, ac proinde quędam in ſcriptura ita perſpicua eſſe, vt vera ſententia in rebus controuerſis, ab hominib. mediocriter doctis, ex ea colligi & erui poſsit.

(:)

FINIS.

duæ sententiæ inter se pugnant. Ergo simul veræ esse non possunt. Nos more nostro priùs destruemus aduersarij sentẽtiam: deinde & nostram immotis argumentis asseremus.

Capvt II.

Scripturæ sensus non est multiplex, & argumenta Bellarmini pro ea opinione destruuntur.

STatu controuersiæ explicato, ad rem ipsam accedemus. Dicit igitur Bellarminus, *Scripturæ sensum esse multiplicem; Literalem siue Grammaticum, & Spiritualem siue Mysticum.* Hoc probat quatuor argumentis, quæ ordine expendemus. Primum argumentũ. Quia Paulus dicit, *ista omnia accidisse Iudæis in figura, & scripta esse ad correctionem nostram,* 1.Cor.10,11. At hoc loco Paulus, neque directè, neque indirectè docet, multiplices esse scripturarum sensus, eosque germanos & genuinos: Sed veterem historiam, quæ secundum literam tantùm intelligenda est, accommodat ad Corinthios, & docet illa, quæ veteribus acciderunt, *esse typos,* id est, imagines, & tabulas, vt in ijs videre poßint, quid fugere, & quid sequi debeant. Item quomodo Deus erga peccatores affectus sit. Deinde dicit, *ea ad nostram correctionẽ scripta esse,* q. d. Illa exempla literis mandata esse, vt in ijs tanquam in imagine quadam videre poßimus, quæ pœna nos maneat, si illorũ facta imitabimur. Secundum argumentum. Quia Hieronymus in secundum cap. Ezechielis dicit, *librum scriptum fuisse antè & retrò, de futuris, & de præteritis; vel certè foris in historia litera, intus intelligentia Spirituali.* Sed neque ex hoc loco probari

bari poteſt, multiplicem eſſe ſcripturarum ſenſum. Ipſe enim Hieronymus dubitauit, quid ſignificaret *externa*, & *interna ſcriptura*. Hoc docet particula, *vel certè*. Deinde Hieronymi verba de ſenſu externo, quo etiam impij ſcripturam intelligunt, & de ſenſu interno, quo Sp. ſanctus ſolis credentibus ſcripturarum intelligentiam obſignat, accipi poſſunt.

Tertium Argumentum. Quia Philo dicit in libro de vita contemplatiua, *Eſſenos exiſtimare, totam legem habere animalis ſimilitudinem, quòd præcepta corpus referant, animam verò ſententiæ retruſiores, ſub velamine verborum abdita.* At hoc nihil notat, quàm Papiſtici dogmatis infirmitatem. Si enim alia pro multiplici ſcripturarum ſenſu argumenta haberent, non peterent patrocinium ab Eſſenis, iuratis Chriſtianæ religionis hoſtibus. Deinde Eſſeni apud Philonem docẽt, *totam legem habere ſimilitudinẽ animalis*, hoc eſt, habere multiplicem ſenſum. At hoc eſt falſum. Sunt enim multa in lege Domini, quæ nullo modo admittunt multiplicem ſenſum. Bellarm. lib. 3. cap. 3. *Non inuenitur Spiritualis ſenſus in omni ſententia ſcripturæ, nec in Teſtamento Veteri, nec in Nouo. Illud enim,* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, *& ſimilia præcepta, nõ habent niſi vnum ſenſum*, id eſt, *literalem.* Præterea anima corpori præſtat: & Philo Spirituałẽ ſenſum cum anima, literalem cum corpore confert. Spiritualis igitur Literali præſtantior eſt. Sed Bellarminus dicit ex *ſolo ſenſu literali peti argumenta efficacia*, & *eum ſenſum, qui ex verbis immediatè colligitur, eſſe ſenſum Spiritus ſancti*, lib. 3. cap. 3. At ſenſus Spiritus Sãcti, & ille, ex quo efficacia argumẽta peti poſſunt,

eſt

eſt præſtantior eo, qui non eſt Spiritus ſanctus, & ex quo non poſſunt efficacia argumenta peti. Ergo ſenſus literalis Spirituali præſtantior. Imprudenter igitur facit Bellarminus, quòd Philonem ad hoc dogma probandum allegat.

Quartum argumentum. *Quia* Nazianzenus ad Nemeſium, *ſicut verbum*, inquit, *Dei genitum habet naturam diuinam inuiſibilem, & humanam viſibilem: ita verbum Dei ſcriptum habet ſenſum externum, & internum.* Sed in meo exēplo nihil eſt Nazianzeni ad Nemeſium. Deinde hoc ipſum intelligi poteſt de externo ſenſu, quo impij ſcripturam intelligunt, & de interno, qui cum plerophoria coniunctus eſt. Præterea ex hoc argumēto ſequitur, ſenſum allegoricum, qui cum inuiſibili verbi natura confertur, eſſe literali præſtantiorem. Sed hoc falſum eſſe, docuimus argumento præcedente. Vt taceam talia media nihil probare. Atque hæc ſunt Bellarmini argumenta pro multiplici ſcripturarum ſenſu.

CAPVT III.

De ſenſu literali proprio, & figurato.

GRammaticum ſenſum definit eum eſſe, *quem verba immediatè præ ſe ferunt.* Hunc diuidit in ſimplicem & figuratum. Simplicem dicit eum eſſe, *qui conſiſtit in proprietate verborum.* Figuratum, *quo verba transferuntur à naturali ſignificatione ad alienam.* At hęc, Bellarmine, ſimpliciter falſa ſunt, & ſe mutua contradictione tollunt. Primùm enim dicis, *Grammaticum ſenſum eum eſſe, quem verba immediatè præ ſe ferunt.* deinde aſſeris alteram ſpeciem ſenſus Grammatici

matici esse, *quando verba à natiua significatione, ad alienam transferuntur.* Hæc duo simul vera esse non possunt, necessariò enim sequitur, te aut genus, aut speciem malè definiuisse. Nam si ille in genere est literalis sensus, *quem verba immediatè præ se ferunt,* tum ille non est literalis, *quo verba à propria significatione ad alienam transferuntur.* Et contrà, si ille sensus est literalis, *quo verba à propria significatione ad alienam transferũtur,* tum ille in generè non est literalis, *quem verba immediatè præ se ferũt.* Duo n. contradictoria de eodem subiecto simul vera esse non possunt. Deinde definitio generis debet omnibus eius speciebus conuenire; vt definitio animalis conuenit homini, & bestiæ. At hæc definitio generis non conuenit omnibus eius speciebus: ad sensum enim figuratum prorsus accommodari non potest. Bellarmini igitur definitione reiecta, dicimus eum esse literalem sensum, *quem literæ,* hoc est, *verba siue propriè, siue impropriè sumpta præ se ferunt.* Huius descriptionis sunt duæ partes: Vna, eum esse literalem sensum, quem verba propriè sumpta, præ se ferunt. Altera, eum esse literalem sensum, quem verba impropriè sumpta præ se ferunt. Thomas prima Parte, Quæstione 1. articulo 10. *Sensus parabolicus,* inquit, *sub literali continetur. Nam per voces significatur aliquid propriè, & aliquid figuratiuè. Nec est literalis sensus ipsa figura, sed ipsum figuratum. Non enim, cùm scriptura nominat Dei brachium, est sensus literalis, quòd in Deo sit membrum huiusmodi corporale, sed id, quod per hoc membrum significatur, sc. virtus operatiua.*

CAPVT

CAPVT IV.

De Sensu Spirituali in genere.

SPiritualem sensum dicit hunc esse, *qui alio res ertur, quàm verba immediatè præ se ferunt.* Sed & hoc falsum est,& se mutua contradictione perimit. Nam sensus literalis, quem figuratum dicit, est,* quo verba à propria significatione transferuntur ad alienam.* At sensus Spiritualis, vt Bellarminus definit, est is, *qui aliò refertur, quàm verba mediatè præ se ferunt,* hoc est, *quo verba à propria significatione ad alienam transferuntur.* Aut igitur sensus literalis figuratus à Spirituali non differt, aut falsæ sunt eius definitiones.

CAPVT V.

De Sensu Spirituali Allegorico.

SPiritualem sensum dicit esse *triplicem, Allegoricum, Anagogicum, & Tropologicum.* Allegoricum vocat, *cùm verba Scripturæ præter literalem sensum significant aliquid in N. Testamento, quod ad Christum, vel ad Ecclesiam pertineat:* In hac definitione penè tot sunt errores, quot sunt verba. Nos vnum atq; alterū indicabimus. Primus error est, quòd sensum allegoricum à Grammatico figurato distinguit. *Allegoria enim de arte Grammatica est*, vt inquit Hieronymus in Epistola ad Gal. cap. 4. Vbi tamen paulò post Hieronymus *sensum allegoricum vocat Spiritualem.* Sed si Allegoricus sensus de Grammatica est, & Allegoricus sensus est Spiritualis : tum & aliquis sensus Spiritualis de Grammatica est. Sed Allegoricum sensum esse Grammaticū, docēt omnes Rhetores. Est enim nihil aliud, *quàm continuata quædam metaphora.*

metaphora. Cicero in Oratore, *Cùm fluxerunt aliæ plures translationes, alia planè fit oratio. Itaque genus hoc Græci appellant ἀλληγορίαν.* Et licet Fabius lib.8.cap.6. aliam adducat definitionem allegoriæ, fatetur tamẽ eam *figuram eſse*, & in eo conſentiunt omnes Rhetores, & Grammatici. Vnde ſequitur, orationem Allegoricam eſſe orationem figuratam: ac proinde, aut Spiritualem ſenſum non eſſe diuerſum à Grammatico, aut Allegoricum ſenſum non eſſe Spiritualem. Deinde dicit in definitione, Allegoriam tum eſſe, *cùm præter literalem ſenſum aliquid ſignificatur, quod ad Chriſtum, & ad Eccleſiam pertinet.* At hoc totum falſum eſt. Nam quæ in alicuius rei definitione ponuntur, illa, vel ſunt iſti rei eſſentialia, vel ſunt iſti rei, in cuius definitione ponuntur, propria, idq́ue quarto modo. Vnde ſequitur, non poſſe Allegoriam eſſe, niſi quando ſignificatio eſt, de Chriſto, & Eccleſia. Sed hoc eſt falſum. Omnes enim̃ prophani libri ſunt allegoriarum pleni. Horatius,

O nauis referent in mare te noui
Fluctus, ô, quid agis, fortiter occupa
Portum. Et multa ſimilia. Vbi tamen nulla ſignificatio de Chriſto, & Eccleſia. Quin ipſe Hieronymus fatetur in *prophanis ſcriptis eſse multas allegorias.* Ad Gal. cap. 4. Prætereà, quod in definitione dicit, eum ſenſum eſſe Allegoricum, cùm verba ſcripturæ *præter literalẽ ſenſum* ſignificant aliquid in Nouo Teſtamẽto, quod ad Chriſtum & Eccleſiam pertineat, hoc poteſt ita reſolui, vt in Allegorijs, & literalis ſenſus ſit ſemper verus, & ille etiam ſit verus, qui præter literalem intelligitur. At hoc non eſt ſemper

verum

verum. In Allegoria enim plerumque *aliud dicitur, & aliud significatur.* Erasm. ad Gal. 4. vel, vt inquit Hieronymus, *aliud prætendit in verbis, & aliud intelligit in sensu,* ad Gal. 4. vel, vt Augustinus inquit in Psalm. 103. *Cùm aliquid aliud videtur sonare in verbis, & aliud in intellectu significare.* At si in Allegorijs aliud dicitur, & aliud intelligitur, tum non vniuersaliter verũ est, & literalem sensum intelligi, & præter illum etiã aliud intelligi. Deinde Allegoria est *continua Metaphora,* vt docet Erasmus ad Gal. 4. & Cicero in Oratore. At sermo totus Metaphoricus secundum proprietatem verborum intellectus de eodem subiecto, plerunque falsus est. Ex eo enim sæpè nullus commodus sensus elici potest, nisi verba à natiua significatione ad alienam transferantur. Sensus igitur Allegoricus, qui propriè & verè Allegoricus est; secundum proprietatem verborum intellectus, plerumque est fictitius. E.G. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis.* Hoc allegoricè intellectum verum est. Si verò secundum verborum proprietatem accipitur; semper falsum est. Christus enim propriè loquendo super aspidem, & basiliscum nunquam ambulauit. Huiusmodi innumera exempla ex sacris literis afferri possunt. Denique cùm præter literalem sensum aliquid in Nouo Testamento significatur, quod ad Christum, & ad Ecclesiam pertinet, illud non est allegoricum, sed typicum. Basil. de Spiritu sancto. cap. 14. ἔστι γὰρ ὁ τύπος προσδοκωμένων δήλωσις, διὰ μιμήσεως ἐνδεικνὺς τὸ μέλλον προϋποφαίνων. *Est enim typus expectandorum declaratio, per imitationem ostendens, quod futurum est.* Istic vide innumera exempla typica, quæ aduersarij alle-

gorias esse somniant. Exemplum, quod Bellarminus adducit, causam non iuuat. Non enim est allegoricum. Quod autem Apostolus ea vocat ἀλληγορούμενα, ad Gal. 4. 24. hoc fit per Catachresin. Chrysostom. *abusiuè figuram dixit allegoriam*. Erasmus ex Chrysostomo docet, *Paulum abusum hac voce Allegoria, pro typo, & figura.* At instas, siue typicum dicatur, siue allegoricum, res eodem redit. Sunt enim duo sensus huius loci. Vnus Literalis, vt verba sonant; alter Typicus, qui præter literalem sensum intelligitur. Respondeo, in ipsis verbis esse veram historiam; & illam historiam esse typum, siue figuram alterius cuiusdam mysterij. Rectè Erasmus, *Apostolus*, inquit, *hic veram historiam refert, quæ typus sit alterius*, ad Gal. 4. Hinc intelligitur, illum sensum, qui ex verbis immediatè colligitur, non aboleri, neque nouos sensus, eosque varios & multiplices affingi; sed literalē sensum manere integrum & saluum, atque ex eo aliquid quod scriptum non est, per similitudinem colligi. E. G. Abraham habuit duas vxores, Agar, & Saram. Ex ijs genuit duos filios, Ismaël & Isaac. Ille natus est vi naturæ, & fuit ab hæreditate exclusus: hic vi promissionis, & fuit hæres. Hæc est literalis huius loci sentētia, à qua neutiquam discedendum est. Verùm ex ea per similitudinem aliud colligi potest, nempè eos Iudæos qui per legem iustitiam quærūt, non iustificari; eos verò, qui eam per fidem apprehendunt, iustitiam obtinere. Abraham enim est typus Dei: Agar est typus legis: Sara Euangelij, Ismaël est typus Iudæorum, ex lege quærentium iustitiam. Isaac verò eorum, qui ex fide quærunt iustitiam. Vt

igitur Ismaël naturali generatione ex Agar genitus, ab hæreditate exclusus est; ita Iudæi quærentes iustitiam per legem, ad iustitiam non peruenient: & vt Isaac vi promissionis genitus est, & hæreditatem obtinuit: ita illi, qui promissionem fide amplectuntur, gratis iustificantur. Hic verò non est nouus sensus; sed est concinna quædam deductio ex priori.

CAPVT VI.

De Sensu Spirituali Tropologico.

ALlegoricum sequitur Tropologicus. Hunc dicit esse, *cùm verba, aut facta referuntur ad aliquid significandum, quod pertineat ad mores.* Vt Deut. 25: *Boui trituranti os non obligabis.* Verus huius loci sensus est: Nos boui, qui pro nobis triturat, alimentũ debere. Vnde optimè per similitudinem colligi potest, eos etiam esse à nobis alendos, qui pro nobis laborant, siue sint bruta animalia, nostris vsibus inseruientia, vt equi, boues: siue sint homines, qui aliquo munere funguntur, vt concionatores, doctores, &c. Verùm hæc deductio non est nouus sensus, sed tantùm accommodatio ad alia. Simile est; *Calamum quassatum non confringet*, Es. 42, 3. Ergo hominem fractum, & penè desperatum, non abijciet. Item *Abraham periculosum bellum suscepit, vt Lothum liberaret.* Ergo amicos nostros in periculis deserere non debemus. Idem *exigua manu debellauit quinque reges.* Ergò victoria non pendet à multitudine pugnantium. Hæc & similia non sunt noui sensus, sed sunt quasi institutiones, siue applicatiões, quæ ex genuinõ sensũ ad populum erudiendũ commodè deduci

possunt. Ob hanc caussam Augustinus in libro de Vtilitate cred. capite 3. omnes scripturæ exponendæ modos recensens, eum præterit. *Quatuor*, inquiens, *modi à quibusdam scripturarum tractatoribus traduntur legis exponendæ; secundum Historiam, secundum Allegoriam, secundum Analogiam, secundum Aetiologiam.* Idē docet in lib. Imperf. de Genes. ad literam, cap. 2.

CAPVT VII.

De Sensu Spirituali Anagogico.

POst Tropologicum ponit Anagogicum: Eum dicit esse, *cùm facta, vel verba referuntur ad vitam æternam significandam.* Pro exemplo adducit illud Psal. 94. *Quibus iuraui in ira mea, si vnquam ingredietur in requiem meam.* At relatio dictorum & factorum ad vitam æternam, non est nouus sensus, sed est eorundem ad vitam æternam applicatio. Quod ad exemplum attinet, illud est figuratum. *Requies* enim per Metonymiam significat terram Chanaan. Terra enim Chanaan erat finis laborum Israëlis, & ob eam caussam requies dicitur. Deinde terra Chanaan per eandem figuram significat regnum cœlorum. Est enim typus regni cœlorum. Dum igitur à typo excludūtur, etiam à re per typum significata excludi iudicantur. Manifestum igitur, hoc exemplum sub Grāmatico sensu comprehendi debere. Nam nō ille tantū Grāmaticus sensus est, *quem verba sub cōmuni, & vsitata significatione referunt:* sed ille etiam Grāmaticus sensus est, *quem verba sub metaphorica significatione repræsentant*, vt docet Sixtus Senens. lib. 3. Biblioth. Vt taceam, nos antè ex Thoma docuisse,

alteram

alteram speciē Grammatici sensus, *nempè sensum figuratum, non esse figuram; sed ipsum figuratum. Vt cùm Scriptura Deo brachium tribuit, non vult Deum habere tale membrum; sed significat Deum habere virtutem operatiuam, quæ per tale membrum significatur*. p. p. q. 1. a. 10. Planè eodem modo: Cùm dicit scriptura, Deum non pati, *vt Iudæi veniant in requiem suam*; innuit, Deum non pati, vt Iudæi perueniant ad illud, quod per requiem significatur. Hic est verus sensus huius loci. Ab hac sententia non videtur Augustinus dissentire. Ille enim in lib. de vtilit. cred. cap. 3. Omnes scripturæ explicandæ modos recenset, & hunc præterit. Idem facit in libro imperfect. de Genesi ad literam cap. 2. Sed & Hieronymus eum præterit ad Hebidiam q. 12. & in Amos cap. 4.

CAPVT VIII.

Allegoricum, Tropologicum, & Anagogicum non esse legitimos Scripturarum sensus.

HActenus ostendimus, quæ sit aduersariorum sententia de multiplici Scripturarum sensu. Nunc ostendemus Allegoricum, Tropologicum, & Anagogicum non esse legitimos, nec genuinos scripturarum sensus, Ac primùm is est genuinus, & legitimus Scripturarum sensus, ex quo efficacia argumenta peti possunt: At ex *solo literali sensu efficacia argumenta peti possunt*: Bellarm. de Verb. Dei, lib. 3. cap. 3. Verùm si ex solo literali sensu efficacia argumenta peti possunt, sequitur, ea ex Allegorico, Tropologico, & Anagogico sensu peti non posse. Deinde is est genuinus, & legitimus Scripturarum sensus

qui est Spiritus sancti. Bellarminus libro 3. cap. 3. de verbo Dei. *At sensus mystici, & Spirituales varij sunt, & licet ædificent, cùm non sunt contra fidem, aut bonos mores: tamen non semper constat, an sint à Spiritu sancto intenti.* Bellarminus de Verbo Dei, libro 3. capite 3. Ergo sensus mystici, & Spirituales, vt Allegoricus (loquor non de vera Allegoria, sed de ea, quæ secundum aduersarios talis est) Tropologicus, & Anagogicus non sunt legitimi, neque genuini Scripturarum sensus. Denique genuinus, & legitimus scripturarum sensus, non ex humano cerebro, sed ex Sp. sancto proficiscitur. *Scriptura enim debet per eundem Spiritum explicari, per quem scripta est.* Bellarminus de verbo Dei, lib. 3. cap. 3. At *sensus Spirituales deducuntur ex humano cerebro.* Sixtus Senens. Biblioth. lib. 3. Deinde genuinus & legitimus scripturarum sensus non est sibi contrarius: sed vt ipsa scriptura sibi per omnia consentanea est: ita verus eius sensus secum per omnia consentit. At sensus Spirituales sæpè inter se pugnant. Addo eos aliquando *ridiculos, & ineptos esse.* Hieronymus in 7. & in 10. caput Esaię. Augustinus Epist. 48. ad Vincent. Vt taceam eos quandoque ipsam scripturam peruertere. Sanè Hieronymus docet, *eiusmodi explanationē vitandam esse, imò esse hæresin, vt quæ manifesta subuertit, & præstigias quasdam Ecclesiis conatur inducere:* in 19. cap. Ieremiæ. *Vnde eorum deliramenta conticescant, qui vmbras & imagines in veritate quærētes, ipsam conantur euertere veritatem, vt flumina & arbores, & paradisum putent se Allegoriæ legibus debere subruere.* Hieronymus in 10. caput Danielis. Idem Hieronymus miratur quosdam

dam *prophetiam, quam Euangelista Matthaus ad Dominum Saluatorem refert, & tunc completum esse dicit, cum Apostoli Dominum fugerent, Allegoricis interpretationibus velle tenuare, & dum plus cupiunt videri nosse, quàm cæteri, veritatis regulam non tenere.* In Zachar. cap. 13. Possem ego hæc pluribus probare; sed non est necesse. Hæc enim sufficiunt ad ostendendum, Spirituales & mysticos sensus non esse genuinos & legitimos scripturarum sensus. Deinde primitiua Ecclesia nihil certi de hac re statuit. Augustinus enim *Anagogicum, & Tropologicum* præterit, de Vtilitate credendi, capite 3. Et in eorum locum substituit Analogicum, & Ætiologicum. Idem facit in lib. Imperfect. de Genesi ad literam, capite 2. Sed & Hieronymus ad Heb. quæstione 12. Anagogicum præterit. Idem facit in Amos cap. 4. Quin Origenem, quem vocat *Allegoricum* (lego Anagogicum: exemplum enim videtur Anagogicum esse) *Interpretem, delirare dicit,* in caput 24. Ieremiæ. Origenes libro 4. περὶ ἀρχῶν, capite 2. tantùm meminit sensus literalis, & Spiritualis. Alij plures comminiscuntur. Vid. libr. 3. Biblioth. Sixti Senensis. Vnde existimo de hac re in primitiua Ecclesia nihil certi statutum fuisse.

CAPVT IX.

Allegorias & Tropologias non in sola S. Scriptura: sed etiam in prophanis libris inueniri.

QVod autem Bellarminus dicit, *Scripturam proptereà habere multiplices sensus, quòd Deum auctorē habeat,* ridiculū est. Nā si ideò habet multiplicē sensū,

tum omnis ſcriptura habet multiplicem ſenſum. Omnis enim ſcriptura à Deo eſt, 2. Tim. 3, 16. *Tota ſcriptura eſt diuinitùs inſpirata*, 2. Pet. 1. 27. *Acti à Sp. Sancto locuti ſunt ſancti Dei homines.* At omnis ſcriptura non habet multiplicem ſenſum. Nam, vt inquit Bellarminus, *Spiritualis ſenſus non inuenitur in omni ſententia Scripturæ, nec in Teſtamento Veteri nec in Nouo. Illud enim*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Deut. 6. & Mat. 22. *& ſimilia præcepta non habent niſi vnum ſenſum.* i. literalē, *vt recte docet Caſsia. Collat. 8. cap. 3.* De Verb. Dei lib. 3. cap. 3. Sed neque ſola Scriptura tales applicationes admittit. Omnes enim prophani libri ſunt pleni Allegorijs, & Tropologijs. Allegorijs plenos eſſe omnes poëtarum, & oratorum libros, fatetur Hieronymus lib. 2. ad Gal. in cap. 4. Et ipſa experientia hoc teſtatur; vt, Πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν, hoc eſt, viri potentis iracundiam non eſſe conuitijs irritandam. Et, *hirūdines ſub eodem tecto ne habeas*, hoc eſt, ingratum conuictorem eſſe ablegandum. Et, *Nouacula in cotem*, hoc eſt, homo lædendi cupidus, incidit in eum, à quo retundi poteſt: & multa ſimilia. Tropologiæ ferè ſunt in ſingulis adagijs, apologis, fabulis. Vt, *donum quodcunque probato*, hoc eſt, omne conſilium, & auxilium, quod ab amico offertur, boni conſulere debes. Et, *ne allia comedas & fabas*, hoc eſt, non debes te in bellum conijcere, neque ad Rempublicā, vel ad iudicia accedere. Quamuis in hoc poſtremo, Allegoria cum Tropologia concurrit. Et, ἄστροις περισκοπῶν τις ἀστεροσκόπος, Πίπτει λεληθὼς πρὸς φρέαρ. Vnde diſcimus, nos non debere abſentia vel futura curare, &

ea, quæ

ea, quæ præſentia ſunt, negligere. Et, *En Rhodus, en ſaltus*, hoc eſt, non debes glorioſè de tuis rebus loqui, niſi eas è veſtigio probare poſsis. Et, *Scarabaus aquilam vlciſci potuit*. Ergo non debemus vllũ hoſtem, quantumuis infirmum contemnere. Similia paſsim occurrunt in profanis libris. Errant igitur, qui dicunt, Allegorias, & Tropologias tantùm in ſacris literis inueniri.

CAPVT X.

Verum & legitimum Scripturarum ſenſum tantùm eſse vnum.

NAm cùm nō ſint plures ſenſus, quàm quatuor: tres videlicet Spirituales, & vnus Grammaticus, & tres iſti non ſint legitimi; ſequitur hunc vnũ legitimum eſſe. Deinde is tantùm eſt legitimus ſenſus, ex quo efficacia argumenta peti poſſunt. Sed *ex ſolo Grammatico efficacia argumenta peti poſſunt*. Bellarminus de Verbo Dei, libro 3, cap. 3. Thom. p. p. q. 1. a. 10. Prætereà ille eſt legitimus ſcripturarum ſenſus, qui eſt Spiritus ſancti. *Sed ille, qui ex verbis immediatè colligitur, eſt ſenſus Spiritus ſancti*. Bellarminus de Verbo Dei, lib. 3. cap. 3. Denique ille eſt legitimus ſcripturarum ſenſus, qui ad dogmatum probationem vim habet. *Sed nulla expoſitio ad dogmatum probationem vim habet, niſi illa, quæ literæ ſententiam verè, purè & germanè explicat*. Sixtus Senenſ. lib. 3. Biblioth. Hucaccedit, verbum Dei eſſe *purum, argentum excoctum in fornace terrea, defæcatum ſeptempliciter*. Pſal. 12,7. hoc eſt, *eſse certum, verum, ratum, atque indubitatum*; idem eſſe, *repurgatum valde*: Pſal. 119. v. 140.

esse rectè dici potest. Chrysostomus homilia 12. in Genes. *Scriptura seipsam exponit, & auditorem errare non sinit.* Sed quod iuxta tam varios sensus explicari potest, hoc auditorem errare sinit. Deinde Lactant. lib. 6. cap. 21. *Num Deus & mentis, & vocis, & linguæ auctor disertè loqui non potest: imò verò summa prouidentia carere fuco voluit ea, quæ diuina sunt, vt omnes intelligerent, quod ipse omnibus loquebatur.* At, quod tam varios sensus admittit, id disertè dictum non est, neque fuco carere (vt iam ante dictum est) rectè dici potest. Falsum igitur est, quod papistæ somniant, *scripturam esse quasi nasum cereum, non præbentem certã & immotam sententiam; sed in varias formas flecti posse.* Censf. Colon. Dialogo 4. Habet enim scriptura tantùm vnum, verum, germanum, & genuinum sensum. Sed hîc interroget aliquis, an nusquam alijs sensibus locus sit? Ad hoc respondeo: Si omnia sine discrimine velimus trãsformare in varios sensus, nihil habebit certi scriptura. Itaque iure reprehenditur Origenes, qui omnia, quantumlibet simpliciter dicta, tamen in Allegorias transformat. Hæc interpretandi ratio maximè labefecit auctoritatem Scripturæ. Nam & Porphyrius hoc nomine irrisit Christianã doctrinã, & scripsit eam nihil habere certi: Si quidẽ non aliter atq; fabulæ poëtarum in alios quosdam sensus, præter Grammaticum, omnia trãsferenda essent. Literalis sensus itaque, quem aliàs historicum seu Grammaticum appellant, semper erui debet: quando is solus certas & perspicuas parit sententias: solus aptus est ad ducenda argumenta, quibus dogmata religionis confirmantur: solus proba-

tiones

tiones necessarias suppeditat, Neque vnquam simplicem & germanam verborum sententiam licet relinquere, nisi aut verbis insint tropi; aut oratio ipsa propriè accepta absurdi, nescio quid, significet, quã ob caussam necesse sit ad tropum confugere. Verùm ne tum quidem à Grammatico sensu discedit ur. *Sensus enim Parabolicus sub literali continetur*, vt inquit Thomas p. p. q. 1. artic. 10. a. 3. Vel sensus literalis non tantùm est is, *quem verba sub vsitata & propria significatione referunt*; sed ille etiam literalis sensus est, *quem verba sub metaphorica*, hoc est, *impropria significatione repræsentant.* Sixtus Senens. lib. 3. Biblioth. Rectè igitur, & prudenter facit, qui sensum literalem rectè sequitur. Illa verò interpretandi forma, quam Augustinus *Aetiologicam* vocat; de Vtilit. cred. cap. 3. & lib. Imperf. de Genesi ad literam cap. 2, ad hoc ipsum genus referri omninò debet. Neque enim in ea à sensu grammatico disceditur: sed tantùm exposita caussa facti, vel dicti, illustrior redditur sentẽtia. Equidem hoc ipsum est valde necessarium in cuiuslibet scripti explicatione. Nam vtile est, vt auctoris consilium sæpè ante oculos ponatur, atque velut digito intento monstretur, quò tendat oratio, quò sit instituta, quantum ponderis singulæ probationes habeant. Alteram interpretandi rationem vocat Augustinus *Analogicam.* Sed neque illa ab interpretatione Grammatica diuelli potest. Nihil n. aliud est, quàm collatio quædam, qua quæ dicta vel facta sunt in Veteri Testamento, conferuntur cum ijs, quæ dicta vel facta inueniuntur in Nouo Testamento. Vt si quis demonstret, verba Christi & Apo-

stolorum

ſtolorum congruere cum ijs, quæ à Moſe & à Prophetis prædicta ſunt. Quiuis enim intelligit, dum illud fit, nequaquã mutari aliquid in ſenſu Grãmatico, ſed tantùm facta collatione, adhibitiſque docendi cauſa exemplis, ſplendorem, euidentiamque orationi accedere. Interpretatio *Tropologica* etiam non eſt remota ab eo ſenſu, quem verba orationis pariunt: ſed eſt accõmodatio eius, quod verbo innuitur, ad vitæ ac morum inſtitutionem. Vt quando obuia eſt hiſtoria inebriati Loth; rectè adijcimus per Tropologiam, ebrietatẽ eſſe modis omnibus fugiendam. Vel ſi quis explicet hiſtoriam Dauidis & Barſabæ, & adijciat, occaſionem peccati eſſe ijs vitãdam, qui peccatum vitare cupiunt. Hoc modo ſcriptura ſecundum literalem ſenſum explicatur, & ex ea colligitur, quod ad vitia fugienda, & ad virtutes expetendas inducit. Et quiſquis vult cum fructu ſacras literas legere, is optima quæque ad ſuam vitã rectè inſtituendam colligere debet. Rectiùs hæc forma Ethica, quàm Tropologica diceretur. Etſi n. τρόπος & modum viuendi, & σχῆμα orationis ſimul ſignificat: tamen ſæpiſsimè pro orationis ſchemate vſurpatur. *Anagoge* reipſa non differt ab Allegoria. Hoc ex vtriuſque definitione, & ex primitiuæ Eccleſiæ auctoritate probabo: Deinde oſtendã quomodo cum literali ſenſu congruat. Dicunt Anagogicam explicationẽ eſſe, *qua ſcriptura ita explicatur, vt à primitiua verborum ſignificatione paululum diſcedẽdo, aliquid colligitur, quod ad cœleſtem gloriam poſt hanc vitam exſpectandam pertinet:* vel, vt inquit Bellarminus, *cùm verba, vel facta ad vitam æternam ſignificandam referuntur,*

referuntur, de Verbo Dei, lib. 3. cap. 3. Allegorica verò interpretatio est, *cùm verba scripturæ, à literali sensu referuntur ad aliquid significandum, quod ad Christum, & ad Ecclesiam pertinet*: Bellar. de Verbo Dei, lib. 3. cap. 3. Vnde apparet, Anagogen, quod ad artificiū, & explicandi formam attinet, ab Allegoria non differre. Quod verò ad materiam attinet, discrimen quidem, sed perquàm exiguum, idque non necessarium incidere. Ob eam causam primitiua Ecclesia has duas species confundit. Sanè Augustinus Anagogē vel prorsus reijcit, vel eam sub Allegoria comprehendit; quod posterius etiam ipse Bellarminus agnoscere cogitur, de Verbo Dei, lib. 3. cap. 3. Deinde cap. 50. de vera religione, ita definit Allegoriam, vt ea, quæ sunt Anagoges propria, disertè ponat in definitione Allegoriæ. *Quis*, inquit, *est modus interpretandæ Allegoriæ? Vtrum à visibilibus antiquioribus, ad visibilia recentiora, eam perducere sufficiat, an vsque ad animæ affectiones atque naturam, an vsque ad incommutabilem æternitatem, &c.* vbi posterius membrum ad Anagogen pertinet. Hieronymus ad Hebidiam quæst. 12. triplicem agnoscit interpretandi formam, nempe *Historicā, Tropologicā, & Spiritualem*. Per Spirituale intelligit vel solā Allegoriam, vel Allegoriā & Anagogē simul. Et ob eā caussam, vel Anagogē non agnouit, vel eam ab Allegoria separandam esse non censuit. Deinde in Comment. ea sæpè vocat Anagogica, quæ sunt Allegorica. Vt Es. cap. 1. ad ista verba, *cognouit bos possessorem suum. Bos per Anagogen*, inquit, *significat Israël, qui portauit onus legis*: Et ad illa verba, *Derelinquetur filia Sion, sicut vmbraculum in*

vinea, Per vineā, inqt, *iuxta Anagogē, significatur homo, cui si mens præfuerit, habet mētis custodē Deū, etc.* Et paulò post ad illa verba; *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis.* Hæc omnia *per Anagogen,* inquit, *possumus referre ad animam sancti quondam viri, in qua prius Dei iustitia cōmorata est, posteà verò in eadem Dæmones commorantur!* Hæc omnia vocat Anagogica. At si quis ea rectè expendet, videbit omnia ad vitam præsentem referri, nec quicquam in ijs contineri, quod ad vitam alteram pertineat. Quam ob caussam Allegorica hæc sunt, non Anagogica. Quin etiam in multis alijs locis Hieronymus hæc miscet. Vnde apparet inter Allegoriam & Anagogiam realem differentiam nullam esse. Sed Allegoriam vt tropum, siue σχῆμα contineri sub sensu Grammatico, iam antè & Hieronymi auctoritate, & ratione probaui, & nunc paulò pleniùs ostendam. In sacris literis extant quędam facta & ceremoniæ, quæ ad id fuerunt institutę, vt aliud quiddam significarent. In his est locus Allegoriæ, (Allegoriam dico ex communi opinione) vt historia Ionæ, qui post triduum reuixit; mactatio Agni paschalis, & aliæ ceremoniæ. In his verò non est literalis sensus abijciendus, sunt enim mandata Dei, quæ non licet mutare sine auctoritate diuina: Sed ipsa facta, & ritus conferuntur cum alijs rebus similibus, quæ alibi simpliciter, & sine figuris propositæ sunt. Nam ea quæ acciderunt ante patefactum Euangelium, aliquid de Euangelio significabant, quæ deinde in Nouo Testamento explicantur. Quare in Euangelij sermone consistere nos oportet, nec præter Grammaticū sensum nouam doctrinam quærere. Allegoria igitur sequitur literalē

sensum

ſenſum, vbi res ſimiles ad literalem ſenſum, velut ad exemplum, aut imaginem cōparare poſsumus. Bellarminus pro exemplo adducit *hiſtoriam de duobus filijs Abrahæ*, ex qua Paulus ad Galat. deducit, eos, qui per legem iuſtitiam quærunt, ab hæreditate excludi, eos verò, qui eandem per fidem apprehendũt, ad hæreditatem regni cœleſtis peruenire. Verùm in hoc exemplo Paulus à literali ſenſu non diſcedit, ſed ex eo per ſimilitudinem quandam aliud concinnè colligit, quemadmodum in pręcedentibus oſtenſum eſt. Similia exempla paſsim occurrunt in ſacris & prophanis literis. Vt ſi quis Apologiam de Aquila & Scarabæo enarrat, ille à literali ſententia non diſcedit, ſed ex ea per ſimilitudinē aliud colligit, nempè nullum hoſtem quantumuis impotētem, & infirmũ contemnendum eſſe. De ſimilibus eſt idem iudiciũ. Cùm igitur Allegorica explicatio ab Anagogica reipſa non differat, atque hæc ipſa, vt & Tropologica, Anagogica, & Aetiologica nullum nouum ſenſum afferant, ſed literalem ſenſum ſaluum relinquant, atque ex eo aliud per ſimilitudinem deducant; manifeſtum eſt, tantùm vnum eſſe germanum, & genuinũ Scripturarum ſenſum, eumque literalem vel grammaticum. Sed hîc obſeruandum eſt, vnum & eundem ſcripturæ locum quandoque ſecundum proprietatem verborum intellectum, abſurdũ ſenſum parere, ſi verò verba ad alienam ſignificationē transferuntur, nihil incommodi ex eo ſequi. Vt Pſal. 91, 13. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis:* hoc ſecundum proprietatē verborum intellectum eſt falſum, ſi verò verba ad alienam ſignificationē transferũtur,

eſt

est verissimum. Et Esa. 65, 26. *Lupus & agnus pascẽtur simul.* Hoc in proprietate verborum est falsum: si verba impropriè, hoc est, Allegoricè accipiuntur, est verum. Quandoque verò verba in natiua significatione intellecta verũ sensum pariunt, & ad rem alienam translata nihil incommodi afferunt, vt: *boui trituranti non obligabis os.* Siue enim de boue, qui triturat, accipis, is alendus est. Siue de homine, qui pro te laborat, & per bouem triturantem significatur, accipis, is etiam alendus est. Verùm in vtraque specie à literali sensu non disceditur. In illa non discedi à literali sensu manifestum est. Nam, vt ante probaui, ille etiam literalis, siue Grammaticus sensus est, *quem verba in aliena, siue metaphorica significatione repræsentant:* vt cùm scriptura Deo brachium tribuit, non vult Deum hoc membrũ habere; sed illud, quod per hoc membrum significatur. Ita lupus & agnus, in N. Testamento non simul pascentur; sed illi, qui per lupum & agnum significantur. In hac verò à literali sensu etiam non disceditur. Locus enim intelligitur, vt verba sonant; deinde ex eo aliud per similitudinem colligitur. V. G. Bos qui triturat alendus est. Ergo per similitudinem, quicunque pro te laborat, ei alimentum denegare non debes.

CAPVT XI.

Plenior Allegorici sensus explicatio.

ETsi ex præcedentibus satis intelligi posſit, quid de Allegoria sentiendum sit: tamen paulò plenius de ea differemus, & simul ostendemus, quando ad eam confugere debeamus, & quomodo à typo

differat. Ac primùm videndum est, quid sit? Augustinus vult eam esse *tropum, quo aliud ex alio intelligitur*, de Trinitat. libro 15. cap. 9. At hæc definitio nimis latè vagatur. Nam & per Synecdochen, & per Metonymiam, & per Metaphoram, & per Ironiam ex alio aliud intelligitur. Hieronymus dicit, *Allegoriam aliud prætendere in verbis, & aliud significare in sensu*, ad Galatas, capite 4. Sed & hæc est latior, quàm par est. Omnes enim tropi, quos iam nominaui, aliud prætendunt in verbis, & aliud significant in sensu. Bellarminus dicit eam esse, *cùm verba Scripturæ præter literalem sensum aliquid in Nouo Testamento significant, quod ad Christum & ad Ecclesiam pertinet*, de Verbo Dei, libro 3. capite 3. Sed iam antè ostensum est, non omnem Allegoriam præter literalem sensum aliquid aliud significare: neque omnem Allegoriam esse in Nouo Testamento; neque omnẽ Allegoriam significare aliquid de Christo. Vt taceam hanc definitionem magis conuenire typo, quã Allegoriæ. His igitur definitionibus posthabitis, dicimus Allegoriam nihil aliud esse, quàm *continuam Metaphoram*, & in hoc differre à Metaphora, quod hæc vnum atque alterum verbum in aliqua sententia; illa verò totam sententiam à natiua significatione ad alienam transferat. Vt, *Deus eripuit me ex ore Leonis*, 2. ad Tim. cap. 4, 17. Est Metaphora; os n. Leonis posuit pro potestate Neronis: reliqua accipiuntur propriè. At, hæc sententia, *semen mulieris conteret caput serpentis*, Genes. 3. est Allegoria. Tota enim sententia à natiua significatione ad alienam transfertur. *Semen mulieris*, pro eo, qui ex muliere nascitu-

nasciturus erat. *Serpens*, pro Sathana, *conteret*, pro superabit. Est enim idem, ac si dicas, Iesus Christus filius virginis destruct opera Diaboli. Hæc est vera & orthodoxa doctrina de Allegoria. Iam verò in quibusdam locis verba vel propriè, vel impropriè accepta, rectè explicantur, & ex ijs per similitudinē aliquid colligitur. Exempla sunt passim obuia. At talis collectio, quæ ex Grammatico sensu per similitudinē deducitur, non est nouus sensus, sed est tantùm eius, quod explicatum est, ad rem præsentem applicatio, vt antè ostensum est. Hæc de Allegoriæ definitione sufficiant. Nunc ostendemus, quando scripturam per Allegoriam explicare debeamus. Et licet ea res certis regulis coërceri vix possit, dabimus tamen operam, vt ijs, qui veritatem intelligere cupiunt, veram viam ostendamus. Dicimus igitur, tres causas esse, ob quas ad Allegorias confugiendum est, Prima, cùm verba propriè intellecta, absurditatem pariunt. vt, Rom. 12, 20. *Carbones ignis coaceruabis super caput eius*, hoc est, inimici animus emollietur per accepta beneficia. Secunda, cùm verba propriè intellecta flagitium notant, vt Iohann. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, hoc est, nisi passioni Domini communicaueritis, & memoria recolueritis, carnem eius pro nobis crucifixam esse. Tertia, cùm verba propriè accepta falsitatē arguunt, vt Psal. 91, 13. *Super Aspidem & Basiliscum ambulabis*, hoc est, incolumis euades ex omnib. periculis tuis, vel quod idem est, superabis ea, quæ per Aspidem & Basiliscū significantur. In reliquis rectè feceris, si ab Allegoria abstinueris, nisi ex aliqua sententia, per Allegoriā

aliquid commodè ad rem præsentẽ accommodari posſit. Sed tum, vt dixi, non fit nouus ſenſus; ſed tantùm fit enarrati loci ad rem præſentem applicatio. Cæterũ Allegoricę iſtæ & explicatiões & applicationes nõ habẽt vim argumenti, niſi alibi manifeſta aliqua ſcriptura confirmentur. Auguſt. n. in epiſtola ad Vincent. dicit, *eum impudentiſsimè facere, qui aliquid in Allegoria poſitum pro ſe interpretatur, niſi habeat manifeſtiſsima teſtimonia, quorum lumine illuſtrantur obſcura.* Chryſoſtomus in 5. caput Eſaiæ. *Hæc lex,* inquit, *vbicunque locorum diuinæ ſcripturæ eſt, ſi quando Allegorico ſenſu quiduis tegit, ſubnectere conſueuit, & interpretationem Allegoriæ, vt qui volunt omnia pro libidine ad Allegoriam trahere, non verſentur in errore.* Hieronymus in 13. caput Matthæi dicit, *parabolam, & dubiam ænigmatum explicationem, nihil poſſe ad dogmatũ probationem proficere.* Quin ipſe Thomas diſertè dicit, *Spiritualem ſenſum nihil continere fidei neceſſarium, niſi Scriptura idem per literalem ſenſum alibi manifeſtè tradat.* p. p. q. 1. a. 10. Hæc de Allegoria ſufficiant. Definitio verò illa Allegoriæ, quam Bellarmin. poſuit, magis conuenit Typo, quàm Allegoriæ. Eſt enim Typus, cùm factũ aliquod accerſitur è Veteri Teſtamento, idq́ue oſtenditur præſignificaſſe vel obumbraſſe aliquid geſtum, vel gerendum in Nouo Teſtamento. Vt, Ionas deuoratus à piſce, & poſt triduũ eiectus, eſt typus Chriſti ſepulti, & poſt triduũ ſuſcitati. Serpens æneus eſt typus Chriſti. Iudæi, qui per aſpectum ſanabantur, ſunt typi eorum, qui per fidem in Chriſtum iuſtificantur. Duo filij Abrahæ ſunt typi eorum, qui per legẽ, & per fidẽ quærunt

iuſtitiam.

iuſtitiam. Mare rubrũ eſt typus Baptiſmi. Petra eſt typus Chriſti. Et multa alia. Verùm in his non gignitur nouus ſenſus, neque literalis ſenſus conuellitur, neque ei nouus ſenſus affingitur. Sed literalis ſenſus manet ſaluus, & integer, vt antè dictum eſt, & ex eo per ſimilitudinẽ illud colligitur, quod iam antè per eum obumbratum, & præfiguratum erat. Cùm igitur Allegoria ſit de Grammatica, & typus nullum nouum ſenſum afferat; ſed illud ex literali ſenſu colligat, quod per eum iam ante fuit præfiguratum, & obumbratum. Cùm deniq; Anagoge & Tropologia nullum nouũ ſenſum pariant, ſed literalem ſaluum & integrum relinquant, & ex eo aliquid per ſimilitudinẽ diducant, quod ad rem præſentẽ accõmodent; manifeſtum eſt, tantùm vnũ eſſe genuinũ & legitimum ſenſum canonicarum Scripturarum.

(:)

FINIS.

SIBRANDI LVBBERTI De *Principiis Christianorum dogmatum* Liber sextus.

CAPVT I.

Status controuersiæ proponitur.

GEnuinum & legitimum sensum Canonicarum Scripturarum tantùm esse vnum, ostendimus libro superiori. Sequitur, vt, quisnam ille sit, ostendamus. Aduersarij dicunt eum esse legitimum & verum Scripturarum sensum, *quem approbat Papa Romanus cum Concilio*. Bellarminus de Verbo Dei, libro 3. capite 3. Vel quem solus Papa approbat. Vt idem Bellarminus docet in controuersia de Papa & de Concilijs. Orthodoxi verò dicunt approbationem Papæ nec veram causam, nec verum signum legitimi sensus esse; sed verum eius signum esse analogiam fidei. Ac proinde asserunt eum esse verum & genuinũ Scripturarum sensum, qui ex verbis siue propriè siue impropriè acceptis immediatè colligitur, & cum fidei analogia cõgruit.

CAPVT

Capvt II.

Destruuntur argumenta, quibus Bellarminus ex Veteri Testamento probare conatus est, Interpretationem Papa esse sensum Spiritus Sancti.

STatu controuersiæ cognito, aduersariorum argumenta destruemus. Illi probant suam sententiam multis argumentis, quæ omnia ad 6. classes reduci possunt. Nos ea ordine expendemus. Prima classis est eorum argumentorum, quæ ducuntur ex Veteri Testamento. Ac primùm ex Exod. cap. 18. versu 13. & deinceps, *vbi Moses dicitur omnes causas diiudicasse.*

Quicquid fecit Moses in Ecclesia Iudaica, hoc etiam Papa facere debet in Ecclesia Christiana: Sed Moses in Ecclesia Iudaica iudicauit omnes caussas. Ergo Papæ interpretatio in Ecclesia Christiana est sensus Sp. sancti.

Respondeo aliud esse in conclusione, quàm in præmissis. Quæstio enim est, an Papæ interpretatio sit verus sensus Scripturæ. Huius neque subiectum, neque prædicatum est in præmissis. Deinde & Maior falsa est. Moses enim fuit *Propheta*, Deut. 18. v. 15. Papa autem non est propheta. Deinde Moses est *immediatè à Deo vocatus*, Exod. 3. v. 10. At Papa neque mediatè, neque immediatè à Deo vocatus est, quemadmodum suo loco ostendemus.Ettereà *Moses vertit virgam in colubrum*, Exod. 7. v. 10. Et vertit *aquam in sanguinem*, Exod. 7, v. 19. *Extensa manu super aquas produxit ranas*, Exod. 8. v. 6. *Percusso*

puluere adduxit pediculos, Exod. 8. v. 17. *Sparso cinere fornacis concitauit varia vlcera*, Exod. 9. v. 10. *Extensa manu produxit locustas*, Exod. 10. v. 12. *Extensa item manu produxit tenebras*, Exod. 10. v. 22. *Virga diuisit mare*, Exod. 14. v. 16. *E percussa petra eduxit aquam*, Exod. 18. v. 6. *Eleuatione manus profligauit Amelech.* Exod. 18. v. 11. Si igitur Papa & Moses habent idem officium, faciat & hæc Papa Romanus, & habebim' ei fidem. Si autem hæc facere non potest, manifestũ est eum cum Mose nõ habere eandem vocationem. Denique Moses fuit extraordinarius, & eius officiũ fuit extraordinarium. Papa autem est ordinarius, & eius officium est ordinarium. Non igitur Papa & Moses habent idem officium. Prætereà si omnia quę in Iudaica Ecclesia facta sunt, debent fieri in Ecclesia Christiana, tum omnes ciuiles lites ab vno ciuili magistratu determinari debent. Nam ita factum est apud Iudæos per Mosem. Sed hoc apud Christianos fieri non debet. Ergo neque omnes Ecclesiasticæ caussæ ab vno determinari debent. Deinde Moses habuit expressum mandatum de eo, Exod. 3. v. 7. Ostendat Papa Roman. expressum mandatum. Postremò disputatio de Mose nihil facit ad rem. Nam si Moses ratione officij iudicauit omnes lites Ecclesiasticas, hoc fecit vel respectu Regni, vel Prophetię, vel Sacerdotij. At nõ fecit respectu regni; Iudicare n. caussas Ecclesiasticas non pertinet ad Regem. Neq; respectu prophetiæ. Aaron enim & eius successores id etiam fecerunt, nec tamen fuerunt prophetæ. Ergo si fecit, fecit ratione sacerdotij. Volunt enim
hoc

hoc supremum iudicium pertinere ad sacerdotem. At Moses non fuit Sacerdos. Aaron enim erat Sacerdos. Sed dicis ex Psalm. 99. v. 6. Moses & Aaron inter Sacerdotes eius. Respondeo vocem כוהן apud Hebræos esse æquivocam. Quandoque enim significat Sacerdotem, aliquando Principem politicum vt 2. Sam. 9. v. 7. *Sadok verò filius Achitub, & Achimelech filius Ebiathar erant sacerdotes.* Et v. 18. *filij Dauidis erant Sacerdotes.* At illi erant è tribu Iuda. Ergo Sacerdotes esse non poterant. Deinde 1. Paralip. 18. v. 17. ijdem vocātur הראשנים *primi ad manum regis.* Eodem modo *Zaduc filius Nathā Sacerdos dicitur*, 1. Reg. 4. v. 5. qui tamen non erat è tribu Leui, ac proinde Sacerdos esse non poterat. Hinc apparet non esse Sacerdotem qui apud Hebræos כהן dicitur. Ac proinde ex loco Dauidis producto nihil ꝓbari posse. Deinde probat *Mosen esse Sacerdotem*, quod omnia Sacerdotis *officia subierit*, Exod. 18. c. v. 29. quod sacrificauerit, Sacerdotem vnxerit, & docuerit. Sed si omnes isti sunt Sacerdotes, tum Samuel etiam Sacerdos est. Docuit enim. Hoc ita manifestum est, vt probatione non sit opus. *Vnxit Dauidem in Regem*, 1. Sam. 16. v. 13 *Et sacrificauit*, 1. Sam. 16. v. 2. Et tamen Samuel non fuit Sacerdos. Bellarminus lib. 3. cap. 4. de Verbo Dei. Fol. 218. v. 20. Ergo neque hoc argumentū quicquā concludit. Interea fatemur Mosen fuisse Sacerdotem. Sed ab eo tempore, quo Aaron fuit creatus in Sacerdotē, negamus eum fuisse summum Sacerdotē. Neque contrariū vnquam probabit Bellarminus euidēti Scripturæ testimonio. Nos

aũt ad id probandũ habemus rationẽ euidentem. In V. enim Teſtamẽto, vno & eodẽ tempore, non erant plures ſummi Sacerdotes legitimè electi, q̃ vnus. Erat n. typus Chriſti. Ab eo igitur tempore, quo Aaron ſummus Sacerdos creatus erat; Moſes ſummus Sacerdos eſſe non potuit. Sed tota hæc diſputatio nihil facit ad rem. Moſes n. & Papa Romanus non plus ſimile habent, quàm quilibet Sacerdos Veteris Teſtamẽti, & Epiſcopus N. T. Niſi igitur habeas firmiora argumẽta, manifeſtũ eſt te extraneũ p extraneũ ꝓbare, & principiũ petere, quoties à Moſis auctoritate, Papę iudiciũ eſſe Interpretationis regulam adſtruis. Secundum Argumentum ſumitur ex Deut. cap. 17. 9.

Quicquid fecit ſummus Sacerdos in V. T. hoc debet Papa Roman. facere in N. T. Sed ſummus ſacerdos in V. T. habuit ſummam auctoritatẽ ſcripturarum interpretandarum. Ergo Papa non poteſt errare in ſcriptura interpretanda.

Reſpondeo Maiorẽ eſſe falſam. Sũmus Sacerdos n. in V. T. ſemel quotannis ingrediebatur in ſanctũ Sanctorũ. Summus itẽ ſacerdos in V. T. offerebat victimas cruẽtas. Hęc aũt nõ facit Papa Rom. Deinde ſummus Sacerdos in V. T. fuit à Deo cõſtitutus. Papa autẽ Rom. non eſt à Deo conſtitutus, vt ſuo loco oſtendemus. Non igitur habent idẽ officiũ Papa Rõ. & Sacerdos ſummus in V. T. neq; eundẽ auctorem. Imò ne ſimile quicquã inter eos eſt. Summus n. Sacerdos in V. T. erat vniuerſalis Sacerdos totiꝰ Eccleſię. Papa aũt Rom. nõ modo nõ vniuerſalis Sacerdos,

ſed

ſed ne quidē ſacerdos eſt, vt ſuo loco oſtendemus. Non igiť magis à ſummo ſacerdote ad Papā, q̄ à luce ad tenebras argumētari potes. Dicere n. Summus Sacerdos in V. T. habuit ſummmā poteſtatē ſcripturarum interpretandarū. Ergo & Papa eam habet. Perinde eſt ac ſi dicas, lux eſt clara, Ergo & tenebræ ſunt claræ. Hæc de Maiore. Sed neq; Minor eſt ſimpliciter vera. Non n. ſummus ſacerdos habuit potentiam quidlibet ſtatuēdi etiā contra legē Domini: ſed eius potētia fuit certis limitibus & regulis finita & determinata. Deut. 17. c. v. 11. *& docuerint te iuxta legē eius.* Idē multis alijs locis præceptū eſt. Leuit. 19. c. v. 15. *In iuſtitia iudicabis proximum tuum.* Leuit. 24. c. v. 11. *vt exponeret eis iuxta ſermonē Iehouæ.* Deut. 1. c. v. 16. *Iudicate iuſte.* Deut. 27. c. v. 19. *Maledictus qui p̄uertit iudiciū.* Hinc apparet ſummo ſacerdoti præceptū eſſe, vt ſecundū legē Domini iudicaret. Bellar. reſpondet illud *iuxta legē eius, non eſſe in Hebræo, ſed tantùm in vulgata.* At hoc ſufficit. Vulgatam enim habent pro authentica. Ergo ex ea fortiter repelli poſſunt. Deinde quod dicit falſum eſt. In hebręo n. eſt על פי התורה Hac igitur reſponſione deiectus, affert aliam, & dicit illud *ſecundum legem, non eſſe mandatum, ſed promiſsionem.* Num igitur Bellar. vult ſummū ſacerdotē in V. T. non errare, etiamſi contra Dei verbū p̄nunciet? Sed accipiamus eſſe promiſsionē. Atqui Bellarmine quod Deus p̄mittit, hoc pręſtat. Non eſt n. homo, vt mētiatur. Promiſit aūt ſacerdotes (loquor ex hypotheſi) ſemp ſecundū legē ſuā p̄nunciaturos eſſe. Quæro igitur cū Caiphas pronúciaret Chriſti doctrinā eſſe blaſphemiā, Chriſtū eſſe populi ſeductorē,

Chriſtum

quàm vnus & solus DEVS. Nunc argumentum formabimus.

Quod fecit Deus in Veteri Testamento, hoc faciet Papa Romanus in Nouo Testamento. Sed Deus in Veteri Testamēto verbum suum Prophetis reuelauit. Ergo Papa Romanus in scriptura interpretanda errare non potest.

Argumentum aliter formari non potest. At Maior non tantùm falsa, sed etiam blasphema & impia est. Neque tamen hîc conqueratur Bellarminus nos eius sententiam peruertere. Licet enim nunc Papistæ ita loqui non audeant, tamen ita eos in corde suo sentire, testantur eorum scripta. Decreta enim docent *Papā non debere* à quoquam *iudicari etiamsi multos populos perderet*, Distinct. 40. C. Si Papa. 9. quæst. 3. C. aliorum, & C. sic omnes. Distinct. 19. *Deinde dicunt Papam contra Dei verbum dispensare posse*, de cōcess. præbēdæ C. Proposuit, & ibi glossa, & Dist. 34. C. lectori & ibi glossa. Distinct. 82. C. Presbyter & ibi glossa. 15. quæst. 6. C. auctoritatem. Hæc omnia quoniam blasphema esse negare non audes, miror quòd hoc argumentum contra nos reposueris. Possémne eodem modo argumentari. Deus creauit res omnes, Ergo & Papa creauit res omnes. Est enim eadem ratio consequentiæ. Deinde Ecclesiastes eo loco non loquitur de interpretatione scripturarum, sed de earum origine. Nempè vnde scriptura profecta sit, & respondet *ab vno Deo omnium sapientium verba profecta esse.* non existimo te eodem modo dicturum esse, omnium sapientiū verba à Papa Romano profecta esse. Postremò aliud est in conclusione

quàm in præmiſsis. Nam neque ſubiectum concluſionis, neque prædicatum, eſt in antecedente.

Quartus locus eſt Aggęi 2. cap. v. 12. *Interroga Sacerdotes legem.* Verus huius loci ſenſus eſt, quemadmodum rectè explicat Hieronymus, *Sacerdotis officium eſſe legem ſcire, & de ea interroganti reſpondere. Si Sacerdos eſt,* inquit, *ſciat legem Domini. Si ignorat legē, ipſe ſe arguit, non eſse Domini Sacerdotem. Sacerdotis n. eſt ſcire legem, & ad interrogationem reſpondere de lege.* Deinde dicit hoc non tantùm pertinere ad doctores Veteris Teſtamenti: ſed etiam ad miniſtros Noui Teſtamenti. *Et ne forſitan,* inquit, *in veteri ſolùm inſtrumento hæc præcepta videantur, loquitur & Apoſtolus ad Timoth. Epiſcopum non ſolùm irreprehenſibilem eſse debere, ſed etiam doctorē.* Et paulò poſt, *hæc prolixius,* inquit, *poſui, vt tam ex Veteri, quàm ex Nouo Teſtamento Sacerdotum officium eſse nouerimus ſcire legem Dei: & reſpondere, ad quæ fuerint interrogati.* Nunc formabo argumentum.

> Quale fuit officium Sacerdotum in Veteri Teſtamento, tale eſt officium Papæ Romani in Nouo Teſtamento. Sed Sacerdotum Veteris Teſtamenti officium erat, de lege reſpondere. Ergo & Papę Romani officium eſt, de lege reſpondere.

Si aliter colligis, facies loco adducto vim, aut aliud colliges quàm fuit in antecedente. Totum autem hoc argumentum Bellarmine cauſſam tuam nō iuuat. Nam omnes miniſtros, qui ſunt legitimè vocati, debere legem explicare, & de ea reſpondere, vltrò concedimus, addimus etiam, ſi quis in Eccleſiā

irrepſerit,

irrepſerit, qui hoc facere non poteſt, eum non eſſe idoneum Epiſcopum. Sed totum hoc argumentum, vt dixi, cauſſam tuam non iuuat. Ita enim inferri debebat,

Quicunque habet poteſtatem interpretandi ſcripturam, illius interpretatio eſt vera. Sed omnes Sacerdotes Veteris & Noui Teſtamenti habẽt poteſtatem interpretandi ſcripturam. Ergo omnium miniſtrorum Veteris & Noui Teſtamenti interpretatio eſt vera.

Maiorem hanc vides falſiſsimam eſſe, quemadmodum reliquæ omnes fuerunt. Nam apud Matth. c. 5. legimus, *Veteres Interpretationes, quæ ab omnibus Sacerdotibus eo tempore approbatæ erant, reyci à Chriſto, & reprehendi.* Quis neſcit multorum patrum interpretationes falſas, imò impias eſſe, vt Origenis *de Paradyſo*, Lactantij *de 1000. annis* & ſimiles. Hæc igitur argumẽta licet per ſe corruant, & indigna ſint, quæ à nobis refutentur, tamen aliquid commodi & vtilitatis ex ijs percipimus. Videmus enim quàm infirma ſit veſtra religio, & cùm alia argumenta ad eam probandam inuenire non poſsitis, ſanè oſtenditis eam deploratam penè eſſe. Omnia enim principia debent eſſe certa & indubitata, alioqui enim principia eſſe non poſſunt. Veſtra autem hæc principia, non tantùm dubia ſunt, & incerta; ſed palàm etiam falſa & abſurda. Facilè igitur intelligere poſſumus, cuiuſmodi illa dogmata ſint, quę ex talibus principijs exſtruuntur. Nam quòd tu ignorare non potes, Hæc quæſtio, An omnis Papæ Interpretatio ſit certa? inter nos controuerſa eſt. Tu

eam

eam probas, quodam argumento, quod non magis facit ad rem, ac si dicas, Cæsaris Romani officium est Rempublicam administrare, & hostes imperij armis coërcere. Ergo Papa Romanus non potest errare in scriptura explicanda. Licet igitur principia deberent esse indemonstrabilia, tamen cùm tu ea ꝓbare velles, debuisses fortiora argumenta adducere, aut caussam tam deploratam, & certo exitio destinatam non attingere, neque eius vanitatem tam manifestè prodere.

Quintus locus est, Malach. 2. v. 7. *labia Sacerdotis custodiant sapientiam, & ex ore eius requirant legem.* Et hoc loco describitur verum Sacerdotis officium. Dicit enim Malachias non quales sint, sed *quales esse debeant.* Nam in eodem capite, v. 8. *Vos autem declinastis de via mea, & infirmos fecistis multos in lege, corrupistis testamentum Leui.* Argumentum principale tale est,

Qui debent custodire legem Dei, illi eam semper rectè explicant, sed Sacerdotes debent legem Dei custodire, Ergo Sacerdotes eam semper rectè explicant.

Minorem hanc concedimus, sed Maior est falsa. Non enim Prophetæ semper fecerunt in Veteri Testamento, quod facere debuerunt. Eza. 28. v. 7. *Sacerdos & Propheta nesciuerunt præ ebrietate, Absorpti sunt à vino, errarunt in ebrietate, nesciuerunt videntem, ignorarunt iudicium.* Ierem. 26. cap. v. 8. *Et fuit cùm finem loquendi fecisset Ieremias, omnia quæ præceperat ipsi Iehoua, vt loqueretur ad vniuersum populum, apprehenderunt eum Sacerdotes & Prophetæ dicendo, moriendo morieris.*

rieris. Ezechiel.7.v.26.*Lex peribit à Sacerdote.* Ezech. 22.v.26.*Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & profanum nō habuerunt distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt, & a sabbathis meis auerterunt oculos suos.* Zophon. 3,v.4.*Sacerdotes eius polluerunt sanctitatem, transgreßi sunt legem.* Micheæ 3.v.11. *Sacerdotes eius pretio docent,* id est, *pecunia accepta docent non veritatem, sed quodcunque placet ijs, quos docent.* vt interpretatur Vatablus. Ex his manifestum est, Sacerdotes Veteris Testamenti non fuisse semper tales, quales esse debebant. Idem de doctoribus Noui Testamenti affirmari potest. Qui enim Apostolos sequuti sunt, non ita verbum Dei semper explicuerunt, vt debuerunt. Proinde ex hoc loco nihil colligere potes. Perinde enim est, ac si dicas, Monachi & Beginæ debent esse casti, ergo sunt casti. Hoc etsi sufficeret, tamen subnectam argumentum, quod Bellarminus intendit.

Quicquid fecerunt Sacerdotes in Veteri Testamento, hoc facere debet Papa in Nouo Testamento. Sed Sacerdotes in Veteri Testamento custodiuerunt legem. Ergo quæcunque interpretatio à Papa affertur, ea est vera.

Hanc esse veram mentem Papistarum, manifestū est ex C. Sic omnes. distinct. 19. Ibi enim docent *omnes Paparum constitutiones esse accipiendas, ac si Petri ore prolatæ essent.* Sed nos hoc negamus. Nam vt sæpè dictum est, inter Papam & Sacerdotes Veteris Testamenti nulla est similitudo. Habent enim diuersa officia, & auctores diuersos. Deinde aliud est

in Conclusione, quàm fuit in Pręmissis. Corrigendum igitur argumentũ in hunc modũ. Quęmadmodum sacerdotum in V. Testamento officiũ erat, verbũ interpretari, ita & ministrorum Noui Testamẽti officium est verbũ interpretari. Et ob eam caussam, qui legem Dei ritè interpretari nequit, ille neque sacerdotio, neque ministerio dignus est. Hæc est vera consequentia. Sed quid hæc ad Papam Romanum? Nam ille non est minister Ecclesiæ, quemadmodum suo loco ostendemus. Imò quid hoc argumentum ad causam præsentem? Nam vt sacerdotes Veteris Testamenti sępè aberrarunt, ita & ministri Noui Testamenti sæpè aberrarunt, & vt responsio sacerdotũ in Veteri Testamento non ideò erat vera, quia à sacerdote profecta erat: sed quia cũ lege Dei congruebat, ideò erat vera: ita expositio ministri in Nouo Testamento non propterea est vera, quia à ministro profecta est, sed quia cum lege Dei congruit, ideò est vera. An autem expositio aliqua Papæ Romano probetur vel improbetur, tantùm curamus, quantũ torrentia flumina ripas, nisi quod penè verum sit, quod Papæ displicet, & è contra falsum, quod ei placet. Subiungit Bellarminus in eodem argumento, *non esse priuatorum hominum iudicare sentẽtias legis Domini, sed sacerdotis, qui cum sit Angelus Dei, ad eum pertinere ex officio explicare sententiam Dei*. Hoc ipsum contra quem dicat, equidem non assequor. Fatemur enim sacerdotum proprium esse scripturas explicare, quin ipse Bellarm. antè fassus est inter nos conuenire, *scripturam debere eodẽ spiritu explicari, quo scripta est*, lib. 3. cap. 3. fol. 215. v. 10. Et adducit locum ex
2. Pet.

2.Pet.1,20. atq; ad illius loci explicationẽ addit, *non debere scripturas exponi ex proprio ingenio, sed secundum dictamen Spiritus sancti*, quia non sunt scriptæ humano ingenio, sed ex inspiratione Spiritus sancti. Vnde apparet hoc ipsum, quod hoc loco dicit, nihil ad rem facere. Deinde ex hoc ipso colligi potest, omnem interpretationem, quæ non est secundum dictamen Spiritus sancti, esse priuatorum hominum. Sed pleræque interpretationes Paparum non sunt secundum dictamen Spiritus sancti, Ergo pleræque interpretationes Paparum sunt priuatorum hominum. Ratio est manifesta. Pleræque enim Interpretationes Paparum ex diametro pugnant cum sacra Scriptura, & ob eam causam non sunt secundum dictamen Spiritus sancti. Si dicis Papam esse personam publicam, nihil dicis; nam & sacerdotes, qui Ieremiã apprehendebant, & qui negabant Christum esse filium Dei, erant personæ publicę: & tamen illorũ interpretationes erant priuatæ, nullam aliam ob causam, quàm quòd nõ essent secundum dictamen Spiritus sancti. Planè eodem modo & Paparum interpretationes censentur priuatæ, quando non sunt secundum dictamen Spiritus sancti. Et ob eam causam, an Bellarminus dicat, an Papa dicat, an Iesuita dicat, an Monachus dicat, susque deque habemus. Non enim quia vel Papa, vel Monachus, vel alius quispiam dicit, ideò verum est; sed quia cum verbo Dei congruit, ideo verum est. Hoc volui tibi subijcere, ne posthac priuatas interpretationes nobis exprobrares, & vt videres, te illud negare, quod antè affirmasti, ac simul disceres Papæ Interpretationem

cum scriptura pugnantem esse æquè priuatam,atque tuam,si à scriptura aberrat.

Sextus locus est, 2.Paralip.19.v.5.& deinceps.*Vbi rex Iosaphat Zebadiam fecit præsidem concilij politici, & Amorrhiam constituit præsidem concilij Ecclesiastici*, & addit,*vides quam clarè hic rex distinguat officium Pontificis ab officio regis*. Sed quis nesciuit,Bellarmine,officium regis ab officio sacerdotis distinctum esse? Deinde addit,*soli Pontifici tribuit iudicium de dubijs legis*. Sed neque hoc tuam caussam iuuat. Argumentum enim tale est,

Cui tributum est officium respondendi de dubijs legis,ille errare non potest. Sed summo sacerdoti in Veteri Testamento tributum est officium respondendi de dubijs legis. Ergo Papa Romanus non potest errare in scripturis explicandis.

Nos negamus Maiorem. Sacerdotes enim in Veteri Testamento sæpè aberrarunt in doctrinæ explicatione. 2.Paralip.36.v.14.*Omnes principes sacerdotum & populus auxerunt prauaricationem secundum omnes abominationes gentium, & polluerunt domum Iehouæ, quam sanctificauerat in Ierusalem*. Deinde Christum esse filium Dei,& esse Redemptorem Ecclesiæ,præcipua Ecclesiasticæ doctrinæ pars est. At hanc doctrinam dixit ipse Pontifex maximus *blasphemiam esse*,Marc.cap.14.v.64. Plura exempla antè attulim⁹. Deinde ostendimus Minorem certis limitibus circumscriptam esse. Sacerdotes enim Veteris Testamenti non habebant potestatem de quolibet loco quidlibet respondendi: sed tantùm habebant pote-

ſtatem ſecundum *legem Dei* reſpondendi. Prætereà à ſacerdote Veteris Teſtamenti ad Papam argumentari, ridiculum eſt. Summus enim ſacerdos in Veteri Teſtamento fuit ſacerdos, Papa autem in Eccleſia Chriſtiana ſacerdos non eſt, nedum ſummus ſacerdos. Solus enim Ieſus Chriſtus in ſua Eccleſia eſt ſummus ſacerdos. Deinde ſummus ſacerdos in Veteri Teſtamento à Deo fuit conſtitutus, Papa autem à Deo conſtitutus non eſt. Cùm igitur inter Papam & ſummum Sacerdotem nulla ſit ſimilitudo, neque ſummus ſacerdos in Veteri Teſtamēto habuerit poteſtatē quidlibet de quolibet reſpondendi, cùm etiā in doctrina ſæpè errauerit, manifeſtum eſt Papæ interpretationem non eſſe, propter ſummum pontificem Veteris Teſtamenti, omnis interpretationis regulam.

CAPVT III.

Argumenta, quibus Bellarminus ex Nouo Teſtamento probare conatus eſt, Papæ iudicium eſſe omnis interpretationis regulam, refutantur.

DEſtructis argumentis, quæ Bellarminus ex Veteri Teſtamento adduxit, ſequitur, vt argumēta ex Nouo Teſtamento pro eadem re adducta, expendantur. Primus locus eſt. Matth. 16. v. 18. *Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligabis ſupra terram, erit ligatum in cœlo, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cœlo.* Ex hoc loco volunt probare, omnem interpretationem Papę eſſe legitimam & rectam. Argum. abſque proſyllogiſmo cōfici nō poteſt, formabimus autem illud in hunc modum,

Quicunq; habet ligandi & soluendi potestatem, eius interpretatio est omnis interpretationis regula. Sed *P*etrus habet ligandi & soluendi potestatem. Ergo *P*etri interpretatio est omnis interpretationis regula. Deinde,

Quicquid dici potest de *P*etro, hoc etiam de *P*apa Romano dici potest. Sed de *P*etro dici potest, quòd ipsius interpretatio sit omnis interpretationis regula. Ergo & de *P*apa dici potest, quòd ipsius interpretatio sit omnis interpretationis regula.

Nos primùm negamus Maiorem. Non enim quicunque habet officium soluendi & ligandi, ille non errat in doctrina. Omnes enim ministri legitimè vocati habent potestatem ligandi & soluendi. Vnde sequeretur nullũ ministrũ posse errare in doctrina. Deinde non quicunque habet officium ligandi & soluendi, ille semper rectè ligat, & soluit. Hieronymus n. ad dictum locum, *istum locum*, inquit, *Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorũ sumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur.* Vnde apparet Episcopos non rectè semper ligare & soluere. *P*rætereà argumentum totum nihil facit ad rem. Quæstio enim est non de ligatione, & solutione peccatorum; sed de vera & legitima script. interp̃tatione. *P*erinde n. est, ac si dicas: Apostolorum officiũ fuit baptizare, ergo *P*apa non potest errare in scriptura explicanda, est enim eadem vis consequentiæ. Deinde sæpè accidit, vt aliquis rectè doceat, & tamen non

rectè liget; contingit etiam aliquando, vt aliquis rectè liget, & tamen non per omnia rectè doceat. Ergo à ligatione ad doctrinam, & è contra, non valet consequentia. Quod autem Bellarminus dicit scriptum esse, non *Quemcunque*, sed *Quodcunq;*, & isthinc infert *legum dispensationes, pœnarum relaxationes, ex arbitrio eius, qui habet ligandi & soluendi officium, pendere*, ridiculum est. Antè n. ostendimus, omnes Episcopos habere hoc officium, & tamen Bellarminus non vult, nullos Episcopos posse errare in scriptura explicanda. Deinde qui apud Matth. 16. v. 18. dicit, *Quodcunque ligaueris*. Idem apud Iohann. cap. 20. v. 23. dixit, *quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Ergo neque de dispensatione legum, neque de pœnarum relaxatione, neque de dogmatum explicatione agitur, vt somniat Iesuita: sed de sola solutione, & ligatione peccatorũ. Et si quis disputandi gratia diceret, hoc etiam ad interpretationem pertinere, non tamen iuuaret Bellarminum. Nullus n. Apostolus habuit potestatem pro libitu explicandi verbum Dei, qualem sibi Papa arrogat; sed quemadmodum ostendi summũ sacerdotem in Veteri Testamento habuisse mandata certis limitibus comprehẽsa: ita etiam in Nouo Testamento, Apostoli non habuerunt potestatẽ quidlibet statuendi etiam contra Dei verbum: sed habuerunt mandatum certis limitibus & terminis finitum & determinatum, Matth. 28. v. 20. *Docentes eos seruare omnia*, non quæcunque vobis videntur, sed *quæ ego vobis mandaui*. Actor. 2. v. 4. *Apostoli loquuti sunt varijs linguis*, non quicquid illis in buccam veniebat,

ſed prout Spiritus ille dabat eis eloqui. Act.26.v.22. *Paulus prædicauit,* non quælibet, neq; ea, quæ erant contra Dei verbum; ſed ita temperauit ſuam prædicationem, vt nihil *diceret extra ea, quæ Prophetæ ac Moſes futura prædixerant.* Vnde colligi poteſt, ſi Apoſtoli quicquam dixiſſent, vel explicuiſſent aliter, quàm Chriſtus mandauerat, ac Spiritus ſanctus dabat eloqui, ac Moſes prædixerat, eam interpretationem futuram fuiſſe contra mandatum, ac proinde illegitimam. Gal.1.8. *Si nos aut Angelus è cœlo euangelizauerit præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Et ob eam cauſſam euidenter concludo, tantùm eam interpretationem veram eſſe, quæ cum mandatis conuenit, vel quæ cum *ijs, quæ Spiritus ſanctus ſuggerit,* vel cum eo ipſo Euangelio, quod ex ipſa Domini reuelatione Paulus acceperat, vel deniq; cum *ijs, quæ Prophetæ & Moſes prædixerunt,* congruit. Quæ verò cum mandatis Chriſti, vel cum ijs, quæ Spiritus ſuggerit, vel quæ Moſes & Prophetæ prædixerunt, vel cum Euangelio non congruit, eam non eſſe veram neq; legitimam, etiamſi omnes Papæ Rom. eam approbarent, imò eam eſſe pro anathemate habendam, etiamſi ab ipſis Angelis, vel ab ipſis Apoſtolis, nedum à Romanis Papis proficiſceretur. Quod ad Minorem attinet, illa non de ſolo Petro; ſed de omnibus Apoſtolis, imò de omnib. Epiſcopis vera eſt. Nam omnes Apoſtoli habuerunt officium ligandi & ſoluendi. Quod enim Chriſtus ad ſolum *Petrum* dicit, Matth.16.v.8. hoc apud eundem Euangeliſtá, 18.v.18. *ad omnes Apoſtolos* dicit. *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis ſuper terrã, erunt ligata in cœlo, etc.*

Et

Et Ioan. 20.v.23. *accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, erunt retenta eis.* Hinc apparet soli Petro nihil peculiare datum esse, sed quicquid datum est, omnibus Apostolis datum esse. Hoc etiam primitiua Ecclesia agnouit. Cyprian. de Simplicitate Prælat. *Quamuis Dominus,* inquit, *post resurrectionem suã omnibus Apostolis parem potestatem tribuat, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem, ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod erat Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis, Sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur.* Origenes in Matth. Tractat 1. *Hoc dictum,* inquit, *tibi dabo claues regni cælorum, cæteris quoque est commune.* Cyrill. in Iohan. lib.3.cap.20. *Apostolis,* inquit, *& illorum in Ecclesia successoribus plenam concessit auctoritatem.* Basil.lib. de vita solitaria, cap. 23. *Christus Petrum post se Ecclesiæ suæ pastorem constituit, & consequẽter omnibus pastoribus, & doctoribus eandem tribuit potestatem, cuius signum est, quòd omnes ex æquo* (nota ex æquo) *ligant & absoluũt, quemadmodum ille.* Ex his manifestum est, istam potestatem omnib. legitimis ministris concessam esse, & ob eam caussam, si eorum interpretatio est vera, qui habent ligandi & soluendi officium; tum sequitur nullum ministrum in doctrina errare posse, sed hoc est absurdum. Ergo & illud ex quo hoc sequitur. Cùm igitur ligare & soluere non sit hoc loco scripturas interpretari, nec omnes rectè ligẽt & soluant, qui habent illud officium, neque solus Petrus, sed oẽs Apostoli, imò oẽs legitimi ministri habeant

ligandi,& soluendi officium. Cùm denique Apostolis non licuerit quidlibet dicere, sed ea tantùm, *quæ Christus mandauerat*, vel *quæ Spiritus suggerebat*, vel *quæ Moses & Prophetæ prædixerāt*, manifestum est, hoc argumento Bellarmini caussam non iuuari. Nunc ad alterum Syllogismum, ac primùm negamus Maiorem. Petrus n. fuit Apostolus, Papa non est Apostolus, Petrus fuit immediatè à Deo vocatus, Papa non est immediatè à Deo vocatus. Petrus paralyticum sanauit, Act. cap. 9. v. 33. Tabitam ex mortuis excitauit, Act. cap. 9. v. 40. faciat idem Papa Romanus. Cùm igitur Papa non sit Apostolus, neque immediatè à Deo vocatus; neque possit ea facere, quæ Petrus fecit, sequitur à Petro ad Papam non magis valere consequentiam, quàm à Petro ad quemlibet Doctorem. Quod ad Minorem attinet, illa quidem est vera, sed non de solo Petro, verùm de omnibus Apostolis. Non enim solus Petrus, sed omnes Apostoli nō poterāt in doctrina errare. Deinde quod *Petrus* in doctrina non errabat, caussa non erat, quòd ille quidlibet pro suo arbitrio docebat, sed quòd hoc docebat, quod *Christus mādauerat*, vel quod *Sp. sanctus suggerebat*, vel quod *Moses & Prophetæ prædixerāt*. Ac talē interpretationē libenter admittimus. Sed hinc nō sequit͂, quaslibet interpretatiōes etiā cū verbo Dei pugnātes, cuiusmodi sunt papales, esse veras, tantū ob eam caussam, quòd *Papa* eas approbet. Etsi n. *Papa* nihil habet cum *Petro* cōmune, tamen si quis ex hypothesi aduersariorū dicat eum esse *Petri* successorem, sequetur eum non habere plus potestatis, quàm à *Petro* accepit. At *Petrus* non habuit potestatem

ſtatē quicquam docēdi, quàm quod *Chriſtus mandàrat*, & ea ſola doctrina *P*etri erat vera, quæ cum mandatis Chriſti congruebat; niſi igitur *P*apa Romanus eadē doceat, quæ *Chriſtus mandauit*, tranſgreditur officium ſuum, & docet mendacium. At Chriſti mandata ſunt literis Veteris & Noui Teſtamenti cōprehenſa. Cùm igitur *P*apæ interpretatio cum ſcripturis Veteris & Noui Teſtamenti congruit, eſt vera; cùm verò ab ea diſcrepat, eſt falsa. Nam vt Petri doctrina non propterea erat vera, quia à *P*etro dicebatur, ſed quia cum mandatis Chriſti congruebat: eodem modo, *P*apæ doctrina non propterea eſt vera, quia à *P*apa profecta eſt ; ſed quia cum mandatis Chriſti, id eſt, cum expreſſa ſacra Scriptura cōgruit, ideò vera eſt. Cùm igitur inter *P*apam & *P*etrū nulla ſit ſimilitudo, & nō tantùm *P*etrus, ſed oēs Apoſtoli nō poſsint errare in Script. explicāda, neq; proptereà doctrina *P*etri ſit vera, quia à *P*etro dicta eſt, ſed quia cū mandatis Chriſti congruit, ideò vera ſit: ſequitur *P*apæ iudicium, propter hoc Argumentū, omnis Interpretationis regulam eſſe non poſſe.

Secundus locus eſt, Matth. 18. v. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus, & Publicanus.* Hinc educit Bellarminus tale argumentum, Quando Eccleſia fratrem peccantē admonet, tum eſt audienda. Ergo *P*apæ iudicium eſt omnis interpretationis regula. Acutum & prorſus Ieſuiticum argumentum, ad nullum enim modum, neque ad vllam figuram cogi poteſt. Ne tamen quid præterire videamur, priùs illud explicabimus, deinde refutabimus. Chriſtus agit iſto loco de diſciplina Eccleſiaſtica. Hoc omnes

omnes antiquiores patres affirmant, & res ipsa docet, nec à Bellarmino negatur. Colligendum igitur in hunc modum,

Qui moribus formandis præsunt, illi sunt audiendi, sed Ecclesia, vel eius presbyteri morib. formandis præsunt. Ergo Ecclesia & eius presbyteri in vitijs corrigendis sunt audiendi.

Concedimus totum Argumentum. Presbyteri enim audiri debent, cùm vitia ex verbo Dei rectè corrigunt. Cùm verò vitia non corrigunt, sed vel inuidia, vel liuore, vel æmulatione, vel alia iniusta caussa hunc vel illum corripiunt, tum illorum iudicium non est magnifaciendum. scitè Hieronymus in 16. cap. Matth. *Episcopi & presbyteri non intelligentes*, inquit, *aliquid de Pharisæorum sibi sumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia sacerdotum, sed morum vita quæratur.* Ex his apparet presbyteros aliquando in morum censura aberrare. Non igitur sequitur. Qui morum censuræ præsunt, illi semper legitimè præsunt. Aliud enim est, *debere, quod non præstes*, & aliud, *præstare, quod debes.* Vbi igitur presbyteri benè præsunt, ibi sunt audiendi, vbi verò malè præsunt, ibi valet illud Apostoli, *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.* Postremò totum hoc Argumentum nihil facit ad Papam Romanum. Christus enim loquitur de Apostolis, & eorum legitimis successoribus. Sed Papa Romanus, neque ipse Apostolus est, neq; vllius Apostoli legitimus successor est, quemadmodum suo loco ostendemus. Bellarminus quidé fatetur hìc agi de morum censura, disertè

enim

enim dicit, *si peccauit in te frater tuus.* Sed ex eo per consequens colligi putat, agi etiam de scripturarum Interpretatione. Qui enim scripturam malè interpretatur, ille peccat in totam Ecclesiam. Ergo & ab Ecclesia admoneri debet. Hoc etsi falsum non est, Hæretici enim ab Ecclesia & eius presbyteris admoneri debent, tamen non iuuat caussam Bellarmini. Est enim argumentum tale, Presbyteri debent hæreticos arguere, ergo Papa non potest errare in doctrina. Si quid sequitur, debet sic colligi,

Quicunq; debẽt hæreticos admonere, illi nõ possunt in scriptura explicanda errare. Sed omnes Episcopi debent hæreticos admonere. Ergo nulli Episcopi possunt errare in scriptura explicanda.

Hæc Maior est falsa. Victor enim, qui circa annũ 200. Ecclesiæ Romanæ præerat, fuit Episcopus, & hæreticos admonere debuit. Sed in Asiaticis Ecclesijs excommunicandis aberrauit. Irenæus apud Eusebium lib. 5. cap. 24. *Victorem,* inquit, *arguit, quòd non rectè fecerit, abscindere à corporis vnitate tot ac tantas Ecclesias Dei, quæ morem sibi antiquitus traditum custodirent.* Lactantius & Irenæus fuerunt Episcopi, & debuerunt hæreticos admonere, & tamen in Chiliastarum errores inciderunt. Cyprianus fuit Episcopus, & debuit hęreticos admonere, at in rebaptizandis ijs, qui in hæresin lapsi erant, errauit. Augustinus fuit Episcopus, & debuit hæreticos admonere, at sæpè errauit, docent hoc eius Retractationes. Anastasius fuit Episcopus, & debuit hæreticos monere, at grauiter errauit Distinct. 19. cap. Anastasius,

Mani-

Manifestum igitur, eos, qui hæreticos debent admonere, posse in scriptura explicanda errare. Quòd ad Minorem attinet, illa est vera. Non enim hic, vel ille Episcopus tantùm, sed quilibet Episcopus habet potestatẽ arguendi Episcopum, ad Tit. cap. 1. v. 9. Quam ob causam hoc argumẽto Bellarmini causa non iuuatur. Nam nõ quicunq; ex officio arguũt, semper rectè arguunt, vt ostendimus. Deinde argumẽtum prorsus nihil facit ad Papam Romanum. Ille enim non est Episcopus, quemadmodum suo loco ostendemus. Vnde sic colligo, Qui non est Episcopus, eius officiũ non est arguere hęreticum, sed Papa non est Episcopus, ergo eius officiũm nõ est arguere hęreticum. Maiorẽ non negabit Bellar. Minorẽ probabo suo loco. Etsi maximè Episcop⁹ esset Papa Romanus, non tamen propter hoc argum. plus auctoritatis haberet, quàm singuli Episcopi. Singulorum autẽ Episcoporum sentẽtia, non ideò vera est, quia ab Episcopo profecta est, sed quia cum verbo Dei congruit, ideò vera est. Eodẽ modo si Papa Romanus esset Episcopus, eius sentẽtia non ideò vera esset, quia à Papa profecta esset, sed quia cum Verbo Dei congrueret, ideò vera esset. Dum igitur ex hoc loco colligis Papæ iudicium esse omnis interpretationis regulam, petis principium. Papæ enim Interpretationem esse authẽticam, inter nos controuersum est. Hoc probas, quia Episcopus in iudicando errare nõ potest, sed hoc est æquè cõtrouersum: subiungis Papam Romanum esse Episcopum, sed & hoc controuersum est. Nisi igitur probes, nullum Episcopum posse in scriptura interpretanda errare, & Papam es-

se Episcopum,frustrà agis,& cùm hoc probasti,tum tamen nihil profecisti. Nihil enim aliud probasti, quàm non esse maiorem auctoritatem Papæ, quàm singulorum Episcoporum, ac proinde non solùm Papæ, sed singulorum Episcoporum Interpretationem esse authenticam. Si existimas Bellarmine nos tua argumẽta minus rectè formare,sume tibi ipsi eorum formandorum laborem.

Tertius locus est, Matth.23.v.2. *Super Cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, quæcunq; dixerint vobis, ea seruate, & facite.* Vera sententia est, Scribæ & pharisæi,qui sunt doctores vestri,& vobis Mosis doctrinam proponunt, sunt audiendi,etiamsi malè viuant. Sedere enim in Cathedra Mosis, *est Mosis doctrinam tradere*, vt inquit Hieronymus in 23. cap. Matthæi. Hinc educit tale argumentum,Scribę & pharisęi docentes doctrinam Mosis sunt audiendi, Ergo Papa nõ potest errare in scriptura explicãda.Sed quid hoc ad rem?Nẽpè, si illi sunt audiẽdi,qui sedẽt in Cathedra Mosis,tũ illi multò magis sunt audiẽdi,qui sedẽt in Cathedra Petri. At Papa sedet in Cathedra Petri, Ergo Papa nõ potest errare in scriptura explicanda.

Quicunque sedent in Cathedra Mosis, illi non possunt errare in scriptura interpretanda. At pharisæi & scribæ sedent in Cathedra Mosis, Ergo pharisæi & scribæ non possunt errare in scriptura explicanda.

Respondeo ad Maiorem. Si sedere in Cathedra Mosis est idem,quod Mosis doctrinam docere,tum illa est vera. Quatenus enim quis Mosis doctrinam docet,eatenus non errat. Sed tum Minor est falsa;

Phari-

Pharisæi enim & scribæ in doctrinæ explicatione aliquando aberrarunt. Matth. enim cap. 5. & cap. 23. *reprehendit Christus eorum falsam doctrinam*, & tandem à Mosis doctrina prorsus desciuerunt. Nam quem Moses cap. 18. vers. 18. *audiendum esse docet*, hunc illi in crucem egerunt. Si verò Maior intelligitur de ijs, qui in eodem loco docent, in quo Moses, vel qui Mosi in docendo succedunt, tum Minor est quidem vera. Pharisæi enim & scribæ successerunt Mosi in docendo; Sed Maior est falsa. Nam non quicunque bonis succedunt, ij boni sunt. Quod autem Bellarminus dicit, *quemadmodū non errant, qui in Mosis cathedra sedent, ita etiā non errant, qui in Petri cathedra sedent.* Nihil iuuat, nisi probet Papam semper sedere in Cathedra Petri, id est, semper docere doctrinam Petri, & ab ea nunquam deflectere. Argumentum tale,

Quicunque sedent in cathedra Petri, ij non possunt errare in scriptura explicanda. Sed Papa sedet in cathedra Petri. Ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda.

Respondeo, si in Maiore cathedram intelligis de doctrina, V.G. Qui docent doctrinam Petri, ij non possunt errare in scriptura explicanda, tum illa vera est. Qui enim docet doctrinam Petri, & ab ea non discedit, ille non errat in scriptura explicanda. Sed tum Minor est falsa. Papa enim non docet doctrinam Petri. Petrus enim in 1. Epistola, v. 3. vetat, *ne Presbyteri dominentur Clero.* Papa autem dicit se esse *Dominum omnium hominum*, De Maioritate. C. vnam sanctam. Idem dicit *Papalem dignitatem esse quadragesies*

gesies sexies maiorem dignitate Imperatoria, De Maioritate C. solitæ. & ibi glossa. Idem dicit, *omnes Ecclesiasticos Romanæ Ecclesiæ auctoritate regi.* Distinctione vigesima secunda. C. Vnam sanctam. Idem dicit, *Romanam Ecclesiam esse caput & auxilium omnium, & debere omnes iudicare, nec à quoquam iudicari.* Distinctione vigesima secunda. Cap. Vnam sanctam. Idem dicit, *omnes Reges & Monarchas esse Vasallos Romani Pontificis, atque ipsum posse extollere, quem velit, & deprimere, quem velit*, De Maioritate C. solitæ. Idem dicit, *se nullis legibus teneri*, 25. Quæst. 2. C. ideò permittente. Idem dicit, *se posse omnes homines iudicare, non autem debere à quoquam iudicari*, 9. Quæst. 3. C. aliorum. Idem dicit, *se reliquis omnibus in iurisdictione præesse*, 24. Quæst. 1. C. est aliud. Idem dicit, *se habere summam in Ecclesia & Rep. Iurisdictionem*, De Iudicijs. C. Nouit. Idē dicit, *se habere cœlestis et terrestris Imperij potestatē*, De Maiorit. C. Vnam sanctā. Idē dicit, *se non debere reprehendi, etiamsi innumerabiles populos deducat in gehennam*, Distinct. 40. Cap. Si Papa. Vnde apparet Minorem falsam esse. Papa enim dominatur Clero. Deinde non tantùm Papa sedens in cathedra Petri est audiendus, sed etiam omnes Episcopi sedentes in Cathedra Petri, hoc est docentes doctrinā Petri sunt audiendi. Non igitur ex hoc loco maior auctoritas Papæ, quàm singulis Episcopis conceditur. Præterea hoc argumentum est fortissimum ad Bellarmini nugas refutandas. Nam si illi, qui sedent in cathedra Petri, id est, qui docent doctrinam Petri, sunt audiendi; tum illi qui non sedent in Cathedra Petri, id est, qui non docent doctrinam Petri; non

ſunt audiendi. At Papa non docet doctrinam Petri. Ergo Papa non eſt audiendus. Maiorem non negabit Bellarminus. Minorem probaui antè. Denique ſi Papa proptereà audiri debet, quòd ſedet in cathedra Petri, ſequitur non ipſum iudicium Papæ, ſed *cathedram Petri,* id eſt, doctrinam Petri, eſſe omnis Interpretationis regulam; atque hoc eſt verum. Nam quando Papę interpretatio cum Petri doctrina congruit, eſt vera, quando ab ea diſcrepat, eſt falſa. At Petri doctrina eſt ſcripta in ſ. Scriptura, & præſertim in Euangelio Marci. Niceph.l.2.cap.45. *Rogarunt Marcum, vt conciones à Petro habitas in monumentum ſcriptis relatas ipſis relinqueret.* Euſeb.l.2.c.15. *Exorant Marcum, vt ea, quæ ille,* (loquitur de Petro) *verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam, Scripturæ traderet, quo domi foriſq; in huiuſmodi verb. meditationib. permanerēt.* & l.3.c.4. *Marcus, quæ ex ore Petri fuerāt prædicata, cōſcripſit.* Irenę l.3.c.1. *Marcus interpres Petri tradidit nobis pſcripta, quæ annūciata erāt.* Quodcunq; igitur pugnat cum ſ.Script.& cū Euang. Marci, vel quod ex ijs deduci non poteſt, hoc nō eſt verū, nō q. eſt ſecundū cathedrā Petri. Proinde quādo quis docet ſecundū ſ.ſcript. eſt audiēd9, quādo verò nō docet ſecundū S.Scripturam, non eſt audiendus. Hinc manifeſtum eſt, ſolam & vnicam ſacram Scripturam eſſe normam & regulam omnis Interpretationis. Si autem Maiorem intelligis de ijs, qui in eodem loco docent, in quo Petrus, vel qui eū in docendo ſequuntur, tum Minor eſt incerta. Nondum enim ſatis liquet, an Petrus vnquam Romæ fuerit. Maior verò eſt manifeſtè falſa: Petrus enim disertè dicit, *poſt ſe venturos eſſe falſos doctores,* 2.Pet.2. v.1.

v. 1. Quocunque igitur flectis hoc argumentum, nihil iuuas cauſſam tuam. Deinde ſi vis à Moſis cathedra ad Petri cathedram argumentari, potes eodem modo ad Pauli, Iohannis, Andreæ, Thomæ, & reliquorum Apoſtolorũ cathedram argumentari. Nam vt non errant, qui in Petri cathedra ſedent, id eſt, qui Petri doctrinam docent; ita etiam non errant, qui in Iohannis, Pauli, Iacobi, & reliquorum Apoſtolorum cathedra ſedent, id eſt, qui Pauli, Iohannis, & reliquorum Apoſtolorum doctrinam docent, atque hoc verum eſt. Si verò perrexeris, & cathedram acceperis pro loco, atque in hunc modum argumentatus fueris, quicunque ſedet in cathedra Petri, id eſt, in eodem loco ſedet, vbi Petrus docuit, tum falſum aſſeueras. Multi enim Ieroſolymæ, & Antiochiæ docuerunt falſum, etiamſi Petrus ibi docuerit verum. Sequeret̃ etiam eos non poſſe errare, qui ſedẽt in cathedra Pauli, & Ioan. i. qui docẽt in ijs locis, vbi docuerũt Paulus & Ioan. &c. & multo magis ſequeretur eos nõ errare, q̃ docẽt Ieroſolymæ, Capernaũ, & in Samaria; Nã in iſtis locis Chriſt' docuit, & Apoſt. Sed hęc oĩa ſunt abſurda, ergo abſurda ex q̃b' hæc cõſequuntur. Siue igitur cathedrã acceperis pro doctrina, ſiue pro loco, nihil iuuabis cauſſam tuam; neque iuuabis eam, ſi cathedram acceperis pro officio. Nam ſi tibi in cathedra ſedere, eſt idem, quod in eodem officio eſſe, aut idem officium adminiſtrare, tum argumentum eſt tale. Qui ſedent in cathedra Petri, id eſt, qui adminiſtrant cum Petro vnum & idem officium, illi errare non poſſunt. Sed Papa ſedet in cathedra Petri, id eſt, adminiſtrat cum Petro vnum & idem officium, Ergo Papa non poteſt

errare. Respondeo Minorem esse falsam. *Petrus* n. est Apostolus, *Papa* nō est Apostolus, *Petrus* est immediatè à Deo vocatus, *Papa* non est immediatè à Deo vocatus, *Petri* officium est extraordinarium, *Papæ* non est extraordinarium, &c. Vnde manifestum est, eos non habere vnum & idem officium. retorqueamus argumentum.

> Qui non habet idem officium cum *Petro*, ille potest errare in doctrina; sed *Papa* non habet idē officium quod *Petrus*, Ergo *Papa* potest errare in doctrina, & per consequens, eius iudicium non est omnis Interpretationis regula.

Maiorem non negabis, Minorem probaui antè; quòcunque igitur Bellarmine, te vertis, hæres; nam dum à *Petri* cathedra disputas, petis principium. *Papæ* enim Interpretationem esse authenticam, est inter nos controuersum. Hæc probas, quia *Papa* sedet in cathedra *Petri*: At si cathedram accipis pro doctrina, tum est falsum, si pro officio, tum etiam est falsum. *Papa* enim cum *Petro* neque idem officium habet, neque eandem doctrinam docet: si pro loco, tum est incertum, & nihil concludis. *Incertum*, non enim satis liquet, an *Petrus* Romæ fuerit, nec si Romæ fuit, quicquam sequitur. Quia & Simon magus Romæ docuit; atque hæc de tertio argumento.

Quartus locus est Iohan. 21. cap. v. 16. *Simon Petre pasce oues meas.* Sensus est, *Petrum* debere homines Christianos docere, *Petri* item successores debere homines Christianos docere. Hæc ita esse fatemur. Quòd autem dicit Bellarminus, *omnes Christianos à Petro docendos esse*, hoc quidem de *Petro*

verum

verum est, sed non tantùm. Nam & reliquorum Apostolorum idem officium erat. Argumentum tale, qui homines Christianos docere debent, illi nõ possunt errare in Scriptura explicanda. Sed *Papa* debet homines Christianos docere, Ergo *Papa* non potest errare in script. explicãda. Respondeo Maiorem esse falsam. Matth. 24. v. 24. *Excitabuntur enim Pseudoprophetæ. et Pseudochristi, qui edent signa & miracula, ita vt seducant si fieri posit, etiam electos.* Act. 20. v. 29. *Post meum discessum lupi graues non parcentes gregi inuasuri sunt in vos.* 2. Thessal. 2. *Nemo vos seducat, non enim prius veniet dies Christi, nisi prius venerit defectio, & detectus fuerit homo sceleratus, filius inquam ille perditionis, sese opponẽs & efferens aduersus quicquid dicitur Deus, aut numen, adeò vt in templo Dei sedeat, tanquam Deus, præ se ferens se esse Deum.* 1. Tim. 4. v. 1. *Spiritus autem disertè dicit, fore, vt posterioribus temporibus desciscant quidam à fide, Spiritibus deceptoribus attendentes, & doctrinis Dæmoniorum.* 2. Pet. 2. v. 1. *Fuerunt autem etiam Pseudoprophetæ in pop. vt etiam inter vos erunt falsi doctores, qui subintroducent hæreses exitiales.* Deinde experientia testatur hoc verum esse. Arrius enim Eutyches, Nestorius & alij debuerunt quidem Ecclesiam docere, idque ex officio: sed impleuerunt has suprà scriptas *Prophetias*; neque hoc tantùm; sed fideles etiam doctores, vt Augustinus, Cyprianus, Basilius, Irenæus, Hieronymus, & alij in quibusdã aberrarunt. Vnde apparet, Maiorem esse falsam, Nam non quicunque debet docere, rectè docet. Atque hæc de Maiore; nunc ad Minorem; Illa non tantùm de *Petro*, sed de omnibus Apostolis, atque adeo

de omnibus ministris legitimè vocatis vera est. Illorum enim omnium officium est, pascere gregem Christi, Act. cap. 20. v. 28. *Attendite igitur vos ipsos* (alloquitur presbyteros) *& totum gregem, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam.* 1. Pet. 5. v. 1. *Presbyteros, qui inter vos sunt, precor, pascite gregẽ, qui penes vos est.* 1. Cor. 9. v. 7. *Quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit.* Hinc apparet, pascere non solius Petri, sed omnium ministrorum legitimè vocatorum officium esse. Quam ob caussam, si hoc argumentum valet, possum eodem modo colligere.

Qui habet officium docendi, ille non potest errare in doctrina, sed omnes ministri legitimè vocati habent officium docendi. Ergo nulli ministri possunt errare in doctrina.

Vides Bellarmine, quorsum te adigant tua argumenta. At dices, Petrum & eius successores pascere *omnes oues Christi*, reliquos autem ministros tantùm pascere *particulares greges*. Hoc quidem de Petro verum est, de eius successoribus falsum est. Deinde non de solo Petro verum est, sed de omnibus Apostolis. Singuli enim Apostoli omnium Ecclesiarum curam gesserunt, 2. Corinth. 11. v. 28. *Vrget agmen illud in me quotidie consurgens*, id est, *sollicitudo de omnibus Ecclesiis.* Act. 22. v. 15. *Eris ei testis apud omnes homines.* Matth. 28. cap. v. 19. *Docete omnes gentes.* Act. 1. v. 8. *Eritis mihi testes & in Ierusalem, totaq; Iudaa, Samariaq;, vsq; ad vltimas terras.* Vnde apparet omniũ Apostolorum officiũ esse, quoslibet homines, nullo certo loco, & tempore docere; & omnium Ecclesiarum curam gerere. At quod de Apostolis verè dici

dici poteſt, hoc de eorum ſucceſſoribus non æquè verè dicitur. Nam ſi *Petri* ſucceſſores ideò omnium Eccleſiarum curam gerere debent, quòd *Petrus* omnium Eccleſiarum curam geſsit: tum etiam *Pauli*, Matthæi, Iohannis, Iudæ & reliquorum Apoſtolorum ſucceſſores omnium Eccleſiarum curam gerere debent; nam & illi omnium Eccleſiarum curam geſſerunt. Nam ſi ſequitur, qui omnium Eccleſiarũ curã gerunt, illorũ etiã & ſucceſſores omniũ Eccleſiarum curam gerunt. Sed *Petrus* omnium Eccleſiarum curam geſsit, Ergo eius ſucceſſores omnium Eccleſiarum curam gerere debent. Tum eodem modo ſequitur, Qui omnium Eccleſiarum curam gerunt, eorum etiam ſucceſſores vniuerſarũ Eccleſiarum curam gerere debent. Sed omnes & ſinguli Apoſtoli omnium Eccleſiarum curam geſſerunt, Ergo omnium & ſingulorum Apoſtolorum ſucceſſores omnium Eccleſiarum curam gerere debent. At hoc eſt falſum etiam Bellarmino teſte. Ergo falſum, ex quo hoc conſequitur. Et ſi maximè verum eſſet, tamen non iuuaret cauſſam Bellarmini. *Papa* enim non eſt *Petri* ſucceſſor. Sic igitur concludo,

Qui non eſt *Petri* ſucceſſor, iſte poteſt in doctrina explicanda errare. Sed *Papa* non eſt *Petri* ſucceſſor. *Poteſt* igitur in ſcriptura explicanda errare.

Maior eſt vera ex hypotheſi, nam ſi ſolus *Petri* ſucceſſor in doctrina errare nequit, idq́ue propterea quia *Petri* ſucceſſor eſt, tum ille qui *Petri* ſucceſſor non eſt, errare vtique poteſt. Minor eſt manifeſta. *Petri* enim officium erat omnes homines do-

cere, Papa neminem docet. Petri officium erat oues Christi pascere, Papa eas lacerat & dissipat. Deinde Petri officium erat extraordinarium, Papæ officium non est extraordinarium. Petrus fuit immediatè à Deo vocatus, Papa non est immediatè à Deo vocatus, eligitur enim ab hominibus, nempè à Cardinalibus. *P*etrus fuit Apostolus, *P*apa non est Apostolus. *P*ræterea si *P*apa est *P*etri successor, ostendat tabulas successionis, doceat in qua re successerit, nam in doctrina non successit, quam enim doctrinam *P*etrus docuit, eam *P*apa persequitur, neq; in officio successit, *P*etri enim officium erat prædicare, baptizare, *P*apa non docet, neque prædicat, neque sacramenta administrat. Si Bellarminus putat *P*apam ideò esse *P*etri successorem, quòd *P*etrus Romæ fuerit, & *P*apa in eadem vrbe habitet, tum non ignorat hoc valdè controuersum esse. Docti enim non immeritò dubitant, vtrum *P*etrus vnquam Romæ fuerit. Eum verò fuisse istius vrbis Episcopum, pugnabat cum Apostoli officio, erat enim omnium hominum doctor. At qui omnes homines docet, ille non est vnius vrbis doctor tantùm. Siue igitur *P*etrus Romæ fuerit, siue non fuerit, manifestum est eum non fuisse Romæ Episcopum, ac proinde *P*apá non fuisse *P*etri successorem. Nemo dubitat Commodum, Diocletianum, Neronem, & Caligulam fuisse Romæ: illorum autem industriam & beneuolentiam, in pascendis ouibus Christi imitatur, imò supat *P*apa Rō. Viderit igiť Bellar. númne horū successor sit *P*apa Rom. Sanè quod ad externam vitā, & mores attinet, nulla inter *P*apā, & eos differētia, inter

*P*apam

Papam verò & Petrum nulla similitudo. Petri n.officiũ pascẽdo definiebatur. Papa prorsus neminẽ pascit. Pascere n. est docere.Sed Papa neminẽ docet, Ergo neminẽ pascit,tantũ abest,vt oẽs pascat.Nã qui prorsus nonpascit, ille non pascit omnes. Bellar.concessa Minore, dicit Papam præscribere alijs quid docere debeant, sed hoc est ridiculum. Pascere enim non est alijs præscribere , quomodo debeant pascere. Deinde Petrus non tantùm præscripsit alijs, quomodo debeant pascere, sed ipse etiam pauit. Præterea præscribere alijs, quid debeant docere, non est Papæ Romani. Si Bellarminus regerit, hoc per *pascere* significari, tum argumentor in hunc modum. Quicunque debet pascere oues Christi, illius est omnibus ministris præscribere, quomodo debeant pascere. Sed omnium ministrorum est pascere oues Christi, Ergo omnium & singulorum ministrorum officiũ est, reliquis omnibus Episcopis præscribere, quomodo debeant pascere. Sed hoc est absurdum. Ergo & absurdũ ex quo hoc consequitur. Præterea omnibus Episcopis præscribere quid debeant docere, est solius Christi, Matth. 28. v. 9. *Docete eos seruare, quæcunque ego præcepi vobis.* Dum igitur Papa hoc sibi arrogat,quod solius Christi est , ostendit se esse eum, *qui se extollit supra omne id, quod Deus est*, 2. Thessal. 2. Et vt finem faciam , abijciat Papa istant tyrannidẽ, subeat ipse munus docendi, doceat doctrinam Petri,& habebimus eum pro Petri successore, si verò à docendo abstinere , & Petri doctrinam oppugnare perrexerit,non possumus eum pro Petri successore , imò ne quidem pro legitimo Doctore

agnoscere, tantùm abest, vt eius interpretationem habeamus pro authentica.

Quintus locus est, Luc. 22. v. 23. *Rogaui pro te, ne deficeret fides tua.* Ergo inquit Bellarminus, Papa ex Cathedra docens non potest errare.

Pro quibus Christus orat, vt illorum fides nõ deficiat, illi non possunt errare in scriptura explicanda. Sed Petrus est ille, pro quo orauit Christus, ne eius fides deficeret, Ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda.

Respondeo esse aliud in cõclusione, quàm in pręmissis. Tantùm n. sequitur, Petrum nõ posse errare in scriptura interpretanda. Deinde Maior falsa est. Nam si omnes isti non possent errare in script. explicanda, ꝑ quibus Christus orat, ne eorum fides deficiat, tum nulli fideles possunt errare in script. explicãda. Christus n. orat ꝑ omnibus fidelibus, ne illorũ fides deficiat. Ioh. 17. v. 11. *Pater sancte serua eos per nomen tuum, quos dedisti mihi.* Et v. 20. *non tantùm autem pro istis rogo, sed & pro ijs, qui per sermonem eorum credituri sunt in me.* Romanorum 8. versu 34. *Christus interpellat pro nobis*, Hebræo. 7. versu 25. *Christus semper viuit, vt interpellet pro nobis.* 1. Iohannis 2. v. 1. *Quòd si quis etiam peccauerit, aduocatum apud Patrem habemus Iesum Christum istum iustum.* Hinc manifestum est, Iesum Christum orare pro omnibus fidelibus. Sic igitur argumentor,

Pro quibus Christus orat, illi non possunt errare in Scriptura explicãda. Sed omnes fideles sunt isti, pro quibus Christus orat, Ergo nulli fideles possunt errare in Scriptura explicanda.

At

At hęc conclusio est falsa, Ergo aliqua ex præmissis est falsa. Falsum n. ex vero colligi non potest. Non autem Minor, extructa est enim ex manifestis Scripturæ testimonijs. Ergo Maior, nam non omnes pro quibus Christus orat, nō possunt errare in Scriptura explicanda. Causa quæ Papistas decipit, fortè est, ꝙ fidem hoc loco accipiunt pro doctrina, & deficere in fide, pro errare in doctrina, neque negari potest, quòd fides ita aliquando accipiatur. Vt 1. Tim. 4. v. 1. *Extremis temporibus deficient aliqui à fide*, vt sit Argumentum tale,

Pro quibus Christus orat, vt non errēt in doctrina, illi non possunt errare in Scriptura explicāda. At Petrus est ille, pro quo Christus orat, vt non erret in doctrina, Ergo Petrus non potest errare in scriptura explicanda.

Sed iam Minor non est vera. Aut enim Christus non orauit pro Petro, vt in doctrina non erraret, aut Christus non est assecutus, quod petiuit, Petrus n. post hanc orationem in doctrina errauit. Argumentum tale,

Si Christus orauit pro Petro ne in doctrina erraret, tum Christus nō impetrauit quod petiuit, sed hoc est absurdum. Ergo & illud.

Consequentia est manifesta. Petrus enim post orationem hanc à Christo factam *abnegauit & abiurauit Christum.* Matthæi 26. v. 74. *Et voluit Christi passionem armis impedire*, Matthæi 26. versu 51. Putauit etiam *regnum Christi esse mundanum*, Act. 1. v. 6. Sed abiurare Christum, & existimare regnum Christi esse mundanum, est errare in doctrina. Ergo

fides

fides pro doctrina accipi h. l. non poteſt. Accipitur igitur in natiua ſignificatione, nempe pro fide iuſtificante, & defectus fidei accipitur pro finali defectu, atque ita explicat Tertullianus in lib. de fuga in perſequutione, cap. 2. Sed tum nihil ſequitur, nam vnũ & eundem hominem non poſſe finaliter deficere, & poſſe aliquando errare, ſimul vera eſſe poſſunt. Teſtes omnes Apoſtoli, omnes *P*atres, imò omnes Chriſtiani. Cùm igitur aliquis poſsit in doctrina errare, & tamen non finaliter deficere, ſequitur Maiorem primi Syllogiſmi non eſſe veram. Deinde totum argumentum nihil facit ad rem. Nam etiamſi concederemus *P*etrũ nunquam potuiſſe in doctrina errare, inde tamen non ſequeretur *P*apam non poſſe errare in doctrina. *P*apa enim non eſt *P*etrus, neque habet vllam cum *P*etro ſimilitudinem. Quòd autem dicis, *P*apam eſſe *P*etri ſucceſſorem, ridiculum eſt. *P*etis enim illud, quod eſt in principio. Argumentum tale,

Qui nõ poteſt errare in doctrina, eius etiam ſucceſſores non poſſunt errare in doctrina. Sed *P*etrus non poteſt errare in doctrina, Ergo *P*etri ſucceſſor non poteſt errare in doctrina. Deinde,

*P*etri ſucceſſor non poteſt errare in doctrina, *P*apa eſt *P*etri ſucceſſor, Ergo *P*apa non poteſt errare in doctrina.

Si Maior eſt vera, tum omnes reliquorum Apoſtolorum ſucceſſores nõ poſſunt errare in doctrina, æquè enim de reliquis Apoſtolis, atque de *P*etro dicitur, quòd non poſsint errare in doctrina, ſed hoc

non

non vult Bellarminus, & ob eam causam conclusio vera esse non potest. Atque hoc sufficit ad ostendẽdam falsitatem huius argumenti. Si vero conclusio primi Syllogismi est falsa, tum & propositio secundi Syllogismi est falsa. Hæc enim ex illa exstruitur. Deinde & Minor proximi Syllogismi est falsa. *Papa* enim non est *Petri* successor, quemadmodũ suo loco ostendemus, potest igitur in doctrina errare. Præterea multorum Paparum fides defecit. Zephyrinus enim fuit *Montanista*. Tertull. contra *Praxeam* Cap. 1. *Nam idem tunc*, inquit, *Episcopum Romanum agnoscentem iam prophetias Montani Prisca Maximillæ, &c.* Hic Rhenanus ad marginem notat, *Papa montanizat.* Marcellinus *sacrificauit Idolis*. Damasus in vita Marcellini. Vide plura in 1. Tom. Concil. loco de condemnatione Papę Marcellini. Liberius *fuit Arrianus*. Damasus in vita Liberij, *Ingressus Liberius*, inquit, *in vrbem, consensit Constantino heretico.* Athanas. in Epistola ad solitar. vitam agent. *Liberius deinde*, inquit, *post exactum in exilio biennium inflexus est, minisq́ mortis ad subscriptionem adductus est.* Hieronymus in Catal. C. fortunatiano, *Liberium*, inquit, *Romanæ vrbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitauit, ac fregit, & ad subscriptionem hæresios compulit*, similiter narrat Liberatus in Breuiario Cap. 22. Felix *fuit Arrianus*. Hieronymus in Catal. C. Acatius, vt in Liberij locum inquit, Romæ *Felicem Arrianum Episcopum constitueret*. Anastasius à Deo reprobatus *nutu diuino percussus est*, Distinct. 19. C. Anastasius, glossator istius rei causam dicit esse, *quòd communicauerat Achatio in maleficio*. Achatius *propter*

hæresin

hæresin damnatus est. 24. Quæst. 1. C. Achatius. Honorius fuit *Monethlita.* Canus lib. 6. Cap. 8. Et apud eum *Psellus* in Carmine de septem Synodis, Tharasius ad summos sacerdotes Antiochiæ. Eius epistola dãnatur in 6. Synodo, Act. 13. Eadem 6. Synodus, Act. 18. *Anathemati,* inquit, *subijcimus Theodosiũ & Petrũ, qui Constantinopolios præsulatũ tenuerũt, insup & Cyrum, qui Alexandrinorum sacerdotium gessit, & cum eis Honoriũ, qui fuit Romæ præsul, vtpote qui eos in his sequutus est.* Leo in Epist. ad Constantiũ, quę extat in Act. 18. Sextæ Synodi, *Anathematizamus,* inquit, *et execramur omnes hæreses, omnesq́; earum auctores & fautores, qui aduersus Apostolicã, & orthodoxam fidẽ Diabolicis decepti fallacijs falsitatis errores in Ecclesiam introducere conati sunt, id est Arrium, Sabelliũ, &c. pariterq́; anathematizamus noui erroris inuentores, vt Cyrum, Theodorum, &c. nec non & Honoriũ, qui hanc Apostolicã Ecclesiam, & nos non Apostolicæ doctrinæ traditione lustrauit: sed profana proditione immaculatã fidẽ subuertere conatus est.* Leo fuit *Arrianus.* Vincentius lib. 15. cap. 23. Huiusmodi exempla possunt multa adduci, sed hæc sufficiant, ex ijs sic argumentor.

Pro quibus Christus orat, illorum fides non potest deficere, sed multorum *Paparum* fides defecit, Ergo multi *Papæ* non sunt illi, pro quibus Christus orauit.

Maior est manifesta. Quicquid enim Christus petit à *Patre* suo, illud impetrat. Minor patet ex suprà annotatis allegatis. *Porrò,*

Pro quibus Christus non orat, illi possunt errare in Scriptura explicanda. Sed multi *Papæ* sunt illi,

pro

pro quibus Christus non orat. Ergo multi Papæ possunt errare in Scriptura explicanda.

Maior est vera. Nam si sola Christi oratio est causa, quare quis non errat, túm sequitur eum errare, ꝓ quo Christus nō orat. Minor sequitur ex præcedēti argumēto. Cùm igitur multi Papæ non sint isti, pro quibus Christús orauit, & ob eam caùsam à fide defecerint, sequitur eorum interpretationem verá non esse. Plura de hoc argum. dicemus, cùm de Papa disseremus. Prętereà pleriq; Papę nunc nunquá docét, neq; interpretātur Scripturā. Lōgo n. tempore nullus Papa fuit, q. vel scribēdo, vel concionādo, vel prę-legēdo in Scholis vel Ecclesijs docuerit. Dicere igitur eius, qui nihil interꝑtatur, Interpretationē verā esse, nihil aliud est, q̃ cum Deo & hominib. ludere. Quòd aūt dicis, Papę interpretationem, *quàm ex Cathedra docet*, veram esse, ostendis non omnem Papæ interpretationem verā esse, sed illam tātùm, quę fit ex Cathedra. Sed Cathedra aliquando significat sedē, aliquando doctrinam. Si igitur intelligis sedem, falsum est, Simon enim Magus docuit Romæ, & antè ostēdimus multos Episcopos Rom. fuisse hæreticos. Si de doctrina dicis, verum dicis. Fatemur n. Papam non errare, quando docet doctrinam Petri, sed hinc sequitur non Papæ iudicium, sed *doctrinā Petri* esse omnis interpretationis regulá. Propter quod n. interꝑtatio est vera, illud est regula & causa veritatis in interꝑtatione. Sed Cathedra Petri i. doctrīa Petri est illud, ꝓpter quod oīs interpretatio est vera. Nam quādo interpretatio cū hac cathedrā congruit, tū est vera, quando discrepat, est falsa. Sola igitur & vnica

Petri

Petri doctrina est regula & norma omnis interpretationis. Hoc concedimus Bellarmine, neque quisquam ex nobis id vnquam negauit. At Petri doctrina est libris Veteris & Noui Testamēti comprehensa. Ergo illa doctrina quæ in Prohetarum & Apostolorum libris scripta est, est omnis interpretationis regula. Sed Papa Cathedram Petri, id est, doctrinam Apostolicam sępè oppugnat, quemadmodū suo loco ostendemus. Vnde manifestum est eius iudicium, non magis quàm Caiphę, esse interpretationis regulam; Quemadmodum enim Caiphas non errat, cùm docet ex Cathedra Mosis, sed errat cùm Christum condemnat: ita Papa non errat cùm docet ex Cathedra Pętri, id est, cùm docet doctrinam Petri, sed errat, cùm Cathedram Petri, id est, doctrinā Petri oppugnat, eamq; flammis & incēdijs persequitur. Et ob eam caussam quando Papæ interpretatio cum sacra Scriptura congruit, tum est bona, cùm verò cum ea non congruit, tum est mala. Non igitur Papę interpretatio, sed doctrina Prophetica & Apostolica sacris literis comprehensa est omnis interpretationis regula.

Sextus locus est, Act. 15. cap. v. 28. *Visum est Spiritui sancto & nobis.*

Quicquid videtur Spiritui sancto hoc est verum, sed quicquid videtur Spiritui sancto, hoc videtur Papæ Romano. Ergo Papæ iudicium est omnis interpretationis regula.

Respondeo Minorem esse falsam: Spiritui enim sancto visum est solos Propheticos & Apostolicos libros esse Canonicos, Ephes. 2. v. 20. *Superstructi super*

ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum. At Papæ Nicolao viſum eſt, non ſolùm libros Prophetarum & Apoſtolorum, *ſed etiam Decretales Epiſtolas eſſe recipiendas.* Cap. Si Romanorum. Diſtinct. 19. Vel quod idem eſt, *inter Canonicas Scripturas Decretales Epiſtolas recipiendas eſſe.* C. Canonicos. Diſtinct. ead. Spiritui ſancto viſum eſt, cauſam Canonicæ auctoritatis eſſe diuinam inſpirationem, 2. Timoth. 3. v. 16. *Tota Scriptura eſt diuinitùs inſpirata.* At Papæ Romano viſum eſt, eius cauſam eſſe *Papæ Innocentij ſententiam.* C. Si Romanorum. Diſtinct. 19. *Vetus Nouumq;,* inquit, *Teſtamentum recipienda ſunt, quod de his recipiendis Sancti Papæ Innocentij eſſe prolata videtur ſententia.* Spiritui ſanct. viſum eſt, Apoſtolos verè accepiſſe Spiritum ſanctum, Act. 2. 2. 4. *Repleti autem ſunt omnes Spiritu ſancto.* At Papæ Rom. viſum eſt, non Apoſtolos, ſed Montanum accepiſſe Spiritum ſanctum. Tertullianus contra Praxeam. cap. 1. *Nam idem tunc,* inquit, *Epiſcopum Romanum agnoſcentē iam prophetias Montani, Priſcæ, &c.* Spiritui Sancto viſum eſt, ſoli Deo ſacrificandum eſse, Iud. 13. v. 16. *Si verò feceris holocauſtum, Iehouæ offer illud.* At Papę Romano viſum eſt, non ſoli Iehouæ, ſed etiam *Idolis ſacrificandum eſſe.* Damaſus in vita Marcellini. Spiritui ſancto viſum eſt, cum nemine in maleficio communicandū eſſe. 1. Pet. 1. *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* At Papæ Romano viſum eſt, cum *hæretico Achatio in maleficio communicandum.* Diſtinct. 19. C. Anaſtaſius, & ibi gloſſator. Huiuſmodi exemplorum pleni ſunt omnes libri decretorum, decretalium, & conciliorum. Manifeſtum igitur non quicquid viſum eſt Sp.

 ſancto,

sancto, id etiam visum est Papæ Rō. Præterea si ideò papæ iudicium est regula omnis interpretationis, quia visum est Spiritui sancto. Tum sequitur non iudicium ipsum papæ, sed *iudicium Spiritus sancti esse* regulam omnis interpretationis, & ob eam caussam quatenus papę iudicium cum Sp. sancti iudicio congruit, eatenus est sequendū, quatenus verò non cōgruit, non est sequendum. Hoc verò iudicium Spiritus sancti est Propheticis & Apostolicis libris cōprehensum, 2. Tim. 3. v. 15. *Tota scriptura diuinitùs est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus.* Ad Galatas, Cap. 1. v. 9. *Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema esto.* Deut. 4. cap. v. 2. *non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, neq; diminuetis quicquam ex eo.* Leuit. 10. v. 1. *Nadab & Abihu obtulerunt coram Iehouā ignem alienum, quod non præceperat eis: tum egressus est ignis à facie Iehouæ, & consumpsit eos coram Iehoua.* Ergo quicquid cum sacris literis cōgruit, id est recipiendum, & congruentia cum sacris literis est omnis interpretationis regula. Quod autē dicit Petrum præsedisse in Concilio Hierosolymitano, falsum est, ratio item, qua hoc ꝓbat, falsa est. Dicit n. *Petrū primum loquutum esse in eo Concilio*, inde infert, eum præsedisse. Ergo si illud falsum esse ostendero, manifestum erit & hoc falsum esse. Sed Actorum 15. v. 7. scriptum est: *Cùm autem multa disceptatio esset, surgens Petrus dixit eis.* Vnde apparet Petrum non esse primum in isto Concilio loquutum. Nisi igitur alia argumenta habeat Bellarminus, quibus

Petri

Petri præſidentiam probet, manifeſtũ erit, Petrũ in iſto Cõcilio non prȩſediſſe, Et licet non conſtet quis præſederit, tamen veriſimile eſt, Iacobũ præſediſſe, nam cùm ille dixiſſet, oẽs iuerunt in eius ſententiã, vt ex v. 13. & 22. colligi poteſt. Sed etiãſi Petrus prȩſediſſet, tamen hoc nihil faceret ad rem. Papa enim non eſt Petrus, neque cum Petro quicquam habet commune, vt ſuo loco oſtendemus. Prȩtereà ſi Petri ſuffragium ideò verum erat, quia à Petro dicebatũ, tũ reliqui Apoſtoli malè fecerũt, quòd non ſimulatq; dixerat, iuerint in eius ſententiã. Equidẽ Sp. ſanctũ ita eſſe alligatum *P*etro, vt quicquid viſum erat *Pe*tro, id etiã viſum eſſet Sp. ſancto, ignotum fuit Apoſtolis. Deniq; non quia *P*etrus hoc aut illud dixit, ideò verũ eſt, alioqui verum eſſet, quod dixit, Matth. *26. v. 72. non noui hominem,* & v. 74. *tunc cœpit ſeipſum deuouere, & iurare, dicens, non noui hominem.* Sed quia Spiritus ſanctus per *P*etrum dixit, ideò verum eſt. *P*lanè eodem modo, non quia *P*apa Romanus dicit, ideò verum eſt, ſed quia Sp. ſanctus dicit, ideò verũ eſt. Spiritus autem Sanctus ſuam de religione ſentẽtiam tradidit in verbo ſcripto, & iam per nouas reuelationes non docet Eccleſiam. Ergo quod cum verbo ſcripto congruit, hoc verum eſt, quod non congruit, hoc falſum eſt. Hoc adeò verum eſt, vt ſi quid ab Epiſcopis contra Dei verbum aſſeritur, id nullam auctoritatem obtineat. Auguſt. de Vnitate Eccleſiæ, capite 10. *Nec Catholicis,* inquit, *Epiſcopis conſentiendum eſt, ſicuti* (lego ſicubi) *fortè fallantur, vt contra Canonicas Dei ſcripturas aliquid ſentiant. Imò ſi quid à toto concilio contra Dei verbum aſſeritur,* Hieron.

ad Galatas. *Spiritus sancti*, inquit, *doctrina est, quæ Canonicis libris prodita est, contra quem si quid statuant concilia, nefas duco.* Cùm igitur non idem videatur *P*apæ & Spiritui sancto; neque *P*apa cum *P*etro quicquam habeat simile, & pleraque conciliorum papalium decreta pugnent cum decretis Spiritus sancti, frustrà nobis 15. caput Act. obijcitur.

Septimus locus est ad Galatas 2. v. 2. *Ascendi autem ex reuelatione, & exposui eis Euangelium, quod prædico inter gentes, sed priuatim cum eis, qui sunt in pretio, ne quomodo frustrà currerem, aut cucurrissem.*

> Quod fuit *P*etri officium, hoc etiam fuit officiũ *P*apæ Romani. Sed *P*etri officium fuit de doctrina fidei iudicare, Ergo *P*apa Romanus nõ potest errare in scriptura interpretanda.

Respondeo Maiorem esse falsam. *P*etrus enim fuit Apostolus, *P*apa non est Apostolus. *P*etrus fuit immediatè à Deo vocatus, *P*apa non est immediatè à Deo vocatus. Eligitur enim à Cardinalibus. *P*orrò *P*etrus prædicauit, & sacramenta administrauit, at à multis annis nullus *P*apa prædicauit, neq; sacramenta administrauit. Præterea *Petrus ambulauit super aquas*, Matthæi 14. v. 9. *Paralyticum verbo sanauit.* Act. 9. v. 34. *Thabitã ex mortuis excitauit.* Act. 9. v. 40. *Vmbrà infirmos sanauit.* Act. 5. v. 15. Si igitur quicquid fecit *P*etrus, facere debet *P*apa, faciat hæc *P*apa Romanus. Ex his apparet Maiorem esse falsam. Ad Minorem dico, posse eam dupliciter intelligi, nẽpè vel *P*auli doctrinam propter *P*etri approbationem esse veram, neque futuram fuisse veram, nisi *P*etrus eam approbasset, vel *P*etrum dedisse *P*aulo

testimo-

testimonium consensus, vt falsi fratres confutarentur, & gentes faciliùs crederent. Si igitur Minorem accipis in primo sensu, tum est falsa. Nam vt inquit ipse *P*aulus, Gal. 2, 6. *Ab ijs autem, qui existimantur esse aliquid, qualescunque fuerint, nihil mihi discrepat. Nā qui sunt in pretio, nihil mecum præterea contulerunt, imò è contrario, cùm vidissent mihi concreditum fuisse Euangelium præputij: sicut Petro Circumcisionis; dextras dederunt societatis.* Planè eodem modo Chrysostomus. *Ipsi*, inquit, *non erat opus discere, an in vanum cucurrisset, sed vt ijs, qui ipsum accusabant, ad plenum persuaderetur.* Et paulò post. *Non enim*, inquit, *cupiebat aliquid discere, corrigeréue suorū dogmatū, sed occasionē adimere cupiētib. alios decipere.* Et paulò post. *Cùm igitur*, inquit, *offenderentur, palàm quidē accedere, suamq́; prædicationem aperire non sustinebat, sed seorsum contulit cum his, qui erant alicuius opinionis, præsentibus Barnaba & Tito, vt hi apud eos, qui eum criminabantur, essent idonei testes, ne Apostolis quidem visum, Pauli prædicationem in gentibus peractam pugnare cum Apostolorum sententia.* Et paulò post. *Postquam cognouerant*, inquit, *quæ prædicarem, nihil adiecerunt, nihil inde correxerunt, idq́; cùm scirent, me ea gratia venisse Hierosolymam, vt cū ipsis communicarem, ac Titum incircumcisum habebam mecum, itaque nec illi mihi quicquam dixerunt vltra ea, quæ priùs scieueram, nec illum circumcidi.* & paulò post, *in tantum*, inquit, *abfuerunt ab incusando, vt comprobarent etiam.* & paulò post, *Iamq́; se cæteris*, inquit, *honore parem ostendit, nec se reliquis illis, sed ipsi summo cōparat, declarans quòd vnusquisque parem sit sortitus dignitatem.* Et paulò post, *ô prudentiam*, inquit, *eximiam, ô con-*

ò concordiæ demonstrationem irrefutabilem, ostendit & illorum doctrinam ipsius, & ipsius illorum esse, eadem enim vtrisque placebant. Vnde apparet esse fallaciam à non causa vt causa. Non enim vt Paulus se vel suam doctrinam confirmaret, sed vt falsos fratres, qui dicebant Paulum non idem docere, quod reliqui Apostoli docebant, refelleret, & infirmos confirmaret, profectus est Hierosolymam. Deinde & res ipsa hoc docet, 1. Corinth. 9. v. 26. *Ego*, inquit, *ita curro, vt non in incertum*. Respectu igitur sui, & doctrinæ suæ non currebat, vt in incertum, & ob eam causam non opus habebat confirmatione, respectu autẽ falsorum fratrum & infirmorum, vtiliter ei Apostoli testimonium consensus in doctrina præbuerunt, atque hoc modo Augustinus & Hieronymus explicari debent. Nam si quod sentit Bellarminus, intelligerent Ecclesiam Paulo simpliciter non fuisse credituram, nisi eius Euangelium fuisset à Petro confirmatum: apertè ab ipso Paulo & Luca confutarẽtur, qui hanc, de qua quæstio est, confirmationem, interiecto 14. annorum interuallo, Ierosolymæ demũ contigisse scribunt. Atqui constat Paulum ante illud tempus lucrifecisse Domino infinitas Ecclesias. Deinde etsi verum esset (quod tamen falsum esse ostendi) eas Ecclesias non fuisse Paulo credituras, nisi doctrinam eius Petrus approbaret; tamen non inde efficeretur eas ita facere debuisse. Constabat enim Pauli Euangelium, non *ab homine neque per hominem; sed à Iesu Christo patefactum esse*. Constabat item Paulum ab ipso Deo ἀμέσως non minus, quã ipsum Petrum vocatum esse; ita vt meritò suum

Apo-

Apostolatum non modò Petri Apostolatui compararet, sed nonnullis etiam nominibus anteponat, & se neget cum carne & sanguine, & ne quidem cum primarijs Apostolis suum Euangelium contulisse, neque Ierosolymam ad eos abijsse visendos, sed continuò profectum esse in Arabiam, atq; ibi impositam muneris functionem diligẽter obijsse. Falsum igitur est quod Bellarm. ex Hieron. & Augusti. colligere conatur, ecclesias nō debuisse Paulo credere, nisi eius doctrina priùs à Petro cōfirmata esset. Deinde falsum est, quod Bellar. hinc infert. Petri & eius succesorũ munus ese, de doctrinis iudiciũ ferre, & ꝓpter illud iudiciũ doctrinam esse veram. Hoc Pauli & oĩm Apostolorũ, q̃ Petri confirmationem ignorarũt, exemplis liquet. Si verò minor in hunc modum formatur, sed Petrus præbuit Pauli doctrinæ, quæ ꝑ se vera erat, testimonium consensus, tum illa quidem est vera, sed nihil aliud sequitur, q̃ papam debere doctrinæ per se veræ testimonium consensus præbere. Dum igitur colligis Bellarmine papæ iudicium esse omnis interpretationis regulam, scias te aliud concludere, quàm fuit in præmissis. Quæstio enim est, an papæ iudicium sit omnis interpretationis regula? Sed huius neque subiectum, neque prædicatũ est in antecedente. Cùm igitur Maior sit manifestè falsa, & Minor non simpliciter vera, atque aliud colligatur, quàm fuit in antecedente, videris ipse Bellarmine, quantum sit tuo argumento tribuendum. Deinde non solus Petrus, sed & Iohannes & Iacobus porrexerunt Paulo dextras societatis. Si igitur proptereà Petri est de doctrina iudicare, est idẽ

& Iohannis & Iacobi , & si propterea est *Petri* successorum de doctrina iudicare; est idem & Iacobi, & Ioannis successorum de doctrina iudicare ; & ob eam caussam summum illud iudicium non ad solius *Petri* , sed etiam ad Iohannis & ad Iacobi successores pertinet. At hoc non vult Bellarminus ; Ergo hoc argumentum non est idoneum ad illud probandum , quod Bellarminus intendit. *Præterea* totum argumentum nihil facit ad rem, nam ita colligi debet.

Cuius est de doctrina iudicare, ille non potest errare in scriptura explicanda . Sed *Papæ* est de doctrina iudicare. Ergo *Papa* non potest errare in doctrina explicanda.

Sed hæc Maior est falsa. Longè enim aliud est, officium aliquod administrare,& illud perfectè administrare. Caiphæ n.erat de doctrina iudicare; sed nō rectè iudicabat , cùm Christi doctrinā vt blasphemā condemnaret. Cypriani erat de doctrina iudicare; sed non rectè iudicabat, cùm Anabaptismum constitueret. Irenæi & Lactantij erat de doctrina iudicare; sed non rectè iudicabant , cùm Chiliastarum errores constituerent. Victoris Romani erat de doctrina iudicare ; sed non rectè iudicabat , cùm Orientales propter *obseruationem moris antiquitus traditi* excommunicaret , Euseb. lib. 5. c.24. Et ibi Irenæus. Anastasij Romani fuit de doctrina iudicare; sed non rectè iudicabat, cùm hæresin foueret, Distinct. 19. C. Anastasius. Similia exempla passim occurrunt. Non igitur cuiuscunque est de doctrina iudicare,ille rectè iudicat, ad Minorem dico,non

ſolius *P*apæ, ſed omnium Epiſcoporum eſſe de doctrina iudicare; imò Epiſcoporum iudicia ſæpè ſunt papali iudicio præferenda. Diſtinct.20. C. Decretales. *Vnde nonnullorum*,inquit, *pontificum conſtitutis, Auguſtini, Hieronymi, & aliorum tractatorum dicta videntur eſſe præferenda.* Si igitur quicunque debent de doctrina iudicare, non poſſunt errare, tum nulli Epiſcopi poſſunt errare. Sed hoc eſt abſurdum etiam Bellarmino teſte, Ergo abſurdum ex quo hoc conſequitur. Deinde excutiat Bellarminus Commentarios Hieronymi, Chryſoſtomi, Ambroſij, Theophylacti, Oecumenij, & aliorum in Epiſtola ad Galatas, & videbit neminem ex his omnibus hunc locum ita interpretari, vt inde colligat *P*apam non poſſe errare in interpretando. Denique dicere, *P*etrus non potuit errare in interpretando, Ergo & *P*apa non potuit errare in interpretando, perinde eſt, ac ſi dicas, Moſes non potuit errare in iudicando, Ergo & Caiphas non poteſt errare in iudicando. Non enim maior neceſsitas eſt,inter *P*etrum & *P*apam, quàm inter Moſen & Caipham. Cùm igitur Maior falſa, & Minor non ſimpliciter vera ſit, ſequitur concluſionem veram non eſſe.

Octauus locus ex 1. Corinth. 12. v. 8. *Alij datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij Prophetia, alij interpretatio.* Hinc infert *P*apam non poſſe errare in ſcriptura explicanda, q. d.

Quod non datur omnibus, hoc datur *P*apæ Romano. Sed donũ interpretãdi nõ datur omnib. Ergo *P*apa Rom. nõ poteſt errare in ſcript. interpretanda.

Rogandus esset Bellarminus, vt nouum organum conscriberet. Nā Aristotelis logica apud eum iāpridem euiluit. Equidē Aristotelis organū, & eius Expositores Arabas, Græcos & Latinos legi & relegi, at hæc Iesuitica mysteria in argumētis formandis, apud illos nondū repperi. Sed extra iocum. Maior est falsa. Neque existimo Bellarmine, te adeò perdidisse oēm pudorem, vt audeas eam defendere. Sequeretur enim omnium & singulorū Christianorū dona esse in vno papa coaceruata. Et hæc quidē est interna vestra sententia. Dicitis enim *omniū fideliū salutē post Deum pendere à Papa.* Distinct. 40. C. Si papa. Et *omnem religionem debere à sede Apostolica, hoc est, à papa normam sumere.* Distinct. 12. C. Præceptis, *neq; licere cuiquā de iudicio summi Pontificis disputare.* 17. Quæst. 4. C. si quis suadēte, & *papā posse supra ius dispensare.* de Concessione præbendæ. C. proposuit. *Papam item posse contra Vetus ac Nouū Testamentū dispensare.* ibid. & ibi glossa. & *Papam habere omnia iura in scrinio pectoris sui.* in sext. de Constitut. C. Licet. Similia passim occurrūt in papisticis libris. Sed in tāta Euāgelij luce nemo mētis cōpos hæc asseruerit. Et si quis hæc asserere vellet, eū tamen paparū vita & doctrina refutarent. Vitas eorum describūt Balæus, Platina & Barnsus, easdē attingūt refutator Bruti fulminis, & Isaac Rabbothenu part. 3. cap. 6. Doctrinā eorū demonstrat prouerbium, *Monacho indoctior.* Deinde aliud concludit, q̄ fuit in antecedēte, nam neq; subiectū, neq; prædicatū conclusionis est in præmissis, neq; quicquā aliud sequitur, quàm papā habere donum interpretandi. Si quis autem hinc cuperet inferre

ferre, *P*apam Rom. non poſſe errare in interpretando, formare deberet argum. in hunc modum.

Qui habet donum interpretãdi, ille nõ poteſt errare in doctrina, vel eius volũtas eſt regula oĩs interpretationis. Sed *P*apa Rõ. habet donũ interpretandi. Ergo *P*apa Rom. non poteſt errare in doctrina, vel *P*apæ Rom. voluntas eſt regula omnis interpretationis.

Hoc modo argumentum formari debebat, ſed Maior eſt falſa. Nam Cyprianus habuit donum interpretandi,& tamen aliquando errauit, idẽ accidit Tertulliano, Ambroſio, Chryſoſtomo, Auguſtino, Hilario, Theodoreto, Damaſceno, Thomę, Lyræ,& multis alijs. Hoc adeò manifeſtũ eſt, vt nemo auſit negare. Deinde & Minor falſa eſt, Quotus n. quiſq; papa nunc eſt, qui habeat donũ interpretandi, & vt maximè haberet illud, ipſius tamen interpretationis eum puderet. Quid n. interp̃tatus eſt Gregorius 13. Sixtus 5. *P*aulus 4.& 3. Clemẽs, Adrianus, Leo decimus & multi alij? an vnquã concionati ſunt? an vllos viua voce docuerunt, vel vllos Commentar. ſcripſerunt, aut quomodo poteſt eius interpretatio vera eſſe, qui nihil interpretatur? *P*rætereà donũ interp̃tandi datur per Sp. ſanctũ. Sed excutiat Bellar. vitas paparum, vt illæ ſunt à Platina, Barnſo, Balæo,& alijs deſcriptæ,& reſpondeat, an à longo tempore exiſtimet vllum papam habuiſſe Sp. ſanctum? At qui Sp. ſanctum non habẽt, quomodo poſſunt donũ interpretationis habere? Cùm igitur neque Maior, neq; Minor vera ſit, ſequitur concluſionem verã non eſſe.

Nonum teſtimonium 1. Ioan. 4. v. 5. *Nolite cuiuis*

ſpiritui

Spiritui credere, sed probate Spiritus, an ex Deo sint, nam multi Pseudopropheta venerunt in mundum, hinc infert Papam Romanum non posse errare in Scriptura explicanda, quasi dicat,

Quos Spiritus debemus probare, illi possunt errare in Interpretando: sed quemuis Spiritum debemus probare, Ergo Papa Romanus non potest errare in interpretando.

Sed quis est harum nugarum finis? Quis ex omnibus patrib. ex hoc loco collegit, Papam Rom. non posse errare in Scriptura explicanda? Respondeo Maiorem esse falsam. Paulus enim *probabatur à Berhoënsib.* Act. 17. cap. & tamen non poterat errare in Scriptura explicanda. Similia exempla adduci possunt. Est igitur fallacia à non causa vt causa. Nam non propterea doctrina est mala, quòd probatur, sed quia à verbo Dei discrepat, ideò est mala. Ad Minorem dico, Si illa vera est, tum & Papam debere probari, nam si omnem Spiritum probare debemus, & Spiritus Interpres est, tum sequitur, vel & Papam probandum esse, vel papam non esse Interpretem. Eligat Bellarminus quod volet. Deinde aliud est in conclusione, quàm in præmissis. Quæstio enim est, an Papæ iudicium sit regula omnis interpretationis, sed huius neque subiectum, neque prædicatum est in præmissis. Quòd verò Bellarminus hîc de priuato Spiritu dicit, puerile est; priuatum enim non opponitur hîc publico, sed diuino, vel spirituali, vel denique ei, quod à Spiritu sancto profectum est. Et priuatum hîc non est illud, quod publico opponitur, sed est idem, quod humanum, vel quod ab homine

mine profectum est, 2. Pet. 1, 20. *Si illud inprimis noueritis nullam prophetiam Scripturæ esse priuatæ explicationis. Non enim libidine hominis allata est olim prophetia, sed acti à Sp. sancto loquuti sunt sancti Dei homines.* Hinc apparet priuatam explicationem esse idem atque illud, quod *libidine hominum allatum est*, id est, humanum, & eius oppositum esse illud, quod profectum est à Sp. sancto. Dum igitur Bellarminus putat eam esse priuatam explicationem, quam affert homo priuatus, & eam non esse priuatam, quam affert Episcopus, hoc est homo publicus, pueriliter sophisticatur. Nam & Cyprianus erat Episcopus, tamen cùm doceret baptizatos debere rebaptizari, eius doctrina fuit priuata. Augustinus fuit Episcopus, tamen cùm doceret, *infantibus cœnam porrigendā esse*, eius doctrina erat priuata. Victor Roman. fuit Episcopus, tamen cùm doceret, *Orientales Ecclesias propter ritum ab Apostolis acceptū esse excommunicādas*, eius doctrina erat priuata. Anastasius erat Episcopus, tamen cùm doceret, *communicandum esse cum hæreticis*, eius doctrina erat priuata. De similibus est idem iudicium. Non refert igitur an interpres publicam an priuatam personam sustineat, cùm interpretatur. Nec illa interp̄tatio est publica, quæ à publica persona proficiscitur, nec illa priuata, quæ ab homine priuato proficiscitur. Sed illa est priuata interpretatio, quæ ab humano cerebro proficiscitur, & illa non est priuata, quæ à Spiritu sancto proficiscitur. Hoc adeò est manifestum, vt nemo sanæ mentis illud negaturus sit. Præterea quibus Christus dat potestatem probandi Spiritus, illis dat iu-

dicandi

dicandi poteſtatem. Doctrinam enim probare, eſt eam iudicare. At Chriſtus non ſolis Epiſcopis, ſed omnibus Chriſtianis dedit iudicandi poteſtatem. Petrus enim alloquitur omnes fideles. Ergo non ſoli Epiſcopi, ſed omnes Chriſtiani habent probandi poteſtatem, & hoc verum eſſe docet exemplum *Berhoënſium.* Act. 17. Neque tamen diſcrimen inter iudicium doctoris & auditoris tollimus; ſed ſimpliciter ex hoc loco colligimus, probationem ſpirituum ad oẽs Chriſtianos pertinere, & non ad ſolum papã. Si putat Bellar. eam interpretationẽ eſſe falſam, quæ probatur, & eam eſſe verá, quæ non ꝓbatur, & ſubiungit Papæ interpretationem non debere probari, & propterea eam eſſe veram, tum nititur falſo fundamẽto. Nam vt antè oſtendimus, & vera & falſa doctrina ſimul probari debent, neque quia doctrina non probatur, ideò vera eſt, ſed quia cũ Dei verb. congruit, ideò vera eſt. Deinde petit id quod eſt in principio. Papæ enim doctrinam nõ eſſe probandá, inter nos controuerſum eſt, & hoc ipſum pugnat cũ doctrina Petri, nam ſi Spiritus probare debemus, & papa Spiritus eſt, certè & papam probare debemus, vt taceam papam non eſſe maiorem Paulo, & Barnaba. Illi aũt paſsi ſunt ſuam doctrinam à Berhoënſibus probari. Ergo non indignè feret Papa Rom. ſuam doctrinam à proteſtantibus probari. Quod dicit nos illud, *hoc eſt corpus meum*, ideò explicare, pro hoc ſignificat corpus meum, quia Spiritus id nobis reuelat, non aũt quia poteſt probari ex ſcript. Si hoc intelligit de ſpiritibus priuatis, facit nobis iniuriam, non enim ad ſpiritus priuatos, ſed ad ſpiritũ in ſcri-

ptura

ptura loquentem recurrimus. Deinde dicit falsum. Probamus enim illud ex scriptura, ex alijs phrasibus sacramẽtalibus, quę in scriptura vsurpantur, ex articulis fidei, & ex vnanimi consensu primitiuæ Ecclesię, quemadmodum suo loco ostendemus, & ob eã causam nõ est necesse, vt à Papa Rom. huius sacramenti explicationẽ petamus. Quòd addit de Apostolis & antiquis fidelibus, illi hoc ita explicuerunt, vt nos explicamus. Si igitur eorũ iudicio standũ est, falsa est sẽtẽtia papistarũ, vera orthodoxorũ. Addit se ostẽdisse Papam Rom. semper *dirigi à Sp. sancto, ne vnquã erret.* At hoc non fecit his libris, nullũ n. Argumentũ attulit, quod sit argumenti nomine dignum, quemadmodum partim ostensum est, partim adhuc ostendetur. Postremò *si Spiritus*, inquit, *ipsorum* (loquitur de nobis) *est bonus, esset idem cum spiritu Apostolorum & primorum fidelium, sed spiritus eorum non volebat esse iudex, sed recurrebat ad Petrum, & concilium, & eorum sententiæ acquiescebat. Ergo Spiritus eorum qui se iudicem constituit, non est spiritus bonus.* Quod miror Bellarmino excidere potuisse. Totis enim 50. annis nihil aliud quàm concilium vrsimus. Quoties protestantes Germaniæ Cæsari supplices facti sunt, vt Concilium conuocari curaret, quoties Papa falsò promisit, se liberum Concilium in Germania indictum esse, quoties protestantes Galliæ concilium expetiuerunt, & adhuc expetunt. Verùm Bellar. nos cupimus Cõciliũ, in quo Cathedra Petri. i. doctrina Petri sit iudicij norma, nõ aũt in quo Cathedra Antichristi, hoc est, doctrina Antichristi sit regula iudicij. Imò Bellarmine, si veritas tibi adeò cordi est, effice

effice apud papam, vt liberum concilium indicatur, in quo non tantùm papisticis, sed etiam orthodoxis Episcopis liceat sententiam dicere, in quo protestātibus liceat suam doctrinam proponere, & tueri, & papistæ cogantur de hæresibus obiectis rationem reddere, in quo Episcopi à papæ iuramento liberentur, vt possint liberè sententiam dicere, & in quo papa tyrannidem per vim occupatam non vsurpet, & videbis protestantes non fugere lucem, neque reformidare iudicium, imò videbis illorum Spiritum à Petri Spiritu non dissidere. Si autem posthac lucem fugere, vobis de omnibus iudicandi partes sumere, nemini de vobis iudicandi potestatem concedere, & tamen quotidie concilium clamare, & vestros aduersarios indicta causa bello persequi pergetis. Scitote vos nihil aliud profecturos, quàm vt toti mundo ostendatis, vos regi isto spiritu, qui dicebat, *quid adhuc nobis opus est testibus, audiuistis blasphemiam, quid vobis videtur? illi verò omnes contra eum iudicarunt, ipsum teneri mortis pœna.* Desine igitur nugari, & vestram turpitudinem amplius detegere, an non concilium palàm clamando, & illud occultè fugiendo hoc effecistis, vt tota Dania, Sueuia, Anglia, Scotia, maxima pars Germaniæ, Galliæ, Belgicæ, Poloniæ, Hungariæ, Transyluaniæ, & Heluetiæ vestras fraudes intellexerint, & à papisticis hæresib. secessionem fecerint? Quin breui videbis ipsam Italiam & Hispaniam vestras hæreses abiecturas esse. Plura de hac re dicam, cùm de Concilijs disputabo. Vt autem omnia in pauca contraham, manifestum est ex præcedentibus, non soli Petro, sed omnibus Apo-

stolis,

ſtolis, imò omnibus miniſtris legitimè vocatis claues datas eſſe, & inter *P*apam & *P*etrum nullam eſſe ſimilitudinem, neque claues ſignificare interpretationem, neque omnes miniſtros ſemper rectè ligare & ſoluere. Deinde oſtenſum eſt, mores formare, & vitia arguere eſſe aliud, quàm ſcripturam interpretari, idque pertinere nō tantùm ad *P*etrum, ſed ad omnes Apoſtolos, imò ad omnes miniſtros legitimè vocatos, eoſque in eo officio adminiſtrando ſæpè errare. Denique oſtenſum eſt, Cathedram *P*etri ſignificare aut locum, in quo docuit, aut doctrinam *P*etri, aut eius officium. *P*apam verò neque docere doctrinam *P*etri, neque adminiſtrare officium *P*etri, & quod ad locum attinet, Simonem etiā Magum docuiſſe Romæ. Neq; doctrinam *P*etri propterea veram eſſe, quòd à *P*etro profecta erat, ſed quia cum mandatis Chriſti congruebat, neque habuiſſe eum poteſtatem quidlibet, etiam cōtra mandatum Chriſti docendi, ſed habuiſſe mandatum certis limitibus comprehenſum, nempè vt doceret ea, quæ Chriſtus mandauerat. Neque ſolius *P*etri doctrinam, ſed & reliquorum Apoſtolorum doctrinam fuiſſe veram, neque eos ſedere in cathedra *P*etri, qui in ijs locis docent, vbi *P*etrus docuit; ſed omnes eos, quicunq; eius doctrinam docent, ſedere in eius cathedra, idq; vbique locorum & temporum. Prætereà oſtenſum eſt, non ſolùm *P*etrum, ſed omnes Apoſtolos paſcere omnes oues Chriſti, Reliquos omnes Epiſcopos paſcere quidem oues Chriſti, ſed non omnes, poſſe etiam eos errare, qui paſcūt oues Chriſti, *P*apā etiam non ſolùm non paſcere oēs oues Chriſti, ſed

ne pascere quidem omninò. Quintò ostensum est, & illos posse errare in doctrina, pro quibus Christ. orat. Petrum etiam post hanc orationem in doctrina errasse, neque Christum orasse pro solo Petro, sed pro omnibus Apostolis, imò pro omnibus fidelib. multos etiam Papas à fide defecisse. Sextò ostensum est, Petrũ non præsedisse in primo Concilio, neque papã quicquã habere cum Petro cõmune, habere itẽ potestatem approbandi doctrinam omnes Episcopos legitimè vocatos, & eos posse errare, qui eã potestatem habent. Septimò ostensum est, Pauli doctrinam non propterea esse veram, quòd à Petro approbata est, sed per se esse veram, neque Paulum magis opus habuisse approbatione Petri, quàm Petrum approbatione Pauli, Paulum verò fuisse Ierosolymam profectum, vt falsos fratres conuinceret, & infirmos confirmaret. Octauò ostensum est, solum Papam non habere donũ interpretandi, & eos qui donum interpretandi habent, posse errare. Nonò ostensum est, omnem doctrinam debere probari, omnesque fideles habere istam probandi potestatem, posse etiam eos errare, qui doctrinam probant. Vnde apparet doctrinam papisticam de regula interpretationis adhuc æquè incertam, & dubiam esse, atque antea erat.

CAPVT IV.

Argumenta pro papistica interpretationis regula ab Ecclesia consuetudine ducta refutantur.

DEstructis argumentis pro papistica interpretationis regula ex Nouo Testamento ductis,

Sequitur

sequitur vt ea refutentur, quæ à praxi Ecclesiæ petita sunt. Primum Argumentum quia papa semper præfuit Concilijs, & in ijs controuersias Ecclesiasticas diremit. Argumentum tale;

Quicquid fit ab vniuersa Ecclesia, hoc est legitimum: sed in vniuersa Ecclesia semper obseruatum est, vt papa Concilijs præsideret, & in ijs controuersias dirimeret. Ergo papa non potest errare in scriptura interpretanda.

Respondemus aliud concludi, quàm fuit in præmissis. Prædicatum enim conclusionis non est in antecedente. Deinde dicimus Maiorem esse falsam. In tota enim primitiua Ecclesia, calix dabatur Laicis, in tota autem papistica Ecclesia calix negatur Laicis. Tota item primitiua Ecclesia libros Machabæorum, Iudith, Tobiam, Ecclesiasticum, Sapientiã & Baruch non habuit pro Canonicis, papistica Ecclesia eos habet pro canonicis, huiusmodi plura exẽpla adduci possent. Aut igitur tota primitiua Ecclesia errat, aut tota papistica Ecclesia errat. Deinde cùm Elias clamaret, *se solum relictum esse, & sacerdotes omnes sacrificarent Baalim, & cùm omnes sacerdotes condemnarent Christum*, dicat quæso Bellarminus, num illud verùm erat, quod vniuersa Ecclesia tum sequebatur. Quoniam verò Bellarminus addit istas voces, *semper & nunc*, videtur Maior etiam in hunc modũ formari posse. Quod vniuersa Ecclesia semp fecit, & adhuc facit, illud est legitimũ. Sed tũ ostendat Bellarm. vnum dogma de fide, in quo vniuersa ecclesia semper à nobis dissensit, & adhuc dissentit. Et cùm hoc fecit, tum cogitabimus de respon-

sione. Deinde & Minor falsa est. Papa enim non præsedit in omnib. Concilijs, neq; omnes controuersias diremit. Sed quoniam Bellarmino libuit Minorem probare, nos eius rationes expendemus. Prima Minoris probatio est, quia *Petrus præsedit in Concilio Hierosolymitano, & in eo primam controuersiam diremit*, q. d.

Petrus præsedit in primo Concilio. Ergo papa non potest errare in Scriptura explicanda.

Respondemus antecedens huius argumenti falsũ esse; Eius falsitatem antè ostendimus. Deinde Petrus non fuit in isto Concilio vt papa Romanus. Eo n. tempore papa Romanus nondum erat in rerũ natura. Et si daremus Petrum in eo Concilio prę-sedisse, nihil tamen iuuaret causam Bellarmini. *P*apa enim non est *P*etrus, neque quicquam cum *P*etro habet commune. Cùm igitur antecedens falsum sit, neque consequens cum antecedente vllo modo cohæreat, facilè apparet, quantum huic argumento tribuendum sit. Secunda probatio, quia *Victor Romanus diremit controuersiam de paschate.* Equidem Bellarmine, si frontem habuisses, abstinuisses ab hoc argumento. De eo enim facto Eusebius lib. 5. Eccles. hist. cap. 24. *Sed hoc*, inquit, *non omnibus placebat Episcopis, quin potius è contrario scribentes ei iubebant, vt magis quæ pacis sunt ageret, atque concordiæ & vnanimitati studeret.* Et paulò post. *Extant*, inquit, *etiam ipsorum literæ, quibus asperiùs obiurgant Victorem, velut inutiliter Ecclesiæ commodis consulentem.* Nota Episcopos habuisse eo tempore potestatem iubendi, & obiurgandi papam. Irenæus apud Eusebium eodem loco

de

de Victore dicit, quòd *fecerit abscindere à corporis vnitate tot & tantas Ecclesias Dei, quæ morem sibi antiquitus traditum custodirent.* Et paulò post, *Illi omnes,* inquit, *ante ad Soterem presbyteri, qui Ecclesiæ, cui tu nunc praes, sacerdotium tenuerunt, Anicetum dico, & Pium, Higinumq́; & Telesphorum, & Xistum, neque ipsi ita tenuerunt, neque hi qui cum ipsis erant; & tamen cùm ipsi ita non obseruarent, pacem semper habuerunt cum illis Ecclesiis, quæ hunc obseruantiæ morem tenebant: cùm vtique & ipsis contrarium videretur, quod non etiam cæteri similiter obseruarent. Nunquam tamen ob hoc repulsi sunt ab Ecclesiæ societate, aut venientes ab illis partibus non sunt suscepti: imò potius & omnes presbyteri, qui fuerunt ante te, omnibus semper qui non ita obseruabant presbyteris Ecclesiarum, Eucharistiam solenniter transmittebant.* Et paulò post. *Neque enim Anicetus Polycarpo suadere potuit, vt non obseruaret ea, quæ nouerat Iohannem discipulum Domini nostri, vel cæteros Apostolos, cum quibus semper fuerat, obseruasse: neque rursum Polycarpus Aniceto persuasit ea deserere, quæ ille dicebat à se maiorum more seruari. Cùmq́; hæc ita inter se habuissent, communicarunt sibi inuicem, ita vt concederet Anicetus Polycarpo etiam sacerdotali ministerio honoris duntaxat contemplatione perfungi; & ita à se inuicem plena fide, pace integra, & firma charitate discedunt, vt omnes Ecclesiæ, siue quæ ita de Pascha, siue quæ non ita seruarent, inter se tamen concordiam custodirent.* Hinc apparet Victorem inutiliter Ecclesiæ consuluisse, & fraternam vnitatem dissoluisse, non autem hæreses diremisse, dum igitur hinc infert, papam non posse errare in scriptura interpretanda, perinde est ac si dicat,

Victor dissoluit Ecclesiæ vnitatem, & fraternitatem, Ergo papa Romanus non potest errare in scriptura interpretanda.

Qualia sunt labra, tales sunt lactucæ. Deinde non solus victor præfuit in Concilio Romano, sed cum eo *Palmeas*. Testis Euseb. *l.* 5. *Eccles. c.* 23. ex translatione Ruffini. Prętereà Victoris nō erat eo tēpore in omnibus Concilijs præsidere, sed tantùm in illis, *quæ erant in sua diœcesi.* Imò ne quidem ex Eusebio probari potest, Victorem Romano Concilio præfuisse. Dicit enim ἐπίσκοπον βίκτορα ἐνδῶσα. De pręsidendi auctoritate nullū verbū. Deide Cęsariēsi præfuit Theophilus, Gallico Irenæus, Achaico Bacchylus. Testis idem *Eusebius lib.* 5. *Eccles. hist. cap.* 23. Vnde apparet Victorem non plus iuris habuisse in Cæsariensem, Gallicam & Achaicam Ecclesiam, quàm vel Bacchylus, vel Irenæus, vel Theophilus habuit in Ecclesiam Rom. Et si quis rem diligenter expendit, ille videbit ipsum Constantinum in Nicęno Concilio præsedisse. Ille enim Episcopos convocauit, eisque præscripsit, vnde probationum & fidei elemēta desumere debeant, idem sententias audiuit, suffragia moderatus est. effrene contentionis studium coercuit, libellos accusatorios in ignem coniecit, episcopos ad concordiam hortatus est, & penè coegit, vtraque parte vnanimiter audita sententiam pronunciauit, & contumaces pęnis coercuit. Ruffin. lib. 1. cap. 1. & 2. Eusebius in vita Cōstantini lib. 3. Theodor. lib. 1. cap. 10. Tertia probatio, *quia Cornelius præfuit duobus Concilijs Romanis, in quibus Nouatus est damnatus, & Anabaptismus refutatus*, vtrumque probat

bat ex Eusebio, illud ex *lib. 6. cap. 33*. hoc ex *lib. 7. cap. 2.* Sed neutrum dicit Eusebius. Cùm igitur falsum alleget Bellarminus, fidem non habet eius probatio. Deinde etiamsi istis Concilijs Episcopus Romanus præfuisset, hoc neq; esset nouũ, neq; faceret ad rem. Nouum non erat, erat enim in sua diœcesi, ijs verò Concilijs, quæ erant extra suam diœcesin, vt Cæsariensi, Gallico, Achaico non præfuit, sed Episcopi, qui erant in istis locis. Neque ad rem facit. Non enim sequitur illos non posse errare, qui præsunt cõcilijs, alioqui n. & Bacchylus, & Theophilus, & Ireneus, & multi alij errare nõ possēt. Sed hoc est absurdũ, Ergo & illud. Quarta probatio, quia papa præsedit in Synodo Nicæna, eamque approbauit, & in ea Arrianismum sustulit.

Papa præsedit in Concilio Nicæno. Ergo papa non potest errare in scriptura interpretanda.

Respondeo antecedens hoc esse falsum. Nam vel Eustathius vel Hosius præsedit. Eustathius enim inter Episcopos primum locum in sessione tenuit. Theodoretus lib. 1. cap. 7. Idem potest colligi ex Euseb. lib. 3. de vita Constantini. Hosius verò in subscriptionibus primum locum tenuit, neque vt legatus papę subscripsit, sed vt Episcopus Cordubēsis. *Hosius Episcopus ciuitatis Cordubensis prouintiæ Hispaniæ dixit, ita credo sicut superius scriptum est.* De Victore verò & Vincentio scriptum est, quòd pro Papa Romano subscripserint. *Victor & Vincentius presbyteri vrbis Romæ pro venerabili viro Papa & Episcopo Syluestro subscripsimus.* Deinde Theodoritus lib. 1. c. 7. disertè dicit, *Romanum Episcopum misisse presbyteros,*

nõ tres, sed *duos*. At si Hosius simul à papa missus esset, tum tres ab eo missi essent, Hosius sc. Victor, & Vincentius. Vnde apparet Hosij & reliquorum duorum subscriptiones esse diuersas, ac proinde si ille qui primus assedit, fuit præses; tum Eustathius præsedit; si verò ille, qui primò subscripsit, tum Hosius fuit præses. Sozomenus Romani Episcopi legatis quartum locum attribuit, vt est in Tripartit. *hist. lib. 2. cap. 5*. Ex omnibus autem antiquis scriptoribus nemo est, qui dicit Papæ Romani tum fuisse in omnibus Concilijs præsidere. Præfator quidem in Concilium Nicænum in 1. Tom. Cociliorum dicit, *hanc Synodum mediantibus Romanæ sedis presbyteris Arrij venena destruxisse*. Sed nemo est idoneus testis in propria sua causa. Deinde idem præfator in eadẽ præfatione dicit, *Petrum & Paulum eodem die, eodemq́ tempore Romæ occisos esse*, idque sub Nerone. Idem in eadem præfatione dicit, *Iacobum fratrem Domini esse à Petro, Iacobo, & Iohanne Apostolis Episcopum ordinatum*. Vtrumque tam verum, quàm verum est papam in Concilio Nicæno præsedisse. Paulus enim non passus est eodem die, quo Petrus, neq; Iacobus ab Apostolis, sed ab ipso Christo immediatè vocatus est. Matth. 10. v. 3. Et Marc. 3. v. 18. Et Luc. 6. v. 15. *Quòd autem dicit decreta istius Concilij esse à papa approbata*, nihil facit ad rem. Eadem enim approbata sunt ab Episcopis in Illyrico, vt docet Theodoretus *lib. 4. Eccles. hist. cap. 8*. Sed & Siculi Nicænam formulam approbarunt. Sozomenus *lib. 6. cap. 2.* Num hinc infert Bellarminus Episcopos Illyricos, & Siculos, eorumque successores omnes & singulos

non poſſe errare in ſcriptura explicanda? Deinde nõ papa; ſed Hoſius, Euſtathius,& Athanaſius Arrium refutarunt, neque formula Nicæna ideò vera eſt, quia à papa approbata eſt, ſed quia cum Dei verbo congruit, ideò vera eſt; & ob eam cauſam etiamſi nullus papa eam approbaſſet, tamen vera eſſet. Quòd autem Synodales petiuerint Romanorum approbationem, nullam aliam ob cauſam fecerunt, quàm vt Arrium communi conſenſu faciliùs euerterent. Eſt igitur fallacia à nõ cauſa vt cauſa. Quinta probatio, quia Papa Romanus pręſedit in Concilio Conſtantinopolitano, in eoque hæreſin Macedonij diremit, hoc probat ex Theodoreto *lib. 5. cap. 8.* At falſum allegat, nihil enim tale docet Theodoretus. Ergo fidem non habet eius probatio. Deinde nec Papa Romanus, *ſed Nectarius præſedit*, ille enim primo loco ſubſcripſit, vt patet ex *1. Tomo Concil.* Præterea legimus Nectarium maximè eſſe auctorem Canonum Conſtantinopolitanorum in argumento huius Concilij, & *Diſtinct. 16.* Cap. Prima autem Synodus. Ex his manifeſtum eſt, Papam in iſtis primis Concilijs non præſediſſe. Reliquas probationes excutiam controuerſia quarta, hæ enim & illæ nihil faciunt ad rem. Nam etiamſi papa præſediſſet in iſtis Concilijs, iſthinc tamen non ſequeretur papam non poſse errare in ſcriptura interpretanda. Dioſcorus enim præſedit in Epheſino ſecundo, Irenæus in Gallico, Cyprianus in Carthaginenſi, & tamen hi oẽs aliquando errarũt. Manifeſtũ igitur papam Rom. non præſediſse in omnibus Concilijs, & eos qui in Concilijs præſident, poſse errare.

Capvt v.

Argumenta pro papiſtica regula interpretationis à Paparum auctoritate ducta.

SVperiori capite refutauimus argumentum, quod ex praxi Eccleſiæ attulit Bellarminus, nunc refutabimus illud, quod à paparum auctoritate duxit. Primum argumentum, quia aliqui *papæ dixerunt cauſas grauiores ad iudicium Apoſtolicæ ſedis pertinere.*

Quorundam *P*aparum dicta ſunt vera, ſed aliqui *P*apæ dixerunt cauſas grauiores ad iudicium Apoſtolicæ ſedis pertinere. Ergo *P*apa non poteſt errare in ſcriptura interpretanda.

Reſpondeo aliud concludi, quàm fuit in præmiſſis. *P*rædicatum enim concluſionis non eſt in antecedente. Deinde infert concluſionem negatiuam ex præmiſsis affirmatiuis. Denique Maior vniuerſaliter ſumpta eſt falſa. Victor enim condemnauit Eccleſias Aſiaticas, ſed erraſſe eum in ea re anteà ex Euſebio, & Irenæo docuimus. Idem docet Hieronymus in Catalogo. C. Irenæus, & *Papam poſse hæreticum fieri, & à fide deuiare* docet Gratianus, *Diſtinct. 40. C. Si Papa.* Quoſdam etiam à fide defeciſſe teſtantur *Achatius, Anaſtaſius, Liberius, Felix*, & alij papæ, qui in hæreſin prolapſi ſunt. Quin & *P*apa Romanus in Concilio Africano *falſitatis* conuictus eſt, vt patet *ex Cap. 105. iſtius Concilij.* Hinc apparet non verum eſſe, quicquid dicit *P*apa Romanus. Quod ad Minorem attinet, eam probat 5. teſtibus Damaſo, Innocentio, Leone, Gelaſio, & Iulio, ad quos

priùs

priùs in genere, deinde in ſpecie reſpondebo. In genere dico, papas in propria cauſa non eſſe idoneos teſtes. Nam cuius res in aliquo negotio agitur, ille in in eo (illius enim intereſt) non eſt idoneus teſtis. *Inſtitution. de Teſtamentis ordinandis* § . *ſed neque. L. Nullus. 10. ff. de Teſtibus. L. omnibus. 9. Codice eodem L. 1. §. in propria. ff. quando appellandum ſit.* Iam in ſpecie. Ac primum quod ad Damaſum attinet, fuit homo *iſte arrogans, ſeditioſus, & ſuperbus.* Ammianus Marcellinus *lib. 27*, narrat, *eum cum Vrſinico de Epiſcopali ſede ita pugnaſſe, vt Vincentius vrbis præfectus in ſuburbanum ſeceſſerit, et in Baſilica Seruini, vbi Chriſtiani conueniebant 127. homines ſint trucidati*, vnde apparet eum non per vocationem Chriſti; ſed per iniuſtam vim Epiſcopatum Rom. inuaſiſſe. Deinde ipſa Epiſtola eſt confictitia. Damaſus enim ſcripſit eam *Stilicone & Flauio Conſulibus.* At tales conſules tempore Damaſi nulli fuerunt. Quod ad Innocentium attinet, dicit Eraſmus in hac Epiſtola *& dictionem & ingenium & eruditionem requirimus tali p̃ſule dignã*, cuius iudicio & nos ſubſcribim⁹. Leo fuit homo arrogans, temerè enim & arroganter Eutychetis à Conſtantinopolit. Synodo legitimè damnati cauſam ſuſcipit, idque contra Decretum Synodi Nicenæ. Eandem arrogantiam & impudentiam in ſede Romana contra veteres canones euehẽda etiam in Gelaſio & Gregorio inuenies. Iulius etiam præter ſupradictam arrogantiam ſe *falſarium* probat. Allegat enim in primo Concilio Niceno conſtitutum, *omnes controuerſias grauiores ad ſedem Rõ. pertinere.* Dum igitur Bellarminus Iulium cum eo-
dem

dem decreto Nicæno allegat, eiusdem falsi crimen effugere non potest. Cùm Apiarius à Synodo Africana esset excommunicatus, prouocabat ad Sozimũ Papam Rom. hic re non audita iubet eum ad communionem admitti; & missa legatione docet Afros malè facere, in concilio enim Nicæno constitutum esse, vt res grauiores nõ nisi cum consensu sedis Rõ. diiudicentur. Faustinus eius legationis princeps Sozimi sententiam ex scripto legit, *Cap. 3. Concil. Africani.* Sed Episcopi Afri, vt Augustinus, & alij viri docti, cùm decreta concilij Nicæni legerent, dicunt se ista, quæ per Faustinum à Sozimo afferebantur, non inuenire, *Cap. 4. Concilij Africani.* Itaque fraudẽ subolentes miserunt Innocentium ad Cyrillum Alexandriæ Episcopum, & Marcum ad Atticum Cõstantinopoleos, vt authentica exempla decretorum Nicænorum afferrent. In libris autem, quos illi attulerunt, planè contrarium fuit inuentum, *nempe inferioris gradus clericos & Episcopos suis archimetropolitanis apertissimè commissos esse. Cap. 105. Concil. Afric.* Scribunt igitur Afri ad Bonifacium, & reprehendũt eum, quòd *se alienis negotijs immisceat.* Deinde addunt, *in nulla Pàtrum Synodo constitutum esse, vt aliquis tanquam à Papa latere mittatur*, & statuunt canone 92. *vt excommunicetur*, *qui ad transmarina appellat.* Vnde sole clariùs apparet Nicænum illud decretum esse manifestum mendacium, & quoniam papistarũ sententia de interpretationis regula mendacio nititur, sequitur eam ipsam falsam mendacemque esse. Atque hoc ad Bellarmini argumentum de Paparum auctoritate, in quo quoniam Maior particularis est,

&

& Minor idonea probatione destituitur, sequitur deploratam papistarum causam eo non iuuari.

CAPVT VI.

Argumenta Bellarmini pro papistica interpretationis regula ab Imperatorum auctoritate desumpta refutantur.

REfutatis argumẽtis à Paparum auctoritate pro papisticæ interpretationis regula, sequuntur ea quæ ab Imperatorum auctoritate sumuntur. Primũ tale est,

Quod aliqui imperatores faciunt, hoc est legitimum & rectum. Sed aliqui Imperatores statuũt Ecclesiasticas caussas ab Ecclesiasticis personis tractari debere. Ergo Papæ iudicium est omnis interpretationis regula.

Respondeo aliud concludi, quàm fuit in præmissis. Deinde argumentum ad nullam formam potest reduci. Prętereà, Maior vniuersaliter sumpta est falsa. Caligula enim, Nero, Domitianus, & alij multa statuerunt, quæ non sunt vera. Hoc ita manifestum est, vt probatione non sit opus. Quod ad Minorem attinet illa nihil facit ad rem. Quòd enim Imperatores Episcopis concesserunt iudicium Ecclesiasticarum causarum, istinc non sequitur, Episcopos non posse errare, neque sequitur, eos quidlibet debere contra Dei verbum statuere, neque sequitur debere esse ratum, quicquid ab Episcopis statuitur. Idque ob eam caussam, quia ita ab Episcopis constitutum est, sed imperatores istos fuisse modestos, neque voluisse se alienis negotijs immiscere rectè sequitur, est igitur fallacia

fallacia consequentis. Si autem argumentum in hūc modum formas,

Quidā qbus Imperatores aliqui iudiciū rerū Ecclesiasticarum commiserunt, illi non possunt errare in scriptura explicanda. Sed Episcopi sunt isti, quibus Imperatores aliqui iudicium rerum ecclesiasticarum commiserunt. Ergo Episcopi non possunt errare in scriptura interpretanda.

Tum tamen nihil sequitur, sunt enim puræ particulares. Si verò Maiorem vniuersaliter formas, tum ea est falsa. Aliqui enim Imperatores, vt Nero, Domitianus, Caligula, Commodus & alij non hominibus ecclesiasticis, sed gentilib. hoc iudiciū permiserunt, atq; illi in Christianis persequēdis grauissimè errarunt. Sed neque Maior particulariter accepta est vera. Ipse n. Deus cōmisit summo sacerdoti cum suo collegio iudicium rerū ecclesiasticarū in pop. Iudaico. Et tamē idem sacerdos in Christo condemnando, & eius doctrina profligāda grauissimè aberrauit. Plura exēpla sunt in prōptu. Siue igitur Maior vniuersaliter, siue particulariter accipiatur, est falsa. Nō enim cuicunque iudici iudicium legitimè cōmissum est, ille hoc legitimè administrat. Est enim perinde ac si dicas, Omnes Monachi debent esse casti, ergo sunt casti. Vel, Nulli homines debent peccare, ergo nulli homines peccant. Planè eodem modo concludis, Omnes episcopi debent rectè iudicare, ergo rectè iudicant, vel, Omnes episcopi debent Scripturam rectè interpretari, ergo recte interpretantur. Sed quid verbis opus est? episcopos

quibus iudicium ecclesiasticum commissum erat, in iudicando, & scriptura interpretanda sæpè aberrasse docent Historiæ veteres & recentes. Postremò totum hoc argumentum etsi verum esset, tamen nihil iuuaret causam papisticam: Imperatores enim nõ soli Papæ Rom. sed & alijs episcopis iudicium ecclesiasticarum rerum concesserunt. Si igitur propterea Papa Rō. non potest errare, sequitur & reliquos episcopos non posse errare. Atq; hæc de Maiore. Minorem probat Bellar. octo testibus. Illorum primus est Aurelianus, sed huius testimonium non iuuat Bellarminum. Aurelianus enim non soli episcopo Romano, sed *sacerdotibus Italiæ idem concedit.* Si igitur ex hac concessione Papa non potest errare in Scriptura interpretanda, sequitur nullum sacerdotē Italiæ posse errare in Scriptura interpretanda. At hoc non vult Bellarminus. Deinde expende tuum argumentum Bellarmine. Aurelianus respondet, vt *templum concedatur ijs, quibus sacerdotes Italiæ et Episcopus Rom. hoc tradi iubent.* Ergo papa non potest errare in Scriptura interpretanda.

Multò equidem efficaciùs colligeres, si concluderes in hunc modum,

Baculus stat in angulo: Ergo Papa Romanus non potest in Scriptura interpretanda errare.

Eadem enim in vtroq; argumēto vis consequentiæ. Deinde quòd Bellarminus dicit, ridiculum est. Cui n. persuadebit Imperatorē gentilē contemptorem, irrisorē, & persequutorē Christianæ religionis voluisse summum iudicium rerum ecclesiasticarum conce-

conce-

concedere Episcopo Romano? Præterea si sibi papa eo tempore iudicium rerum Ecclesiasticarum sumpsisset, derisa & explosa fuisset eius stoliditas, & fatuitas, etiam ab Episcopis Christianis. Nam paulò post in Synodo Nicæna constitutum est, *Clericos inferioris ordinis, et Episcopos suis Metropolitanis commissos esse*. Epist. côcil. African. ad Papam Romanū in fine istius concilij. Deinde multis annis post in Concilio Africano constitutum est, *vt si quis ad transmarina prouocet, excommunicetur*. Concil. African. canone 42. Et cùm Sozimus Papa Rom. mitteret in Africā Faustinum, vt per eum hoc decretum impediret, fuit *falsi conuictus*. eodem concilio. cap. 3.4.5.6.& 7. Pręterea Bellar. hoc eodem capite voluit Iulius papa probare, se esse summum iudicem controuersiarum *ex decreto Nicano*, At nunc doces, *summum illud iudicium tempore Aureliani ad Papam pertinuisse*. Aut igitur erras, dum dicis, illud per Nicænum concilium ad Papam pertinere, aut erras dum dicis illud tempore Aureliani ad papam pertinuisse. Nam quod tempore Aureliani ad papam pertinuit, hoc per Nicęnū concilium papæ acquisitum non est, & contrà. Quod per concilium Nicęnum papæ primùm attributum est, hoc tempore Aureliani ad papam non ptinuit. Nisi concedas, sequitur eandem rem simul esse & non esse, id est, duo contradictoria esse simul vera. Hic obiter notandum est, 6. Imperatores fuisse inter Aurelianum & Synodum Nicenam, nempe Tacitum, Floreanum, Probū, Carum Diocletianū, Constantium, hos demùm sequutus est, Constantinus magnus qui inclytum illud concilium in Nicæa

cæa congregauit. Si dicis summum istud iudicium pertinuisse quidem ad papam tempore Aureliani, sed in posterioribus Synodis hoc fuisse manifestatū, tum ostendis aliam fatuitatem. Nicæni enim Patres aliter statuerunt, quemadmodum ante docui. Vnde necessariò colligo,

Qui tempore primitiuæ Ecclesiæ summum in Ecclesia iudicium non habuit, ei nunc non competit. Sed papa tempore primitiuæ Ecclesiæ summum iudicium in Ecclesia non habuit, Ergo ei nunc non competit.

Deinde si omnes isti sunt hæretici, qui papæ summum hoc iudicium in Ecclesia concedere nolunt, tum tota vniuersalis primitiua Ecclesia cum omnibus doctoribus & Episcopis est hæretica. Ex omnibus enim illis nemo voluit Papam Romanum pro summo iudice in re Ecclesiastica cognoscere. Item cùm Tridentinum concilium dicat illis anathema, qui non agnoscant papam esse summum in Ecclesia iudicem, neque agnoscant papam non posse in scriptura interpetranda errare, tum duo illa vniuersalia concilia *Africanum* sc. & *Nicænum* sunt maledicta & anathemati obnoxia. Sed hoc hactenus absque blasphemia nemo docuit. Ergo fatendum est Tridentinum cōcilium esse blasphemum & anathemati obnoxium. Et vt nugæ Bellarmini detegantur, *Concilium Nicænum, Carthaginense sextum, & Africanum sunt* à papa approbata. Distinct. 16. C. Sancta Cap. Quoniam. C. prima, & Distinct. 15. C. Sicut. At in illis statutum est, *Papam non esse summum iudicem.* Deinde concilium Tridentinum est à papa appro-

batum, in quo constitutum est, *Papam esse summum iudicem.* Quæ duo si simul vera sunt, sequitur papam esse summum iudicem, & non esse summum iudicem, id est, duo contradictoria esse simul vera.

Secundus testis est Constantinus, is teste Euseb. l. 3. de vita Constantini, in concilio Nicæno *non prius assedit, quàm Episcopi annuissent.* Hinc infert Bellarminus Papam Romanum nō posse errare in scriptura interpretanda. Argumentum tale,

Constantinus Imperator non priùs assedit, quàm Episcopi annuissent. Ergo Papa Romanus non potest errare in scriptura interpretanda.

Mirum si Iesuitam, qui logicus videri cupit, huius argumēti nō pudeat. Sed pergit Bellar. & dicit Constantinū in isto cōcilio nō præsedisse, inde infert Papam Rom. non posse errare in scriptura explicanda.

Constantinus non fuit præses in Nicæno concilio. Ergo Papa Romanus non potest errare in scriptura explicanda.

Argumentum simile priori. Deinde antecedens falsum esse iam ante ostedimus. Sed addit Bellarminus, & dicit *Constantinum Imperatorem scripsisse ad omnes Episcopos, vt quicquid in sanctis Episcoporum Concilijs decernitur, id diuinæ volūtati in vniuersum tribuatur.*

Quod Imperator rescripsit hoc est legitimū & obseruādū. Sed Imperator rescripsit, vt qcquid in sanctis Episcoporū Synodis constitutū est, id diuinæ voluntati tribuatur. Ergo Papa Rom. non potest errare in scriptura explicanda.

Respondeo Maiorem non esse simpliciter veram. Nam non omnium Imperatorū rescripta sunt nobis obser-

obſeruanda. Semper enim tenenda eſt regula, *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.* Itáque Maiorem accipimus cum hac conditione. Omnium principum edicta, *quæ non pugnant cum Dei verbo*, ea ſunt vera & nobis obſeruanda. Quod ad Minorem attinet, non negamus ea obſeruanda eſſe, quæ in ſanctis Epiſcoporum Synodis conſtituuntur. Sed quid hoc ad papam Romanum? Ille enim neque ſanctus eſt, neque Synodus eſt, neque ſanctæ Synodi ſancta pars eſt. Deinde ſi illa obſeruanda ſunt, quæ in ſanctis Epiſcoporũ Synodis cõſtituũtur, *tum papa nõ eſt ſũmus ſacerdos.* ita n. ſtatutũ eſt in ſynod. Cart. 3. c. 26. Neq; *libri apocryphi ſunt Canonici.* ita n. ſtatutũ eſt in ſynod. Laod. c. 59. Neq; *appellandũ eſt ad papã Rõ.* ita n. ſtatutũ eſt in cõcilio Afric. c. 92. Deniq; hoc argum. nihil facit ad cõcilia papalia, illa n. nõ ſunt ſancta. Præterea aliud cõcluditur, quàm fuit in præmiſsis. Nam neque prædicatum, neque ſubiectum Concluſionis fuit in antecedente. Sed affert Bellarminus & quartum argum. ex Ambroſio, Epiſt. 32. vbi Ambroſius dicit, *Conſtant. dediſſe Epiſcopis liberũ iudiciũ.* Hinc infert Bellar. papã non poſſe errare in ſcript. explicãda.

Quibus Imperator liberũ iudiciũ dedit, illi nõ poſſunt errare in ſcript. explicãda. Sed Epiſcopi ſunt iſti, quib⁹ Imperator dedit liberũ iudiciũ. Ergo ſolus papa non poteſt errare in ſcript. explicãda.

Sanè pudet me horum argumentorum Bellarmine. Vides enim ipſe aliud concludi, quàm fuit in præmiſsis. Deinde Maior non eſt vera. Sæpè enim errat & labitur, cui libera iudicandi poteſtas conceſſa eſt. Caiphæ enim iudicandi poteſtas data erat, ſed

in iudicando aberrauit. Dioscoro libera iudicandi potestas ab Imperatore & Imperatrice data erat, sed in iudicando aberrauit. Similia exempla passim occurrunt. Deinde & alius error est in Maiore. Nam non cuicunque Ecclesiasticarum controuersiarum iudicium concessum est, ille nō potest errare in scriptura explicanda. Multi enim Episcopi habuerunt iudicium controuersiarum Ecclesiasticarum, vt Augustinus in concilio Africano, & Cyprianus in concilio Carthaginensi! Et tamen hi quandoque in Scriptura interpretanda aberrarunt, plura exempla sunt in promptu, sed hæc sufficiant ad falsitatem Maioris ostendendam. Deinde & Minor non est simpliciter vera. Potest enim ita intelligi, quòd Imperator, ijs nihil præscripserit, sed permiserit, vt secundum verbum Dei liberè iudicaret, & tum Minorem concedimus. Si verò Minorem ita intelligit, vt existimet Imperatorem eis concessisse potestatem quidlibet iudicandi, etiam contra Dei verbum, tum illa est falsa. Imperator enim cùm patres Niceæ congregatos alloqueretur, dixit, *sunt libri prophetici & Apostolici, qui apertè quid credendum sit, docent, deposita igitur omni hostili discordia & diuinitùs inspiratis scripturis sumamus earum rerum, quæ in controuersiam vocatur, solutionem.* Vnde apparet Bellarmine eorum in iudicando potestatem fuisse certis limitibus & terminis comprehensam. Deinde etiamsi Imperator hoc non edixisset, tamen ita fieri deberet. Apostoli enim ipsi, non habuerunt potestatem quicquam pronunciandi, nisi *ea, quæ Christus mandauerat,* Matth. 28. Ergo multò minus patres Nicæni habuerunt potestatem

quicquam statuendi, nisi ea, *quæ Christus mandauerat.* Præterea si Episcopi ex Imperatoris indulgentia habuerunt liberam iudicandi potestatem, sequitur *Imperatorem esse supra Papam.* Qui enim ab altero potestatem habet, ille inferior est illo, à quo potestatem habet. Antecedens ipse Bellarminus ex Ambrosio posuit, Ergo vt consequens concedat est necesse. Denique si episcopi habent liberum iudicium propter hanc Imperatoris indulgentiam, sequitur falsũ esse, quod in argumento præcedente dixit, *Aurelianum* edoctũ esse summũ iudicium esse penes papã Roman. Nam si summum iudicium dedit episcopis Constantinus, non habuerunt illud tempore Aureliani, et si habuerunt illud tempore Aureliani, tum Constantinus hoc illis non elargitus est. Postremò si hæc Maior & Minor sunt vera, tum sequitur non solùm papam, sed nullum episcopum posse errare in scriptura explicanda. Sic enim colligi debebat.

" Quibus Constantinus liberum iudicium dedit
" in ecclesiasticis controuersijs, illi non possunt
" errare in scriptura explicanda. Episcopi sunt
" isti quibus Imperator hoc concessit, Ergo
" episcopi non possunt errare in Scriptura expli-
" canda.

Hanc conclusionem quoniam Bellarminus non concedit. Manifestum est illam Imperatoris liberalitatem non esse idoneum medium ad probandum illud, quod in manibus est. Huc accedit totum hoc beneficium esse personale, eidem enim episcopi vel singuli, vel coniuncti post concilium illud solutum, non habuerunt istam potestatem. Singuli non ha-

habuerunt. *Eusebius enim & alij deinde quadam statuentes, fuerunt ab Ecclesia reiecti.* Coniuncti etiam œcumenicè non habuerunt. Post solutum enim concilium non licuit illis absque Imperatoris mandato rursus œcumenicè conuenire. Adde totum hoc argumentum nihil facere ad rem. Quicquid enim imperator concesit, hoc concesit *Episcopis.* At Papa Romanus non est episcopus, ergo illi ab Imperatore nihil concessum est.

His non contentus Bellarminus addit quintum Argumentum, nempè quòd Constantinus *iudicium de Donatistis Meltiadæ Rom. Episcopo commiserat.*

Cui Imperator iudicium de Donatistis commisit, ille non potest errare in Scriptura explicanda. Sed Imperator hoc commisit Meltiadæ episcopo Romano, Ergo Papa Romanus non potest errare in scriptura explicanda.

Respondeo Maiorem esse falsam. Nam antè ostendi istos iudices sæpè aberrare, quos ipse Deus constituit, vt taceam eos errare posse, quos homo constituit. Ad Minorem dico, Imperatorem non soli Episcopo Romano, sed post eum & *Episcopo Arelatensi* hoc iudicium commisisse & post vtrumque *ipsum Imperatorem iudicasse.* Vnde si sequitur eos non posse errare in Scriptura explicanda, quos Imperator ea in re iudices cõstituit, tum neque Episcopus Arelatensis potest errare in Scriptura explicanda. Sed hoc non, ergo nec illud. Deinde totum hoc est personale, & in exemplum trahi non debet. Nam vt episcopus Arelatensis propter illud iudicium post

epi-

episcopum Romanũ semper iudicare non potest, ita etiam Papa Rom. propter idem mandatum nõ semper post Africanos iudicare potest. Si Bellar. hoc pertinaciùs negat, sequitur Arelatensem esse supra Romanum,& Imperatorem esse supra vtrumq;.Sed fuisse hoc totum personale manifestum est. Nam in concilio Africano Canone 92. statutum est, *ne quis ad transmarina prouocaret*, & in concilio Nicæno, Canone 6. statutum est, vt papa Romanus tantùm *suburbicas suas Ecclesias iudicaret*. Deinde ex hoc argumento fortiùs colligi potest, papã neque fuisse supremum, neque competentem iudicem Donatistarum.

Nam qui ab Imperatore in causa particulari iudex datur, ille non est ipso iure competens iudex. Sed episcopus Rom. est ab Imperatore in hac caussa iudex datus. Ergo episcopus Rõ. ipso iure in hac cõtrouersia competens iudex non erat.

Maior est manifesta. In qua enim caussa quis ipso iure iudex est, ille nõ habet opus, vt in eadem caussa, singulari priuilegio iudex constituatur. Minorem posuit Bellarminus.

Deinde à quo prouocare licet, ille nõ est summus iudex. Sed ab episcopo Romano prouocare licet. Ergo episcopus Romanus non est summus iudex.

Maior est manifesta. Minorem docet Augustinus epist. 162. & Donatistæ suo exemplo probarunt. Denique si Papa esset summus iudex, potuisset Donatistam cogere, vt in sua sentẽtia acquiesceret,

ret. Sed hoc non,ergo neque illud. Aut si Imperator existimasset Romanum pontificem esse supremum iudicem; ipse coëgisset Donatistam, vt in Romani episcopi sententia acquiesceret. Sed hoc non, Ergo Imperator non habuit illum pro supremo Iudice, neque ille se gessit pro supremo Iudice. Postremò, qui in controuersia Ecclesiastica iudices dare, appellationes suscipere, post priores Iudices, alios Iudices dare potest, & post eos omnes supremam sententiam ferendi potestatem habet, ille est supra papam Romanum. Sed Imperator potuit episcopo Romano mandare, vt eam caussam cognosceret, idē potuit post latā sentētiam appellationem suscipere, potuit tandem post iudicium episcopi Romani mādare episcopo Arelatensi, vt eandem rem cognosceret, & post vtriusque iudicium supremam sententiā ferre. Ergo Imperator est supra papam Rom.

Tertius testis est Gratianus, Is in epistola ad episcopum Aquileiensem dicit *ab Episcopis discordantias discordis eruditionis solui debere*. Hinc infert Bellarminus papam Romanum non posse errare in scriptura explicanda.

Imperator constituit episcopos Interpretes, ita n. hoc imperatoris edictum interpretatur Ambrosius. Ergo papa Rom. non potest errare in Scriptura explicanda.

Equidem Bellarmine dici non potest, quantoperè huiusmodi argumentis nostram causam iuues, videmus omnes religionem vestram esse deploratam, videmus doctissimos viros, inter quos te etiam numeramus, magnis etiam vigilijs nihil posse excogitare,

gitare, quod ſaltem ſpeciem aliquã veri habeat. Vnde euidenter colligimus, vobis aut à Deo mentem excœcatam eſſe, vt lumen Euangelij non videatis; vel vos cauſam perditam non audere deſerere, ne totum veſtrum regnum corruat; vel denique propter lucrum & regnandi cupiditatem ſcientes & volentes mendacium defendere. Hîc nihil pronũciamus, tantùm rogamus, vt Deus, ſicuti cœpit, ita pergat euangelium ſuum defendere, dum enim hæc ſcribo, de Guiſio in Gallia ſupplicium ſumitur, & paulò ante ſanguinaria illa claſsis nõ ab homine, ſed à Deo oppreſſa eſt. Illi ſit honos & gloria. Sed ad argumentum.

Quos Gratianus dicit diſcordis eruditionis in religione interpretes eſſe, illi non poſſunt errare in Scriptura explicanda. Sed epiſcopi ſunt illi, quos Gratianus interpretes conſtituit. Ergo papa non poteſt errare in ſcriptura explicanda.

Maiorem eſſe falſam iam antè oſtẽſum eſt. Deinde aliud concluditur, quàm fuit in præmiſsis. Papa enim irruit in cõcluſionem, de quo ne gry quidem, quod aiunt, fuit in antecedente. Deinde ſequetur non ſolùm papam, ſed quemlibet epiſcopum non poſſe errare in ſcriptura explicãda. Hoc autem quoniam non vult Bellarmin. manifeſtum eſt, hoc medium non eſſe idoneum ad Bellarmini ſententiam ſtabiliendam. Denique licet iſta concluſio falſa ſit, tamen ſi vera eſſet, non iuuaret cauſam Bellarmini, ſequeretur enim ſolos epiſcopos eſſe Interpretes, at papa non eſt epiſcopus, quemadmodum ſuo loco

ostendemus. Vnde colligeretur eum non esse Interpretem. Cùm igitur papa non sit interpres, neque habeat ius interpretationis, sequitur eum πολυπραγμονεῖν dum illud sibi arrogât, & quoniam aberrat dum interpretationem sibi sumit, credibile est, eum in ipsa etiam interpretatione quandoque aberrare. Et si papa esset Episcopus, hoc tamen eius causam non iuuaret. Nam & illi, qui ius interpretandi habent, sæpè errant.

Quartus testis est Theodosius. Is in epist. Nicolai ad Michaëlem dicit, *eum qui non est ex ordine sanctissimorum Episcoporum, non debere Ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Ergo inquit Bellarminus, papa non potest errare in scriptura explicanda. Argumentum prorsus Iesuiticum, vt priora. Est autem medium duplex. Vnum, Laici non debent se ecclesiasticis tractatibus immiscere. Alterum, soli episcopi sancti debent tractatus Ecclesiasticos tractare. Quod ad primum attinet, Argumentum tale est,

Qui non sunt sancti episcopi, illi non debent tractatibus ecclesiasticis immisceri, sed Laici non sunt sancti episcopi, Ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda.

Ridicula cõclusio, cùm nihil simile sit in præmissis. Hoc autem concludi debebat. Ergo Laici non debent ecclesiasticis tractatibus immisceri, quod concedimus. Sed quid hoc ad papam Romanum?

Laici non debent ecclesiasticis tractatibus immisceri, Ergo papa non potest errare in Scriptura explicanda.

Idem est ac si dicas, Asinus non potest volare,

Ergo papa non poteſt errare in ſcriptura explicanda. Vtrumq; medium æquè forte. Alterum argumentū.

Qui debent eccleſiaſtica tractare, illi non poſſunt errare in ſcriptura explicanda. Sed ſoli Epiſcopi ſancti debent eccleſiaſtica tractare. Ergo papa non poteſt errare in ſcriptura explicanda.

Maiorem eſſe falſam iam antè ſæpè oſtendimus, & res ipſa docet eos ſæpè erraſſe, qui eccleſiaſtica tractant. Deinde aliud concluditur, quàm fuit in præmiſsis. Subiectum enim concluſionis non eſt in antecedēte. Hoc autem ſequebatur. Ergo ſoli ſancti epiſcopi non poſſunt errare in ſcriptura explicanda. Sed hanc concluſionem eſſe falſam docent Auguſtinus, Cyprianus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Baſilius, & alij, qui omnes ſunt ſancti epiſcopi, & tamen aliquando in ſcriptura explicanda aberrarunt. Deinde etiamſi concluſio vera eſſet, tamen non iuuaret cauſam Bellarmini. Papa enim Romanus neque epiſcopus, neq; ſanctus, multò minus ſanctus epiſcopus eſt. Sic igitur argumentū colligendum erat. Soli ſancti epiſcopi debent eccleſiaſtica tractare.

Sed papa non eſt ſanctus epiſcopus. Ergo papa non debet eccleſiaſtica tractare.

Hoc multò cōmodiùs ex Theodoſij edicto colligi poteſt. Vt autem de conſequentia cōſtet, ſcit Bellarminus Maiorem veram eſſe, & Minorem doceri à Platina, Barns. Balæo in illorum vitis, & nos eam ꝓbabimus, cùm de papa diſputabimus.

Quintus teſtis eſt Marcianus, ille L. Nemo. C. de ſumma Trinitate, & fide catholica, *iniuriam,* inquit,

inquit, *iudicio reuerendissimæ Synodi facit, qui semel iudicata reuoluere & disputare contendit.* Hinc infert Bellarminus papam non posse errare in scriptura explicanda.

Respondeo Maiorem non esse veram. Iam antè enim ostēdimus Imperatorum edicta cum hac limitatione recipienda esse, si cum verbo Dei congruūt. Sēper enim ista regula seruāda est, *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.* Ergo quæ edicta cum Dei verbo pugnant, illa debent Dei verbo postponi. Deinde aliud concluditur, quàm præmittitur, Nam neque subiectum neque prædicatum conclusionis est in antecedente. Quod ad Minorem attinet, illam non bona fide posuit Bellarminus. Marcianus enim dicit, neque *semel iudicata, & rectè disposita iudicando reuolnat, tumultus aut perfidiæ occasionem inde quærens,* Hæc Bellarminus callidè prætermisit. Ex his apparet non omnium Synodorum decreta, sed tantùm ea, quæ *rectè disposita sunt*, non debere reuolui, idque non simpliciter, sed hoc non debere fieri *cum studio quærendi tumultus & perfidiam.* Ergo in decreta Synodorum *non rectè disposita*, inquirere licet. Deinde etiam in decreta rectè disposita licet inquirere, *modò quis ex inquisitione non quærat tumultus & perfidiam.* Nos autem Bellarmine tantùm in impiorum conciliorum impia decreta inquirimus, idque cum summa modestia, & absque omni tumultu & perfidia. Deinde Bellarmine totum hoc argumentum nihil facit ad rem. Sic enim colligendum erat.

Sanctorum Conciliorum decreta rectè disposita non sunt reuoluēda. Papa est sanctum concilium

cilium.) Ergo Papæ decreta non sunt reuoluenda.

At nunc vides Minorem esse falsam. Papa enim neque concilium, neq; sanctus, neque vlla pars sancti cōcilij, neque vllum cum sancto cōcilio consortium habet, multò minus sanctū cōcilium est, vt suo loco ostēdemus. Deinde etsi papæ decreta seruāda essent, tamen non omnia, sed tantùm illa, quæ rectè disposita sunt, seruanda essent. Nam non existimo Bellarminum velle, vt etiam ea, quæ malè disposita sunt à Papa, seruemus. Sed vnde constabit ea rectè disposita esse? num inde, quòd à Papa profecta sunt? hoc quidem vult Bellarminus, sed blasphemum est, & impium. Soli enim Deo competit, vt eius verbum verum esse credatur, nullam aliam ob causam, quàm quia à Deo profectum est. Sed quamdiu Papa non est Deus, non est necesse, vt Papæ verba, propterea quòd Papæ verba sunt, vera esse credamus. Huius autem rectè dispositionis regula *est solum, & vnicum Dei verbum*, vt rectè docuit Constantinus in Synodo Nicæna. Proinde quatenus alicuius episcopi interpretatio cum Dei verbo congruit, eatenus censetur rectè disposita esse, & à nobis recipitur; quatenus autem cum Dei verbo non congruit, eatenus censetur non rectè disposita esse, & à nobis non recipitur. Vnde necessariò colligitur, illam tantùm interpretationem esse rectè dispositam, quæ cum Dei verbo κατ' ἀναλογίαν cōgruit, quæ verò cum Dei verbo non congruit, eam non esse rectè dispositam, neque seruandam, etiamsi millies sit approbata à Papa Romano. Atque huc pertinet, quod inquit Gratianus

tianus, Distinct.20.cap.Decretales. *In explicanda sacra scriptura potiores esse explicationes Augustini, & Hieronymi expositiones, quam Romanorum Pontificum, & addit rationes tres. 1. quòd isti doctores sæpè habuerint maiorem gratiam spiritus. 2. quòd etiam maiorem habuerint scientiam. 3. quòd etiam magis adhæreant rationi, quàm ipsi pontifices.* Quod si verum est Bellarmine, falsa est tua conclusio.

Sextus testis est Valentinianus. Is apud Sozomenum, lib.6.cap. 7. *mihi, qui ex parte plebis sum,* inquit, *fas non est talia curiosius scrutari. Sacerdotes, quibus ista curæ sunt, inter se ipsos, quocunque velint loco, conueniant.* Inde hæc concludit.

Laici non debent Ecclesiastica tractare, Ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda. Item episcopi tantùm debent res Ecclesiasticas tractare, Ergo Papa non potest errare in Scriptura explicanda.

Ridicula argumenta & planè Iesuitica, neque digna vlla refutatione.

Septimus testis est Basilius, Is in 8. Synodo dicit Laicos debere ab Ecclesiasticis negotijs abstinere, & episcopos tantùm debere res ecclesiasticas tractare.

Laici debent à rebus ecclesiasticis abstinere. Ergo Papa non potest errare in scriptura explicanda. Item soli episcopi debent res ecclesiasticas tractare, Ergo Papa non potest errare in Scriptura explicanda.

Ridicula, & iam antè à nobis refutata.

Octauus testis est Theodoricus rex Gotthorum Arrianus. Is in 6. Synodo Rom. *in Synodali,* inquit,

est arbitrio, in tanto negotio sequenda praescribere, nec aliquid ad se prater reuerentiam de ecclesiasticis negotijs pertinere.

Qui sequenda præscribit, ille non potest errare.
Concilium sequenda præscribit, Ergo papa Romanus non potest errare in scriptura explicanda.

Respondeo Maiorem esse falsam, Iam ante enim ostendimus, eos, qui sequenda præscribunt, sæpè errasse. Deinde aliud concluditur, quàm fuit in præmissis. Sequitur aũt concilium non posse errare. Sed istam conclusionem esse falsam, manifestum est. Illa enim concilia, quæ papistæ habent pro legitimis, sæpè contradictoria statuerunt. Vt Nicęnum primum & Tridentinum de *Papa potestate.* Carthaginense & Laodicense de *libris Canonicis*, Africanum & Tridentinum de *Appellationibus*, & multa alia. Vnde apparet aliquam ex præmissis falsam esse. Illa est Maior, quemadmodum ante ostendimus. Deinde etiamsi hæc conclusio vera esset, tamen non iuuaret causam Bellarmini. Papa enim neque concilium, neque sanctus, neque Sancti Concilij sanctum membrum, multò minus sanctum Conciliũ est, vt suo loco ostendemus. Quòd autem Bellarminus dicit ex Basilio, *Imperatores post Episcopos subscripsisse*, inde non sequitur, papam Romanum non posse errare in scriptura explicanda, sed istos Imperatores fuisse *modestos & humiles* rectè sequitur. Est igitur fallacia à non caussa, vt caussa. Atque hæc de Argumentis ab Imperatorum auctoritate petitis. Cùm autem

hæc

hæc media omnia, aut aliud concludant, aut nihil faciant ad rem, manifestum est papæ iudicium propter illa non esse Interpretationis regulam.

Capvt VII.

Argumenta à Græcorum patrum auctoritate pro papisticæ interpretationis regula adducta refutantur.

Argumenta, quę Bellarminus ab Imperatorum auctoritate pro papisticæ Interpretationis regula adduxit, refutauimus cap. superiori, nunc refutabimus illa, quæ à Græcorum patrum auctoritatę adduxit. Primum argumentum ducitur ex Irenæo, qui docet lib. 3. cap. 2. *controuersias non posse definiri ex scripturis, quia variè ab hæreticis exponuntur.*

Quicquid dicit Irenæus, hoc est verum. Sed Irenæus dicit ex Scripturis controuersias finiri non posse. Ergo Papa non potest errare in Scriptura interpretanda.

Respondeo aliud concludi, quàm fuit in præmissis. Deinde Maiorem non esse simpliciter veram. Irenæus enim *recenset librum Hermæ inter Canonicos.* Euseb. Ecclesi. hist. lib. 5. cap. 8. patrocinatur etiam *errori millenariorum.* Hieronymus in Catalogo. C. Papias, Idem in Ezechielem, cap. 36. errat etiam in ætate Christi. lib. 2. Cap. 39. & 40. Ergo non quicquid dicit Irenæus, hoc est verum. Denique & Minor est falsa. Non enim Irenæus ex sua sententia, sed ex hęreticorum sententia dicit, Scripturam posse variè explicari. Hæretici enim varias interpretatiões com-

comminiſcebantur, quas ſe ab Apoſtolorum traditionibus accepiſſe iactabant. Hoc ita eſſe, manifeſtũ eſt ex eodem capite. *Cùm ex Scripturis arguuntur*, loquitur de hæreticis, *in accuſationem conuertuntur ipſarum Scripturarum, quia variè ſint dicta, & quia non poſſit ex his inueniri veritas ab his, qui neſciant traditionem.* Alioquin ipſe Irenæus fatetur veram ſententiam ex Scriptura colligi poſſe. Libro enim 2. capite 46. & 47. dicit, *ſanum ſenſum, & qui ſine periculo eſt, ipſum eſſe, qui apertè & ſine ambiguo, ipſis dictionibus in Scriptura ponitur.* Et lib. 3. cap. 12. *oſtenſiones, quæ ſunt in Scripturis non poßunt oſtendi, niſi ex ipſis ſcripturis.* Quin hoc ipſo loco, poſtquam de conſtanti Eccleſiarum confeſsione diſſeruit, ad ipſam Scripturam, tanquã ad certam veritatis normam recurrit. *Reuertamur*, inquit, *ad eam, quæ eſt ex Scripturis, oſtenſionem.* lib. 3. cap. 5. Vnde colligi poteſt, tantùm vnum eſſe ſanũ ſenſum Scripturarum, & controuerſias ex ipſis Scripturis definiri poſſe, ſecundum Irenæum. Deinde ſi verum eſt, quod Irenæus dicit, hæreticos *iactare varias expoſitiones, easque dicere ſe ab Apoſtolica traditione accepiſſe*, videat Bellarminus, an ne papiſtæ hoc habeant cum hæreticis commune. Si autem Bellarminus argumentum in hunc modum format.

Quòd variè exponitur, eius vera ſententia eſt illa, quam habet Papa Romanus. Sed ſacra Scriptura variè exponitur, Ergo ille eſt verus ſenſus ſacrarum Scripturarum, quem affert Papa Romanus.

Tum reſpondeo Maiorem eſſe falſam. Eſt enim petitio principij. Deinde multi papæ attulerunt

expôsitiones, quæ ex diametro erãt contradictoriæ, & simul veræ esse non poterant, neque vnquam probabit Bellarminus Maiorem ex Irenæo. Deinde & Minor falsa est. Scriptura n. non admittit varias expositiones, easque omnes legitimas, neque hoc vnquam probabitur ex Irenæo. Nam suprà notauit Irenæus, *hanc esse legitimam Scripturæ explicationem, quæ est secundum scripturas, lib. 4. 63. vel quæ sine ambiguo ipsis dictionibus posita est in Scripturis.* lib. 2. 46. & docet non orthodoxos, sed hæreticos, vt iam dixi, scripturam variè explicare. Secundum Argumentum petitur ex eodem Irenæo, quòd ille lib. 3. cap. 3. *remittit hæreticos ad Ecclesiam Romanam.*

Ad quos hæretici ab Irenæo remittuntur, illi nõ possunt errare in scriptura explicãda. Sed Romana Ecclesia est illa, ad quam hæretici ab Irenæo remittuntur, Ergo Papa Rom. non potest errare in scriptura explicanda.

Respondeo Maiorem esse falsam. Nam antè ostendimus, eos sæpè aberrasse, ad quos alij iudicandi remittebantur. Deinde aliud est in Conclusione, quàm in præmissis. Si autem dicis, hoc saltem sequi, Ecclesiam Rom. non posse errare in scriptura explicanda., Respondeo hoc quidem sequi, sed propter Maioris falsitatem hoc verum esse non posse, deinde verum non esse, manifestum est: ecclesia enim Rom. quæ tempore Irenæi fuit, *immeritò damnauit Ecclesias Orientales.* Hieronymus in Catalogo, Cap. Irenæus. & Euseb. Ecclesiast. Hist. lib. 5. cap. 24. & 25. Plura exempla passim occurrunt. Deinde Irenæus non solùm Romanam ecclesiam producit testem veritatis;

sed

ſed & Aſiaticas eccleſias eodem nomine in teſtimonium producit, & Polycarpi teſtimonium eodem ordine, quo Romanam eccleſiam collocat. *Hic*, inquit, *docuit ſemper, quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ & eccleſiæ tradidit, & ſola ſunt vera, & teſtimonium his perhibent, quæ ſunt in Aſia eccleſiæ omnes, & qui vſque adhuc ſucceſſerunt Polycarpo*. & paulò poſt, *Sed &, quæ eſt Epheſi eccleſia, à Paulo quidem fundata, Iohanne autem permanente apud eos, vſque ad Traiani tempora, teſtis eſt verus Apoſtolorum traditionis*. Vnde apparet Irenæum non in Eccleſia Rom. aliquam prærogatiuam, ſed in doctrinæ ſucceſsione omne veritatis robur collocare. Prætereà etiamſi ambæ præmiſsæ veræ eſſent, tamen hoc non iuuaret cauſam Bellarmini. Nã licet Eccleſia Rom. quæ tempore Irenæi erat, fuerit ſana in doctrina, iſthinc tamen non ſequitur iſtã colluuiem quæ nunc Romæ eſt, eſſe ſanam in doctrina. Perinde n. eſt, ac ſi dicas: Cùm Petrus Antiochię doceret, erat iſthic ſana doctrina, Ergo & nũc illic ſana doctrina eſt. Itẽ cùm Paulus Corinthi doceret, erat iſthic ſana doctrina, Ergo & nunc iſtic ſana doctrina eſt. Planè eodem modo non ſequitur, tẽpore Irenæi, Romæ, Smirnæ, Epheſi, & in reliquis Aſiaticis Eccleſijs erat ſana doctrina, Ergo & nunc iſthic ſana doctrina eſt. Quemadmodum enim Epheſi, Smirnę & Corinthi propter religionis corruptionem nunc ſana doctrina non eſt, ita etiam Romæ propter religionis corruptionem nunc ſana doctrina non eſt. Profiteantur igitur Romani eandem doctrinam, quã tempore Irenæi habuerunt, adminiſtrent eadem ſacramenta, idq́ue eodem modo, reſtituant totum re-

regimen ecclesiasticum, quod tempore Irenæi fuit, relinquant omnia ista, quæ tempore Irenæi ad ecclesiam non pertinebant, & fatebimur Romæ esse veram ecclesiam, neque inter nos & Romanos erit vllum dissidium. Quòd autem Bellarminus existimat se hac stropha posse euincere, vt papisticas interpretationes etiam cum Dei verbo pugnantes pro authenticis accipiamus, longè errat, & dum hoc per Irenæum probat, prôdit intolerabilem versutiam. Irenæus enim lib. 4. cap. 63. dicit, *legitimam explicationem esse eam, quæ est secundum scripturam.* Ac tales expositiones cùm papa nobis offert, recipimus; cùm verò alias affert, quę non sunt *secundum scripturam,* eas cum bona venia papæ repudiamus.

Post Irenæum producit Athanasium, qui dicit in epist. ad solitariam vitam agentes, *iudicium Ecclesiæ non accipere suam auctoritatem ab Imperatore.*

Quod non accipit auctoritatem ab Imperatore, hoc accipit auctoritatem à papa. Sed ecclesiæ iudicium non accipit auctoritatẽ ab Imp. Ergo sententia papæ est oīs interpretationis regula.

Respondeo, planè Herculeum Argumentum. Quod enim est in conclusione, illud non est in præmissis. Deinde Maior est falsa, Multa enim sunt, quæ neque ab Imperatore, neque à papa habent auctoritatem. Ergo Maiorem esse vniuersaliter veram non est necesse. Et ob eam causam neque conclusionem veram esse posse. Deinde non fuit Athanasij sententia, authenticam interpretationem ab Ecclesia suscipere auctoritatem. Multò minus voluit Athanasius, vt authentica interpretatio suam auctoritatem

ritatem à Papa acciperet, & vt hoc commodiùs intelligatur, quæstio est, an papæ sententia sit interpretationis regula? Tu ais, nos negamus, Tu pro confirmatione tuę sententiæ adducis ex Athanasio *quòd Ecclesiæ iudicium non capiat auctoritatem ab Imperatore.* Hoc vtique medium est negatiuum, quomodo igitur ex eo affirmatiuam conclusionem nectes? Sanè quoniam negatiuum est, sequitur *extraneum* esse, at debebat maximè *domesticum* esse. Ergo hoc totum, quod neque *antecedens*, neque *consequens* papalis interpretationis est, nihil facit ad rem. Perinde enim est ac si dicas,

Nullæ Begittæ habent donum continentię, Ergo omnes Monachi sunt casti.

Post Athanasium adducit Basilium. Is epist. 52. ad Athanasium, suadet Athanasio, vt ille scribat ad episcopum Romanum, *vt ille sua auctoritate dissoluat acta concilij Ariminensis.*

Quicquid Basilius dicit, hoc est verum, sed Basilius voluit, vt episcopus Rom. dissolueret acta concilij Ariminensis, Ergo papa non potest errare in scriptura explicanda.

Respondeo aliud esse in cõclusione, quàm in pręmissis. Deinde quod est in conclusione, illud nunquam voluit Basilius. Ille enim in Moralibus, summa 28. capite 1. dicit, *quòd non oportet simpliciter, neque citra examinationem corripi ab his, qui simulant veritatem, verùm ex dato nobis à scriptura charactere vnũquemque cognoscere.* Idem summa 26. cap. 1. *Oportet*, inquit, *omne verbum, aut rem confirmare sacræ Scripturæ testimonio, ad certitudinem quidem & perfectionem bo-*

norum, ad confusionem verò malorum. Vnde apparet ex Basilio nihil tale colligi posse. Si autem quis argumentum in hunc modum format.

Qui tentat acta concilij Ariminensis destruere, ille non potest errare in Scriptura explicanda. Sed papa tentat acta concilij Ariminensis destruere, Ergo papa non potest errare in scriptura explicanda.

Tum Maior non est vera. Nam non sequitur, eum qui in impio concilio euertendo laborauit, non posse in scriptura explicanda errare. Vtrumque enim nempe errare in scriptura explicanda, & laborare in impio concilio euertendo possunt esse in vno eodemque, idque simul, & eodem tempore. Deinde non solus papa in concilio eo euertendo laborauit, sed & Basilius & Athanasius, & multi alij in eo concilio euertendo laborarunt. Vnde sequitur & eos non posse errare in Scriptura explicanda. Sed hoc non vult Bellarminus, ergo nec illud velle debet. Denique si maximè sequeretur episcopum Romanum, qui fuit tempore Athanasij non potuisse (quod tamen est falsissimum) errare in scriptura explicanda, nihil tamen iuuaret caussam Bellarmini. Papa enim neque est episcopus, neque cum episcopo quicquam habet commune, vt suo loco ostendemus. Basilium sequitur Nazianzenus. Ille in oratione qua se excusat, quòd diu ab ecclesiastica functione abstinuerit, dicit, *oues non debere pastores pascere, neque se supra terminos eorum eleuare.* Hinc infert Bellarminus papam non posse errare in Scriptura explicanda.

Oues

Oues non debēt paſtores paſcere, id eſt, oues debent ab omni polypragmoſyne abſtinere, Ergo papa Romanus non poteſt errare in ſcriptura explicanda.

Mirabilis & prorſus Ieſuitica logica, nihil enim eſt in conſequente, quod fuit in antecedente. Et tamen, ſi Dijs placet, eſt firmum Argumentum. Sed ad rem.

Qui non debent ab ouibus paſci, illi non poſſunt errare in Scriptura explicanda. Sed paſtores non debent ab ouibus paſci, Ergo papa Romanus non poteſt errare in Scriptura explicanda.

Reſpondeo Maiorem eſſe falſam. Non enim quicunq; ab ouibus paſci non debent, non poſſunt errare. Auguſtinus enim, Irenæus, Lactantius, Cyprianus, Baſilius, & multi alij non debuerunt ab ouibus paſci, potuerunt tamen errare, imò errarunt etiam. Ergo & concluſio eſt falſa. Deinde etiamſi concluſio vera eſſet, tamen non iuuaret cauſſam Bellarmini, nam iſtinc efficeretur nullum paſtorem poſſe errare in Scriptura explicanda. Sed hoc non volunt papiſtæ, volunt enim ſolum Papam non poſſe errare in Scriptura explicanda, reliquos autem omnes paſtores poſſe errare. Quod ſi verum eſt, manifeſtum eſt, hoc non eſſe idoneum medium ad illud probandum, quod Bellarminus intendit. Deinde totum Argumentum nihil facit ad rem. Nazianzenus enim *de ſolis paſtoribus* loquitur, papa autem non eſt paſtor, quemadmodum ſuo loco oſtendemus. Hæc ad Ma-

iorem. Ad Minorem dico, illam poſſe dupliciter intelligi, vno modo quòd oues non debēt ſibi per πολυπραγμοσύνην docendi partes ſumere, illud fatemur. Altero modo, quòd oues nullo modo in doctrinam paſtorum inquirere debent, ſed permittere paſtoribus, vt quidlibet afferāt & doceant. Sed hoc negamus. Contrarium enim legimus, Act. 17. 1. Ioan. 4. Matth. 25. Cùm igitur ex his conſtet nos debere in doctrinam propoſitam inquirere, falſos doctores obſeruare, & cauere, ne illorum doctrina decipiamur. Nō debet Bellarm. ægrè ferre, quòd in papæ doctrinam inquirimus, ille enim falſorum doctorum caput eſt. Sed & alterum argumentum ex eodem Naziãzeno affertur, is n. in oratione ad ſuos ciues metu perculſos dicit, *Imperatorem & ciues eſſe ſuo imperio ſubiectos.* Hinc infert Bellarminus papam Rom. non poſſe errare in ſcriptura explicanda.

Imperator & populus ſunt Nazianzeni imperio ſubiecti, Ergo papa non poteſt errare in ſcriptura explicanda.

Pudet me horum argumentorum, ſed ad rem.

Cuius imperio princeps & populus ſubiectus eſt, ille non poteſt errare in Scriptura explicanda. Sed Nazianzenus eſt ille, cui Imperator & populus ſubiectus eſt, Ergo papa Rom. non poteſt errare in ſcriptura explicanda.

Reſpondeo aliud concludi, quàm fuit in præmiſſis. Si dicis, hoc ſaltem ſequi, Ergo Nazianzenus non poteſt errare in ſcriptura explicāda, tum reſpōdeo Minorem eſſe ambiguam, & poſſe duobus modis intelligi, vno modo, quòd epiſcopus habet imperium

perium ſeculare in imperatorem,& tum Minor ſimpliciter eſt falſa. Notum enim eſt illud, *principes gentium dominantur, vos autem non ſic.* Matth. 20. v. 25. Marci 10.v.42. Luc. 22.v.25. Si autem Minor intelligitur de regimine ſpirituali, tum illa quidẽ eſt vera, ſed Maior eſt falſa. Ambroſio enim hoc modo, ſubditi & princeps ſubiecti fuerunt, & tamen errauit. Idem de Auguſtino, Cypriano, & alijs dici poteſt. Deinde etiam ſi Maior vera eſſet, tamen nihil iuuaret cauſam Bellarmini, ſequeretur enim nullum epiſcopum poſſe errare, omnes enim epiſcopi habent ſpirituale imperium in ſuos auditores, ſed hoc non vult Bellarminus. Ergo hoc medium non eſt idoneum ad illud probandum, quod Bellarminus intendit.

Nazianzenum ſequitur Chryſoſtomus, is homilia vltima in Iohan. dicit, *Petrum eſſe toti orbi à Christo magiſtrum præpoſitum.*

Petrus eſt toti orbi magiſter præpoſitus, Ergo papa non poteſt errare in Scriptura explicãda.

Equidem Bellarmine hæ ſtrophæ Helleboro potiùs, quàm logicis rationibus purgandæ ſunt.

Petrus eſt totius orbis magiſter. Papa non eſt Petrus, neque cum Petro quicquam habet commune, Ergo papa non poteſt errare in Scriptura explicanda.

Eſtne egregium hoc argumentum? Sed ad rem.

Qui eſt totius orbis magiſter, ille non poteſt in Scriptura explicanda errare, ſed Petrus eſt totius orbis magiſter, Ergo papa non poteſt errare in Scriptura explicanda.

Reſpondeo ſubiectum concluſionis non eſſe in præmiſsis. Sunt igitur 4. termini. Deinde & Baſilius dicitur διδάσκαλος τῆς οἰκουμένης. Theod. lib. 4. c. 16. Num inde inferet Bellarminus & Baſilium non poſſe errare in Scriptura explicanda? Prætereà ſi dicis ſaltem ſequi, Petrum non poſſe errare in Scriptura explicanda, hoc quidem verum eſt, ſed non tantùm, nam ſolus Petrus non fuit totius orbis magiſter, ſed omnes Apoſtoli habuerũt hoc cum Petro commune. Si igitur hoc eſt idoneum argumentum, quòd quis non poſsit errare, ſic colligendum eſſet.

Qui ſunt totius orbis magiſtri, illi non poſſunt errare in Scriptura explicanda. Sed oẽs Apoſtoli ſunt totius orbis magiſtri, Ergo oẽs Apoſtoli non poſſunt errare in ſcript. explicanda.

Hoc argumentum quidem veriſsimum eſt, ſed nihil ad cauſam Bellarmini. Papa enim non eſt Apoſtolus, neq; quicquam habet cum Apoſtolis cõmune. Officium enim Apoſtolorum fuit extraordinarium, papæ autem officium non eſt extraordinarium. Deinde Apoſtoli fuerunt diuinitùs à Deo vocati, papa autem neque diuinitùs neque humanitùs eſt à Deo vocatus. At dicis, Papam eſſe Petri ſucceſſorem. Sed hoc eſt falſum. Petrus enim prædicando pauit oues Chriſti, Papa autem occidit oues Chriſti, Teſtes omnes hiſtoriæ. Deinde Petrus prędicauit doctrinam Chriſti, Papa autem defendit doctrinam Dæmoniorum, vt ſuo loco oſtendemus. Ergo quod iactat de ſua ſucceſsione falſum eſt, & ſi maximè verum eſſet, Papam eſſe Petri ſucceſſorem, tamen nihil faceret ad rem, eſſet n. tale argumentũ.

Qui

Qui non poteſt errare, eius ſucceſſores etiam non poſſunt errare. Sed Apoſtoli non poſſunt errare, Ergo eorum ſucceſſores nõ poſſunt errare.

Quod ſi verum eſt Bellarmine, ſequitur nullum epiſcopum poſſe errare, omnes enim epiſcopi legitimè vocati ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. Cyprianus enim lib.4.epiſt.9. ad *Pupianum* dicit, *omnes præpoſitos Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedere.* Sed hoc non vult papa Romanus. Quare igitur per hanc ſtropham probare contendit ſe non poſſe errare, cùm neque epiſcopus ſit, neq; cum bono epiſcopo quicquam habeat commune? Sed ad rem. Nos dicimus Maiorem eſſe falſam. Nam *Paulus* dicit Act.20. *fore vt poſt ſuum diſceſſum multi lupi rapaces introëant in Eccleſiam, & eam dilacerent.* *Petrus* dicit, *extremis tẽporibus venturos eſſe falſos doctores,* epiſt. 2.cap. 2. Quin ipſe Chriſtus docet, Matth. 25. *futuros eſſe Pſeudoprophetas, qui ſi fieri poſſit, etiam electos ſint decepturi.* Vnde apparet non omnes ſucceſſores Apoſtolorum fore bonos, nedum tam bonos, vt non poſſint errare. Et quid opus eſt verbis, ipſa experientia oſtendit quoſdam Apoſtolorum ſucceſſores multas hæreſes ſparſiſſe, & eccleſias quaſdã funditùs euertiſſe. At dicis, *Petrus* docuit Romę, et papa docet Romę, Ergo papa eſt *Petri* ſucceſſor. Sed & Simon Magus docuit Romæ. Viderit Bellarminus, númne papa Simonis Magi potiùs, quàm Simonis *Petri* ſucceſſor ſit.

Poſt Chryſoſtomum adducit Cyrillum, Is in theſauro apud Thomam in opuſc.cont.Gręcos inquit, *oẽs à Papa Rom. accipere debere quid tenendũ et credendũ*

ſit.

ſit. Sed hoc teſtimonium non dignabor reſponſione. Apud Cyrillum in Theſauro non extat. Quod ad Thomam attinet, eum dolemus non vixiſſe æuo feliciore. Atque hæc de argumentis, quæ Bellarminus ex gręcis patribus attulit, quę quoniam vel aliud concludunt, vel nihil faciunt ad rem, manifeſtum eſt, theſin æquè incertam eſſe, atque antè erat.

CAPVT VIII.

Argumenta à Latinorum Patrum auctoritate pro papiſtica interpretationis regula adducta refutantur.

GRæcos patres non patrocinari ſententiæ Bellarmini oſtendimus capite ſuperiori, nunc idē de Latinis patribus oſtendemus. Primo loco adducit Tertullianum, is dicit lib. de præſcript. *Ergo non ad ſcripturas prouocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen, in quibus nulla, aut incerta victoria eſt.* Hinc infert papam nō poſſe errare in ſcriptura interpretanda.

Nulla certa victoria ex Dei verbo, Ergo Papa non poteſt errare in ſcriptura interpretanda.

Mirabile argumentum. Nulla enim pars conſequentis cum antecedente congruit. Tamen formabimus illud ſyllogiſticè.

Quod ex Dei verbo conſequi non poſſumus, hoc aſſequemur ex papa Romano. Sed certam intelligentiam ex Dei verbo aſsequi non poſſumus, Ergo eam aſſequemur ex Papa Rom.

Reſp. Maiorē in quibuſdā verā eſſe, in qbuſdā falſam, nullæ n. fraudes, nulla mendacia, nullæ hæreſes, nulla flagitia ex Dei verbo deduci poſſunt. At talia

tia multa ostendi possunt ex papa Romano, sunt igitur quædam, quæ non ex Dei verbo, sed ex papa deduci possunt. Non tamen negamus esse quædam, quæ ex vtroque probari possunt, vt esse hominem mortalem. Hinc apparet Maiorem secundum quid veram, secundum quid falsam esse, & hoc sufficit ad conclusionis falsitatem ostendendam. Sed neque Minor simpliciter vera est. Nam non vult Tertullianus, non posse simpliciter veram sententiam ex scripturis colligi, sed non posse *contra hæreticos* qui scripturas negant, certam sentẽtiam colligi ex scripturis. Quæ enim quisque principia negat, contra eum ex istis principijs disputari non potest, vt rectè inquit Tertullianus. Quod si verum est Bellarmine, quorsum tua tam operosa disputatio de falsis & peruersis principijs nobis obtrudendis? Hanc autem veram esse mentem Tertulliani constat ex eodem Tertulliano, dicit enim dicto libro, *ista hæresis non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit, adiectionibus & subtractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit.* Deinde idem Tertullianus dicit contra Praxeam, *Probare autem debebas tam apertè ex scripturis, quàm nos probamus.* Ibidem, *aut exhibe probationem meis similẽ*, id est, *sic Scripturas ostende.* Ex quibus sequitur Tertullianum nõ simpliciter negasse, veritatem ex scripturis elici non posse, sed tantùm dixisse, non posse contra eos, *qui scripturas negant*, certam victoriam ex scripturis reportari, vt si quis ex Nouo Testamento vellet Iudæum conuincere, ille operam perderet, Iudæus enim Nouum Testamentum non admittit. Alterum Argumentum est ex eodem Tertulliano. Is

lib,

lib. de præſcriptionibus. *Quid autem,* inquit, *prædicauerint, id eſt, quid illis Chriſtus reuelauerit, et hic præſcribam, non aliter probari deberi niſi per easdem eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt.* Hinc infert Bellarminus papam non poſſe errare in ſcriptura explicanda.

Hæretici qui ſcripturas negant, ac abſurdos ſcripturarum ſenſus excogitant, & tamen volunt pro Chriſtianis cenſeri, non poſſunt meliùs refelli, quàm ea doctrina, quam Apoſtolicæ eccleſiæ profitentur, Ergo papa non poteſt errare in ſcriptura explicanda.

Rurſus nulla pars conſequentis eſt, quæ cum antecedente congruit, ſed flectamus argumentum ad formam.

Quod Apoſtolicæ eccleſiæ faciunt, hoc facit papa Romanus, ſed Apoſtolicæ eccleſiæ verum ſcripturarum ſenſum explicant; Ergo papa Romanus non poteſt errare in Scriptura explicanda.

Reſpondeo Maiorem eſſe falſam. Apoſtolicæ enim eccleſiæ adhærent verbo Chriſti. papa non adhæret verbo Chriſti. Deinde Apoſtolica eccleſia verbum eo modo intellexit, quo Chriſtus & Apoſtoli intellexerunt. At papa ſæpè contrarium ſenſum adfert, vt ſuo loco probabimus. Cùm igitur Maior falſa ſit, ſequitur concluſionē veram eſſe non poſſe. At dicis, Rom. eccleſiam eſſe Apoſtolicam, & proptereà ſemper verum ſenſum afferre.

Apoſtolica eccleſia verum Scripturarum ſenſum affert. Rom. eccleſia eſt catholica, Ergo papa non poteſt errare in ſcriptura explicanda.

Reſpondeo Maiorem poſse intelligi duobus modis, nempè de ea, quæ ἁπλῶς Apoſtolica eſt, atque tum Maiorem concedimus. Deinde de ea quæ κατὰ τὶ Apoſtolica eſt, & tum eam negamus. Corinthiaca enim eccleſia fuit Apoſtolica, & tamẽ habuit graues errores. Galatarum item eccleſia fuit Apoſtolica, & ſimiliter habuit graues errores. Quatenus igitur eccleſiæ ſunt Apoſtolicæ, eatenus non poſsunt errare, quatenus autem non ſunt Apoſtolicæ, eatenus poſſunt errare. Hæc de Maiore, vnde tantùm ſequitur, Eccleſiam non poſſe errare, quatenus eſt Apoſtolica. Minorem ſi Bellarminus intelligit de ea eccleſia, quæ tẽpore Tertulliani erat, tum concedimus eam. Romana enim eccleſia tum erat Apoſtolica, quemadmodum & Corinthiaca, Philippẽſis & Epheſina. Si verò Minorem intelligit de eo cœtu, qui nunc eſt Romæ, Tum eam negamus. Romana enim præſens Synagoga non eſt Eccleſia Apoſtolica, nam non habet doctrinam Apoſtolicam, neque Sacramenta Apoſtolica, neque regimen Apoſtolicum, neque miniſtros apoſtolicè electos, neque vitam Apoſtolicã, imò nihil penè habet cum vetere Romana eccleſia commune præter locum. Qui ſi ad Apoſtolicæ eccleſiæ conſtitutionem ſufficit, tum reſpondemus & Corinthi, Philippis, Epheſi, & alibi nunc eſſe apoſtolicas eccleſias. Quod ſi ſequitur, tum non ſolùm Romana eccleſia non poteſt errare in ſcriptura explicanda, ſed reliquæ omnes eccleſiæ non poſsunt errare in Scriputra explicãda. ſi non ſequitur, tum & Romana non poteſt nõ errare in Script. explicanda. Deinde Bellarmine, hoc argumentum non nobis, ſed vobis

vobis obijci debebat. Diſputat enim Tertullianus contra eos, qui vel *Scripturas negabant*, vel non *perfe-ctas eſſe dicebant*, vel *malè explicabant*. Sic enim inquit, *Etſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus tamen diuerſas expoſitiones commentata peruertit*. At hoc & vos facitis, præter genuinos enim libros, & apocryphos adducitis, & præter eos, multas abſurdas fabulas ſub nomine traditionum adducitis. Hos autem hęreticos dicit conuinci poſse, modò conſtet *de vero Scripturarum ſenſu, atque eum* dicit hunc eſse, quem *Chriſtus protulit, atque Apoſtolus docuit, quem Apoſtoli ſuis Eccleſiis primùm viua voce, deinde per epiſtolas tradiderunt*. Vnde colligit eam eſse veram doctrinam, quæ cum illis Apoſtolicis eccleſijs, matricibus & originalibus fidei conſpirat. Et paulò poſt hanc dicit eſse *veram regulam, in qua incedere debemus, quam eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo acceptam tradidit*. Vnde infert, non eſse *admittendos hæreticos ad ineundam de ſcripturis prouocationem, quos ſine ſcripturis probamus, ad ſcripturas non pertinere*. Hæc nos reueremur & amplectimur. Maledictus enim eſto, qui negat eum eſse verum Scripturarum ſenſum, quem Deus Chriſto, Chriſtus Apoſtolis, Apoſtoli Eccleſijs tradiderunt. Et quoniam ſcimus eum eſse verum ſenſum, ideò negamus ſenſum Romani papæ eſse verum. Papa enim non tenet eam doctrinam, quam Deus Chriſto, Chriſtus Apoſtolis, Apoſtoli eccleſijs tradiderunt. Et quoniam primo loco produxiſti Tertullianum, age definiamus hanc controuerſiam ex Tertulliano. Ille dicit, *hunc eſſe verum ſenſum, quē Deus Chriſto, Chriſtus Apoſtolis, Apoſtoli eccleſiis tradiderunt*.

derunt. Hoc fatemur. At quis est ille? Respondet Tertullianus *Apostolos eum primùm viua voce tradidisse, deinde literis consignasse.* Ille igitur est verus sensus, qui literis consignatus est. At dicis, ille potest aliquando esse multiplex, ex illis igitur varijs sensibus, quisnam genuinus est? respondet Tertullianus in libro contra Praxeam, *quis es, vt non putes accipienda, quemadmodum scripta sunt, maximè quæ non in allegorijs, sed in definitionib. certis & simplicibus habent sensum.* Hanc Tertulliani decisionem si recipis, sublata est controuersia. Hunc enim dicimus esse genuinum sensum, quem verba vel figurata, vel propria præ se ferunt, hoc est, qui cum Dei verbo κατ᾽ ἀναλογίαν congruit, si autem hanc repudias, frustrà nobis Tertullianum obijcis. Quod addis Romanam ecclesiã esse Apostolicarum præcipuam, non est apud Tertullianum. Tertullianus enim non dicit Romanam ecclesiam esse inter Apostolicas præcipuam, sed dicit, *sic omnes Apostolicæ omnes primæ, dum omnes vnam probant vnitatem.* Et paulò post, *percurre*, inquit, *ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ Cathedræ Apostolicæ adhuc suis locis præsidentur. Apud quas authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, repræsentantes faciem, proxima tibi est Achaia, habes Corinthum, si verò non longè es à Macedonia, habes Philippos, si potes in Asiam tendere, habes Ephesum, si verò Italiam adijceris* (lego adieris) *habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est, felix ecclesia, &c.* Ex his apparet Romanam reliquis Apostolicis non præferri, sed in eodem cum illis gradu constitui. Ergo falsum tuum allegatum.

Ll Post

Post Tertullianum adducit Cyprianum, is lib. 1. epist. 3. *Neque enim*, inquit, *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Hinc infert Bellarminus papam Romanum non posse errare in scriptura explicanda.

Qui in ecclesia episcopus vnus cogitatur, ille non potest errare in Scriptura explicanda. Sed Papa in ecclesia episcopus vnus cogitatur. Ergo papa non potest errare in Scriptura explicãda.

Respondeó medium terminum esse ambiguum. Potest enim ita intelligi, quòd in tota & vniuersa ecclesia tantùm vnus episcopus esse debet. Atqui ita non intellexit Cyprianus. Ponit enim se in eodem gradu cum papa Romano. Nam vocat eum fratrem suum, neque voluit illi in doctrina de non rebaptizando cedere. Manifestum igitur quòd non agnouerit Cornelium pro vniuersali episcopo, neque iudicauerit eum in iudicando errare non posse. Deinde & ita accipi potest, quòd in singulis particularib. ecclesijs vnus tantùm debet esse episcopus. Atque hæc est mens Cypriani. Eandem enim sententiam ijsdem ferè verbis repetit lib. 4. epist. 9. ad Pupianũ: *Vnde*, inquit, *schismata & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, nisi dum episcopus, qui vnus est, & ecclesiæ præest superba quorundam præsumptione contemnitur.* Vbi citra omnem controuersiam de seipso loquitur, & dicit in singulis ecclesijs tantùm vnum episcopum esse debere. Simile docet Socrates lib. 6. cap. 22. *Vna vrbs*, inquit, *non debet duos episcopos habere.* Vnde colligo

Cypria-

Cyprianum velle in omnibus & singulis ecclesijs tantùm vnum episcopum esse debere, quem vniuersa fraternitas audire debet, & ex cuius contẽptu hæreses & schismata nascuntur. Hoc ita posito, respondeo Maiorem esse falsam. Cyprianus enim fuit episcopus, vt & Ambrosius, & Augustinus, & tamen hi quandoque in Scriptura explicanda aberrarunt. Deinde & Minor est falsa. Papa enim hoc tempore non est episcopus, neque cum bono episcopo quicquam habet commune. Præterea si ambæ præmissæ veræ essent, tamen hoc non iuuaret causam Bellarmini. Sequeretur enim nullum episcopum posse errare in Scriptura explicanda. At hoc non vult papa Romanus, Ergo hoc medium non est idoneum ad illud probandum, quod Bellarminus intendit. Cyprianum sequitur Ambrosius. Is epist. 32. negat *Imperatores de episcopis, i. de eorum fide iudicare posse.* Hic infert Bellarminus papam non posse errare in scriptura interpretanda.

Imperator non debet de episcoporum fide iudicare, Ergo papa non potest errare in Scriptura explicanda.

Respondeo nullam esse consequentis cum antecedente cohærentiam, & argumentum antè à nobis refutatum est.

Ambrosium sequitur Hieronymus, Is in epistola ad Damasum, *discerne*, inquit, *si placet, obsecro, non timebo tres hypostases dicere, si iubetis.* Hinc infert Bellarminus papam non posse errare in Script. explicãda.

A quo Hieronymus petit consilium an liceat tres hypostases dicere, is non potest errare in scri-

ptura explicanda. Sed Damas. est ille, à quo Hierō. petit consilium an liceat 3. hypostases dicere? Ergo papa nō potest errare in Script. explicāda.

Respondeo Maiorem non tantùm esse falsam, sed etiam ridiculam. Quis enim vnquam dixit eum non posse errare, à quo quis consilium quærit? Cyprianus cùm 35. episcopis *quærit consilium à Feluce & Aelio de Martiale & Basilide*, lib. 1. epist. 4. Magnus *consuluit Cyprian. an ij qui a Nouitiano baptizati erant, rebaptizari debebāt*. l. 1. ep. 9. Ianuarius cum 18. episcopis *consuluit Cyprianū, an ij qui ab hæreticis baptizati sunt, rebaptizari debeant*, lib. 3. epist. 12. Ipse *Damasus Hieronymum de quibusdam consuluit*. Leo papa testat̃ se *aliquādo ab alijs episcopis consilium petiuisse*. ep. 17. ad episcopum Rauēnatem. Deinde Hieronymus ab alijs etiā multarum rerum explicationem petijt. In procemio enim, epist. ad Ephes. *Alexandriam*, inquit, *nuper perrexi, vt viderem Dydimum, & ab eo in Scripturis omnibus, quæ habebam dubia, exquirerem*. Similia exempla passim occurrunt. Num hinc sequitur Felicem & Aelium non potuisse errare? num, inquam hinc sequitur Cyprianum cùm baptizatos denuò baptizandos censeret, non errasse? Prætereà non tantùm ab episcopis Romanis, sed etiam ab alijs Episcopis consiliū petebatur. Imò ferè nullus episcopus fuit, quem non aliquis de quadam re consuluerit. Si igitur hoc argumentum obtineret, sequeretur nullum episcopum errare posse. Sed hoc non vult papa Romanus. Prætereà ipsum Damasum sæpè errasse ostēdimus lib. 3. Vnde apparet conclusionem huius argumenti falsam esse, & ob eam caussam aliquam præmissam

missam falsam esse, Falsum enim ex vero colligi non potest. Denique ipse Hieronymus in epist. ad Galat. *Spiritus sancti*, inquit, *doctrina est, quæ Canonicis libris est prodita, contra quam si quid statuant concilia, nefas duco.* Et in Matth. cap. 23. *quod de Scripturis*, inquit, *auctoritatem non habet, hoc eadem facilitate contẽnitur, qua probatur.* Vnde apparet, non papam, sed ipsam Scripturam secundũ Hieronymum esse omnis Interpretationis regulam. Postremò Damasus erat Romanæ ecclesiæ episcopus, eiusdem ecclesiæ presbyter erat Hieronymus. Quod igitur Hieronymus Damasum de voce suspecta consuluerit, inde non sequitur Damasum nõ potuisse errare, sed eum apud Hieronymum in magna auctoritate fuisse, rectè sequitur. Est igitur fallacia à non causa vt causa.

Hieronymum sequitur Augustinus. Is lib. 2. cont. Crescon. cap. 23. *quisquis*, inquit, *falli metuit huius obscuritate quæstionis, is ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate Scriptura demonstrat.* Sed hæc verba dicto loco apud Augustinum non inueniuntur. Deinde nihil faciunt ad rem.

Quem de difficili re debemus consulere, ille non potest errare. Sed ecclesia est ille, quem de difficili quæstione consulere debemus. Ergo papa Rõ. non potest errare in Script. explicanda.

Respondeo esse aliud in conclusione, quàm in præmissis. Deinde non iuuat argumentum causam Bellarmini. Non enim docet quamlibet ecclesiam consulendam esse, sed eam, *quam ostendit S. Scriptura.* At quid hoc ad papam Romanum? ostendat Bellarminus præsentem Synagogam & tyrannidem Rom.

exScriptura, & consulemus eam. Præterea non voluit Augustinus papam Romanum esse omnis interpretationis regulam. Hoc enim eodem lib. cap. 31. *non sine causa*, inquit, *tam salubri vigilantia canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, quos omnino iudicare non audemus, & secundum quos de cæteris vel fidelium vel infidelium libris libere iudicamus*. Hinc apparet non iudicium papæ, sed canonem Scripturarum esse omnis iudicij regulam. Nam si omnes fidelium libri debēt secundum canonem iudicari, tum aut papæ nō sunt fideles, aut illorum libri secundum canonem Scripturarum iudicari debent. Deinde quod secundum aliud iudicari debet, hoc non est omnis iudicij regula, sed est id ipsum, quod ad regulam examinatur. At papæ iudicium secundum aliud, nempè secundū canonem Scripturæ iudicari debet, Ergo papæ iudicium non est regula, sed est idipsum, quod ad regulam examinatur.

Secundus locus est ex epist. 106. vbi Augustinus *ad omnia*, inquit, *ille nobis respondebat sicut fas erat, & oportebat Apostolicæ sedis episcopum respondere*. Hinc infert Bellarminus papam non posse errare in Scriptura explicanda.

Innocentius ita respondit ad postulata Africanorum, vt oportebat Apostolicæ sedis episcopum, Ergo nullus papa potest errare in Scriptura explicāda.

Respondeo consequentiam esse falsam. Est enim perinde ac si dicas, Plato fuit bonus philosophus, ergo nullus homo ignorat philosophiam. Deinde etsi in ista controuersia Pelagiana benè respondit

Inno-

Innocentius, tamen alijs locis non benè respondit. In epist. enim regulari ad Decentium Eughbinum, *Manifestum est*, inquit, *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, Siciliam, insulasq; interiacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos*, *quò* (lego quos) *venerabilis Petrus, aut eius successores constituêre sacerdotes*. Hoc manifestè falsum est. In Gallia enim prædicauit *Crescens*. Auctor Hieronymus in catal. C. Crescens. At Crescens non Petri, sed Pauli discipulus est. 1. ad Timoth. cap. 4. v. 10. Euseb. lib. 3. eccles. Hist. c. 4. Epiphan. cont. Alogos. In eadem Gallia docuit *Philippus*, auctor Gildas. At Philippus non à Petro, sed à Christo immediatè constitutus. Quam ob caussam Pamelius *eum primum Galliarum episcopum vocat* in cap. 7. Tertull. cont. Iudæos. In Germania prædicauit *Apostolus Thomas*. Hieron. in Catal. cap. Thomas. At ille non à Petro, sed à Christo immediatè vocatus est, Matt. 28. v. 9. Quin & Auentinus in Boiorum historia dicit, *Lucium Pauli comitem Euangelium in Germania annunciasse*. In *Anglia Apostolus Paulus Euangelium* prædicauit, testis Theodoret. de corrrigend. Græc. affect. lib. 9. In eadem insula prędicauit euangelium *Iosephus Arimatheus*, vt docet Gildas. At ille nõ à Petro, sed à Philippo Apostolo ex Gallia submissus est, vt docet idem Gildas. In Italia prædicauit *Paulus Apostolus*. Act. 28. cap. v. 20. At ille nõ à Petro, sed à Christo immediatè missus est, Act. 9. & ad Galat. cap. 1. In Hispania *idem Paulus* prædicauit. Chrysost. hom. 7. de laudibus Pauli. In eadem Hispania prædicauit *Iacobus Maior Apostolus*, testis Isidorus. At Iacobus non à Petro, sed ab

ipſo Chriſto, immediatè miſsus eſt. Manifeſtum igitur non oẽs quicunque in Italia, Gallia, Anglia, Hiſpania, Germania & interiacentibus inſulis prædicarunt, à Petro & eius ſucceſsorib. conſtitutos eſse. Deinde Paulus, Iacobus Maior, Thomas, Philippus in prædictis regnis prædicarunt, vt iam demonſtratum eſt. At illi omnes ſunt Apoſtoli, Manifeſtum igitur plures Apoſtolos, quàm vnum Petrum in his regnis prædicaſse. Et hæ tamen decretales epiſtolę ſunt fundamẽtum primatus Rom. Sed ad rem. Aut igitur ſuppoſititiæ ſunt hæ Innocentij epiſtolæ, aut falſum eſt, quòd dicis papam ex Cathedra docentem non poſse errare. Hoc enim ſcripſit in ſuis regularibus epiſtolis, quæ pro principio à papiſtis obtruduntur. Docuit igitur hoc ex Cathedra. At quod in ijs epiſtolis ſcripſit falſum eſt, poteſt igitur Papa errare etiam tum, cùm docet ex Cathedra, & ob eam cauſam eius iudicium non eſt omnis interpretationis regula. Ad ipſum argumentum non libet reſpõdere, Eſt enim reſponſione indignum.

Tertius locus eſt, cap. 5. cont. epiſt. Fundamenti. *Ego verò*, inquit, *Euangelio non crederem, niſi me Catholica Eccleſiæ moueret auctoritas.* Hunc locum Caluinus ſic interpretatur, *ego non credidiſſem Euangelio, niſi me eccleſiæ mouiſset auctoritas, & vult illud de præterito, non de præſenti intelligendum eſſe.* Hanc explicationem allatrat Bellarminus, ſed abſque ratione. Nam paulò antè dicit Auguſtinus. *Si ergo inuenires aliquem, qui Euangelio non crederet, quid faceres dicenti tibi, non credo?* & ſtatim ſe exempli loco ſubiungit, *ego verò non crederem, &c.* Vnde manifeſtum eſt, eum de *præterito* loqui

qui & non de *præsenti.* Deinde cap. 14. eiusdem lib. *eos*, inquit, *sequamur, qui nos inuitant prius credere, quod nondum valemus intueri, vt ipsa fide valẽtiores facti, quod credimus intelligere mereamur, non iam hominibus, sed ipso Deo mentes nostras intrinsecus illuminante & confirmante.* Vbi disertè dicit se *hominibus credidisse, cùm nõdum valeret intueri.* Deinde verò *fide valentiorẽ factum non ab hominibus, sed à Deo confirmatum esse.* Vnde necessariò colligo, Augustinum loqui de se vel nondũ *conuerso*, vel nondum *confirmato*, & qui huic interpretationi contradicit, ille tantùm ostendit pertinaciã suam. Sed esto, loquutus sit tantùm Augustinus de re præsenti.

Augustinus propter ecclesiæ auctoritatem habet Euangelio fidem, Ergo papa non potest errare in scriptura explicanda.

Attende quæso Bellarmine, & vide, num vel prædicatum vel subiectum sit in antecedente. Item num inter antecedens & consequens sit vlla cohærentia. Simile est Iohan. 4. v. 42. *Samaritani propter mulierem credebant in Christum*, num inde sequetur nullam fœminam posse errare in Scriptura explicanda? Petrus in 1. epist. cap. 3. *vult mulieres castè viuere, vt mariti per illorum conuersationem lucrifiant.* Num inde rectè inferet Bellarminus, nullam mulierem castè viuentẽ posse errare in scriptura explicanda?

Quartus locus est in procemio librorum de doct. Christ. *Cogitemus*, inquit, *ipsum Apostolum Paulum licet diuina voce prostratum & instructum esse missum ad hominem, vt Sacramenta acciperet atque copularetur Ecclesia, & Centurionem Cornelium, quamuis exauditas orationes*

tiones eius Eleemosynasq; respectas esse Angelus annunciauit, Petro tamen traditum imbuendum.

Paulus ad hominem missus est, vt baptizaretur, & Cornelius Petro datus est instituendus, Ergo papa non potest errare in Scriptura explicāda.

Equidem Bellarmine in his argumentis tantundem est necessitatis, ac si dicas, baculus stat in angulo, Ergo papa non potest errare in Scriptura explicāda. Et tamen hæc est ista Iesuitica Theologia, quæ non tantùm omnia didicit, sed sola didicit omnia, reliqui omnes scilicet ab ea dissentientes sunt fungi, indocti, stupidi, asini. Verùm mi Bellarmine considera quibus conuitijs & contumelijs papistæ nos essent excepturi, si ita argumentaremur, quod si feceris, laudabis patientiam nostram, qua hæc tua legimus & refellimus. Hoc possum cum bona conscientia affirmare me tuis laboribus esse valdè confirmatum. Nam cùm tú homo tantæ lectionis non possis meliora argumenta afferre, satis ostendis vestræ caussæ infirmitatem. Aperiat tibi Deus oculos, vt has meas responsiones possis absque præiudicio legere, ita sperarim te relicta falsitate veritatem agniturum esse. Vt autem omnibus constet, quæ sit Augustini de hac re sententia, ex eius operibus vnum atque alterum locum adscribam. Sic igitur inquit de bono viduitatis cap. 1. *Sancta Scriptura nostræ fidei regulam figit.* Idem de Ciuit. Dei, lib. 19. cap. 18. *Ciuitas*, inquit, *Dei credit Scripturis sanctis, veteribus & nouis, quas Canonicas appellamus, vnde fides ipsa concepta est, ex qua iustus viuit, per quam sine dubitatione ambulamus, quam diu peregrinamur à Domino.* Idem contra literas Petiliani

Petiliani, lib. 3. cap. 6. *Si quis siue de Christo, siue de eius ecclesia, siue de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, non dicam si nos, sed quod Paulus adiecit, Si Angelus è cœlo vobis annunciauerit, præterquam quod in scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit.* Idem de doct. Christ. *Titubat,* inquit, *fides si diuinarum Scripturarum vacillat auctoritas.* Idem l. 2. de Baptis. cont. Donatist. c. 6. *non afferamus,* inquit, *stateras dolosas, vbi appēdamus quod volum⁹, & quomodo volumus ꝑ arbitrio nostro, dicētes hoc graue est, hoc leue; sed afferamus diuinam stateram de Scripturis sanctis tanquam de Thesauris dominicis: & in illa quid sit grauius appendamus, imò non appendamus, sed a Domino appensa recognoscamus.* Idem cont. Maximin. libro 3. capite 14. *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicaturus proferre concilium. Nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus non quorumcunque propriis, sed vtriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet.* Idem de Peccatorum Meritis, libro 2. capite 36. *vbi de re,* inquit, *obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum Scripturarum certis firmisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Idem de Vnitate Ecclesiæ cap. 3. *Non audiamus,* inquit, *hæc dico, hæc dicis, sed hæc dicit Dominus. Sunt certi libri Canonici, quorum auctoritati vtrique consentimus, vtriq; credimus, ibi quæramus ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Idem in eodem lib. cap. 10. *Nec Catholicis,* inquit, *Episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur vt contra Canonicas Dei Scripturas aliquid sentiant.* Idē epist.

epist. 19. *alios autem*, inquit, *ita lego, vt quanta libet sanctitate, doctrinaq; polleant non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos auctores (canonicos, vel probabili ratione, q̀ à vero nõ abhorreat, persuadere potuerunt.* Idem de Doct. Christ. lib. 3. cap. 28. *Per Scripturas*, inquit, *diuinas multo tutiùs ambulatur, quas verbis translatis occupatas cùm scrutari volumus, aut hoc inde exeat, quod non habet controuersiam: aut si habet, ex eadem scriptura vbicunque inuentis & adhibitis eius testibus terminetur.* Ex his & similibus euidéter colligo ipsam Scripturam secundum Augustinũ esse omnis doctrinæ, atque adeò omnis interpretationis regulam. Ad reliquas allegationes ex patribus nihil respondeo, non enim libet ad eosdem κοκκύζειν tam sæpè idem iterare.

Capvt ix.

Argumenta Bellarmini à ratione ducta refutantur.

Argumenta quæ Bellarminus à Latinorum patrum auctoritate attulit, refutauimus, sequitur vt eius argumentum à ratione ductum diluamus. Illud est huiusmodi.

> Non ignorabat Deus multas in ecclesia difficultates exorituras circa fidem, debuit igitur iudicem aliquem ecclesiæ præuidere.

Ex hoc argumento, quod concedimus, infert istũ iudicem non esse *spiritum priuatum*, neque esse *ipsam Scripturam*, neque esse *principem secularem*, Ergo esse *Papam Romanum*. Respondeo *spiritum priuatum* & *principem secularem* non esse controuersiarum iudicẽ, quod verò attinet ad reliqua duo membra, nempè Scri-

Scripturam & papam, distinctè respondeo, ac primũ nego *Papam Romanum* esse controuersiarum iudicẽ, vel esse interpretationis regulam. Illud probabo ex argumentis, quæ Bellarminus hîc posuit, posteà pleniùs probaturus. Primum argumentum, *quia non habet potestatem coactiuam.* Hoc eodem argumento ille probat, Spiritum priuatum non esse interpretationis iudicem. Ergo si ego possum ostendere papam non habere potestatem coactiuam, sequitur eum non esse interpretationis iudicem. Priusquam verò argumentum formabo, ostendendum est, de qua potestate loquar. Potestas enim coactiua alia est *interna*, alia *externa.* Externa non constituit controuersiarum iudicem. Nam si quicunque habet externam cogendi potestatem, esset controuersiarum iudex, tum quilibet princeps in sua ditione esset controuersiarum iudex. Sed hoc non esse verum etiam ipsi papistæ fatentur. Ergo externa cogendi potestas non facit cõtrouersiarum iudicem. Deinde papa non habet externam cogendi potestatem. Sanè à Domino nostro Iesu Christo eã non habet, Luc. 22. 25. & Mar. 10. 42. *Reges gentium dominantur, vos autem non sic.* 1. Pet. 5. 3. *Neque dominantes cleris.* 2. Cor. 1. 24. *non quòd dominamur fidei, sed quòd administri simus.* Sed neque habet internam cogendi potestatem. Solius enim Dei est animos intus mouere, Act. 16. 14. *Deus aperuit cor Lydiæ.* Ierem. 31. 33. *Indam legem meam in cordibus eorum.* Deut. 29. 4. *Neque tamen dedit Iehoua vobis cor ad intelligendum, neque oculos ad videndum, neq; aures ad audiendum, vsque in diem hanc.*

Deinde peruolue totũ vetus Testamentũ, & disce

Mosen

Mosen, Dauidem, Iosiam, & alios pios reges neminem ad hanc vel illam religionem coegisse, neque Prophetas docuisse, vt reges quemquam cogerent. Prophetæ adhortantur populum, dicendo, *Reuertimini*, Ezech. 18. 32. Ier. 3. 12. Tren. 3. 40. Ier. 3. 1. Neminem verò externa vi cogunt. Apostoli monēt, petunt, & obsecrant nos, vt ad Christum conuertamur, Matth. 3. 2. Marc. 1. 3. Luc. 3. 3. Rom. 12. 1. & 2. Cor. 5. 20. Neminem aūt externa vi cogunt. Quin ipse Christus cum lachrymis rogauit Iudæos, vt resipiscerent. Matt. 23. 37. *Ierusalem, Ierusalem*, inquit, *quoties volui te congregare? & noluisti*. Nullam tamen externam vim adhibuit. Doceat igitur Bellarminus, quo iure & qua auctoritate aliquem ad hanc vel illam religionem per externam vim adigat? Quin audi Bellarmine, Fides est donum Dei, Ep. 2. 8. Ergo nulla humana vi imperari potest. Et ob eam caussam vanum est, quicquid de vi coactiua disputas. Potēst papa per multa tormenta hominem eò adigere, vt taceat, potest etiam per externam vim efficere, vt homo aliud dicat, quàm sentit; vt autem hoc vel illud credat, non potest facere papa Romanus, est enim, vt dictum est, solius Dei, animos nostros flectere, & ad se conuertere. Quoniam autem secundum ipsum Bellarminum, ille non est controuersiarum iudex, qui istam vim non habet, necessariò sequitur, papam istarum rerum iudicem non esse. Secundum argumentum. Quia papa non est immediatè à Deo. Hoc etsi leuiculum est, valebit tamen contra Bellarminum. Nam ille dicit papam ideò esse cōtrouersiarum iudicem, quia *immediatè a Deo est*.

Si

Si igitur ostendere possum eum non esse immediatè à Deo, sequitur eum non esse controuersiarum iudicem. Non esse autem Papam immediatè à Deo manifestum est. Eligitur enim ab hominibus, nempè à Cardinalibus. Dicere verò illud immediatè esse à Deo, quod ab hominibus constituitur, est insanire. Deinde Platina dicit, *Syluestrum II. adiuuante Diabolo pontificatum consequutum esse, hac lege, vt post mortē totus illius esset, cuius fraudibus tantam dignitatem adeptus erat.* (In vita Syluestri II. Idem scriptum est *in Supplemento Chronicorum ad annum Christi* 997. An verò ille, qui adiuuante Diabolo pontificatum consequutus est, sit immediatè à Deo, viderit Bellarminus. Cùm igitur ille secundum Bellarminum sit cōtrouersiarum iudex, qui à Deo est immediatè, & papa non sit immediatè à Deo, necessarium est, eum non esse supremum Controuersiarum iudicem. In Peroratione dicit Bellarminus, *Episcopum tantò præstantiorem esse seculari principe, quantò cœlum terræ præstat*, atque inde infert, *Interpretationem pertinere ad principem Ecclesiasticum.* At Bellarmine, si totum Aristotelem, & omnes eius expositores perlegeres, nunquam redigeres hoc argumentum ad rectam formam. Tot enim ferè sunt errata, quot sunt verba. Quæstio enim est, an papa sit supremus controuersiarum iudex. Medius terminus, quia Episcopus principi seculari præstat. Conclusio, ad principem Ecclesiasticum pertinet interpretatio. Si tamen hic Paralogismus ad formam Syllogisticam inflecti debet, formandus est, opinor, in hunc modū.

Qui seculari principi præstat, ad eum pertinet in-

terpretatio

terpretatio Scripturæ. Sed Episcopus principi seculari præstat, Ergo ad solū papam pertinet interpretatio Scripturarum.

Vel in hunc modum.

Qui seculari principi præstat, ille est summus controuersiarum iudex. Sed Episcopus seculari principi præstat, Ergo solus papa est summus controuersiarum iudex.

Aliter, vt existimo, argumentum formari nequit. Respondeo verò ad Maiorem vtriusque Syllogismi, in ea nullam esse consequentiæ vim. Nam non quicunque principi seculari præstat, ille est summus cōtrouersiarum iudex, neque ad eum pertinet Scripturarum interpretatio. Angeli enim omnes principibus secularibus præstant, Et tamen à Scriptura interpretanda in Nouo Testamento abstinuerunt, neque illud summum iudicium sibi vnquam arrogarunt. Deinde non ideò Episcopi Scripturam interpretantur, quòd principibus secularibus præstant, sed quòd Deus illis hoc officium mandauit. Ad Minorem dico, Episcopos præstare principibus in quibusdam, nō in omnibus, imò ipsos principes in quibusdam præstare Episcopis. Postremò aio conclusionem non quadrare cum præmissis. Papæ enim nulla fit mentio in antecedente. Denique ex his præmissis sequitur ad omnem Episcopum pertinere interpretationem, & omnem Episcopum esse controuersiarum iudicem. Hoc ita esse affirmabit ipse Bellarminus, si rem diligenter expendet. At hoc non vult papa Romanus, ille enim sibi soli hoc arrogat. Deinde nihil facit ad rem. Nam non ad quemcunq;

Scriptu-

Scripturarum interpretatio pertinet, ille non potest errare in Scriptura explicanda. Pertinuit enim illa ad Cyprianum, Augustinum, Hieronymum, Tertullianum, qui tamen omnes quandoque aberrarunt. Neque quicunque est controuersiarum iudex, ille semper rectè iudicat. Nam Cyprianus, Victor, Dioscorus, & alij fuerunt controuersiarum iudices, & tamen aberrarunt. Aliud enim est, vt anteà dixi, *debere quod non præstas*, & item aliud *præstare quod debes*. Cùm igitur hæc Bellarmini argumenta vel nihil faciant ad rem, vel contra eum concludant, & ille meliora afferre non posit, sequitur papam non esse omnis interpretatiõis regulam. Loco coronidis addo hanc sententiam ab ipso Bellarmino destrui. lib. enim 3. cap. 3. docet *ex solo literali sensu peti debere argumenta efficacia*, & *certum esse eum sensum, qui ex verbis immediatè colligitur, esse sensum Spiritus sancti*. At sensus Spiritus Sancti est verus & legitimus sensus Scripturarum. Eodem enim capite Bellarminus docet, *Scripturam debere intelligi sensu Spiritus Sancti*. Superuacuum igitur est iudicium papæ. Nam ille sensus, qui ex verbis immediatè colligitur, est legitimus, siue papa eum approbat, siue nõ probat. & quilibet linguarum peritus absque papæ auxilio iudicare potest, quid verba immediatè significẽt. Quod ad 4. membrum attinet. Dicimus *Scripturam esse omnis interpretationis regulam*. Quæcunque enim interpretatio cum S. Scriptura congruit, illa est recta, & quæcunque discrepat, illa est falsa. Neque in æternum contrarium probabit Bellarminus. Concedimus etiam Scripturam esse omnis Interptationis iudicẽ,

 sed

ſed non prorſus eodem modo. Neq; valent contrariæ rationes, quas affert Bellarminus. Scriptura n. loquitur, etiamſi non loquatur Bellarmino. Nam ſi *epulo Moſen & Prophetas audire debet*, Luc. 16, 29. Sequitur Moſen & Prophetas ei loqui, quomodo n. audiret eos, ſi non loquerentur? Deinde Auguſtinus dicit, *Deum nobiſcum loqui, cùm Scripturã legimus*. Feria 6. ſer. 1. poſt Domini paſs. Præterea Ariſtot. dicit, *legem ſcriptam eſſe iudicem inanimatum*. Manifeſtum igitur & verbum Dei ſcriptum κῷ τὶ iudicem eſſe. Cæterùm iudex interpretationis eſt duplex, Superior & Inferior, Ita loquor docẽdi gratia. Superior eſt ipſe Deus, hic errare non poteſt, Inferior eſt eius miniſter, nẽpè homo. Hic rurſus eſt duplex. Ali° immediatè à Deo vocatus, & proptereà diuinitùs inſpiratus, vt Prophetæ & Apoſtoli. Alius non immediatè à Deo vocatus, vt cæteri Chriſtiani, ſiue Epiſcopi, ſiue Laici, ſaluo tamen officiorum diſcrimine. Ille errare non poteſt. *Nam nihil loquitur, niſi quod Sp. Sanctus ei dat eloqui*. Act. 2. 4. Hic verò poteſt errare. Exempla Tertull. Baſilius, Cyprianus, Auguſtinus, Lactantius, Hieronymus, & alij omnes Patres. Quin ipſe Gratianus hoc ex Auguſtino tanquã regulam protulit, Diſtinct. 10. *Negare*, inquit, *non poſſum, nec debeo, ſicut in ipſis maioribus ita multa eſſe in tam multis meis opuſculis, quæ poſſunt nullo iudicio, & temeritate culpari*. Ergo non cuicunque iudicare licet de interpretatione, ille non poteſt errare in Scriptura explicanda, ſed tum non errat, cùm ſecundum legem ſcriptam, id eſt, ſcripturam iudicat. Cùm verò non ſecundum legem ſcriptam iudicat, tum aberrat,

Distinct. 10. C. ego solis; C. Quis nesciat, C. Noli, C. Neque quorumlibet. Verùm quoniam de hac re deinde pleniùs dicam, ideò nunc plura non addam. Sufficiat ostendisse papam non esse omnis interpretationis iudicem, & ad omnes doctores, pastoresque legitimè vocatos pertinere interpretandi munus, omnibus item Christianis, saluo officiorum discrimine licere de interpretationibus iudicare.

CAPVT X.

Orthodoxa sententia de Scriptura interpretatione proponitur.

ARgumenta quibus Bellarminus probare voluit, Papam Rom. non posse errare in Script. explicãda refutauimus, sequitur vt ostẽdamus papã in Scripturis explicandis errare posse, errasse etiam, tum etiam vt ostendamus, quænam sit sacrarũ Scripturarum legitima interpretatio, Dicimus igitur papam posse errare in Scriptura explicanda, & probabimus illud in hunc modum.

Qui potest à Christo deuiare, & fieri hæreticus, ille potest errare in Scriptura explicanda. Sed Papa Romanus potest à Christo deuiare, & fieri hæreticus, Ergo papa potest errare in Scriptura explicanda.

Maior est citra vllam controuersiam vera. Minorem probo. Debet enim *reprehendi, si deprehendatur à fide deuius*, C. Si papa Distin. 40. Et hoc reipsa præstitit *Anastasius II. Quam ob causam à Deo percussus perijt*, C. Anastas. Distinct. 19. Et fasciculus Temp. fol. 53. *Hic videtur secundus infamis papa, fauebat enim*

Nestorianis. Platina in vita Anastasij II. *Hanc ob rem ferunt hominem diuino nutu subito morbo correptum interijsse*, Supplementũ Chronicorũ ad annum Christi 495. *Hanc ob rem, vt etiam Gratianus testatur, diuino nutu morbo statim correptus est, & cùm in latrina esset, vt naturæ necessitati obtemperaret, intestina effudit, vt habemus Distinct. 19. C. Anastasius. Is itaque secundus papa infamis fuit.* Idem fecit Achatius, quam ob caussam à Gelasio excõmunicatus est. 24. Q. 1. C. Achatius. Vbi Glossa dicit, *Papam posse papam ligare*. Idem fecit Liberius. *Ille enim fauebat Arrianis*, Fasciculus Temp. fol. 53. *in Anastas.* & fol. 48. in Liberio, *quia Liberius Arrianis fauebat*, ideò Felix cum Catholicis *eum admonitum, & contumacem tanquam hæreticum de Ecclesia eiecerunt*. Et paulò post, *nota quòd primum circa hæc tempora Romana ecclesia infamem Papam habuit*. Damasus in Pontificali dicit, *eum hæretico consensisse*. Platina in vita Liberij dicit, *eum cum hæreticis in rebus omnibus sensisse*. Supplement. Chronicor. dicit, *eum cum Arrianis sensisse*. ad annũ 352. Plura exempla nunc non adducam, & hæc sufficiunt ad Minoris veritatem ostendendam. Cùm igitur papa hæreticus fieri possit, sequitur etiã eum in Scriptura explicanda errare posse. Secundum Argum. Quia tradit contradictoria.

Qui docet contradictoria, ille potest errare in Scriptura explicanda. Sed papa docet contradictoria. Potest igitur papa errare in Scriptura explicanda.

Maior est extra controuersiam posita, Minorem probo. In Concil. enim Carthag. 3. Can. 47. *Machabæo-*

chabæorum, Iudith, Tobiæ, Ecclesiasticus, & Sapientiæ libri sunt in Canonem relati. Iidem libri in Cōcilio Laodiceno, Canon. 59. *sunt extra Canonem relicti.* At vtrumque concilium est à Concilio sexto generali, & *à Papa approbatum.* C. Quoniam. Distinct. 16. Statuit igitur papa contradictoria. Item in Concilio Sardicensi cōnstitutum est, *vt omnes Episcopi depositi appellent papam Romanum.* Sed in Concilio Nicæno contrarium statutum est. Epist. Concil. Afric. ad papam cœlestinum, quæ est capite 105. *Vtrumq; autem Concilium à Papa approbatum est.* Ergo papa statuit contradictoria. Item papa Pelagius vetat, *ne vllus Episcopus, ne Romanus quidem vniuersalis vocetur.* C. Nullus. Dist. 99. Idem docet Gregorius. Cap. Ecce Distinct. eadem. At omnes papæ, qui post Bonifacium fuerunt, tantùm hoc nomine vocari voluerunt. Sunt autem ista contradictoria. Plura exempla in singulis controuersijs annotabimus, & hæc sufficiunt ad Minoris veritatem ostendendam. Cùm igitur papa cōtradictoria statuat, manifestum est eum quandoque in Scriptura explicanda errare posse. Tertium Argumentum, Quia papa adducit multas falsas & ineptas interpretationes.

Qui multas falsas & ineptas interpretationes adducit, ille potest errare in Script. explicāda. Sed papa Romanus adducit multas falsas & ineptas interpretationes; Ergo papa potest errare in Scriptura explicanda.

Maior est extra controuersiam posita. Minorem probo. Ac primum huius dicti Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum et terrā* secundum papā Rom. vera

 inter-

interpretatio est, *Papam esse Dominum omnium hominum*, Clement. lib. 5. de Maiorit. cap. Vnam sanctam. Item huius dicti, *Deus fecit duo luminaria magna*, Genes. 1, 16. secundum papam Rom. vera expositio est *Pontificalem dignitatem esse quadragesies septies maiorem imperatoria dignitate.* De Maiorit. cap. Solitæ, & ibi Glossa. Item huius dicti Genes. 19. 9. *Ingressus es vt aduena, & iudicas?* secundum papam Romanum vera expositio est, *nullum Clericum subiectum esse ciuili imperio.* 11. Q. 1. C. Nullus. Itē huius dicti. Leuit. 20. 7. *Sancti estote, sicut ego sanctus sum*, secundum papam Romanum, vera expositio est; *ministrum Ecclesiæ nō debere vxorem ducere.* C. Proposuisti, Distinct. 28. Huius item dicti, Psalm. 82. 6. *Vos Dij estis*, secundum papam Rom. vera expositio est, *non debere concilium conuocari sine papæ auctoritate*, Distinctione, 17. C. Synodum. Huius item dicti Psalm. 99. 6. *Moses & Aaron inter Sacerdotes*, secundum papam Romanum vera expositio est, *omnes Ecclesiasticos regi auctoritate Episcopi Rom.* Distinct. 22. C. Sacrosanctam. Huius itē dicti. Esaiæ 10. 3. *Ad quem fugietis pro auxilio; & vbi relinquetis gloriam vestram*, secundum papam Romanum vera expositio est, *Romanam Ecclesiam esse caput & auxilium omnium; & debere omnes iudicare, neque debere a quoquam iudicari*, 9. Q. 3. C. aliorum hominū. Huius item dicti Ierem. 1. 10. *Ecce constitui te hodie super gentes, vt euellas, & destruas*, secundum papam Rō. vera expositio est, *omnes Reges & Monarchas esse vasallos Rom. Pōtificis, atq; ipsum posse extollere quē velit, & reprimere quem velit*, de Maior. Cap. Solitæ. Huius item dicti Matth. 7. 29. *Iesus docebat tanquam habens*

auctoritatem, secundum papam Rom. vera expositio est, *Papas Romanos esse Dominos suorum decretorum, & posse canonibus obedire, vel infringere* 25. Q. 2. C. Ideò permittente. Huius item dicti Matth. 12. 10. *Christus curauit manum Sabbatho*, secundum papam Roman. vera expositio est, *Papas Roman. nullis legibus teneri*, 25. Q. 2. C. ideò permittente. Huius item dicti Mat. 16. 18. *Tu es Petrus*, secundum papam Rom. vera expositio est, *Papam Romanum posse omnes homines iudicare, ipsum autem à nemine iudicari posse*, 9. Q. 3. Cap. Aliorum hominum. Huius item dicti Matth. 17. 27. *Mitte hamum*, secúdum papam Rom. vera expositio est, *Papam omnibus hominibus in iurisdictione praeesse*. 24. Q. 1. C. est aliud. Huius item dicti Matthæi 19. 6. *Quos Deus coniunxit, homo non separet*, secundum papam Rom. vera expositio est, *neminem sine auctoritate Papæ debere ab vna ecclesia in aliam transferri, etiã si id Ecclesiæ vtile sit*, De Translationib. C. quanto personam, & C. Licet. Huius item dicti Luc. 22. 38. *Ecce duo gladij hic*, secundum papam Romanum vera expositio est, *Papam habere in Ecclesia & in Republica iurisdictionem*. De Iudicijs cap. Nouit. Huius item dicti Iohan. 18. 11. *Recondе gladium tuum*, secundum papam Romanum vera expositio est, *Papam habere cœlestis & terrestris imperij potestatem*. Clem. de Maiori. C. Vnam sanctã. Huius item dicti Iohan. 21. 16. *Pasce oues meas*, secundum papam Rom. vera expositio est, *Papam esse supra Imperatorem*, De Maiorit. C. Solitæ. Huius item dicti 1. Cor. 2. 15. *Spiritualis diiudicat oĩa*, secũdum papã Rom. vera expositio est, *oẽs hoĩes subiectos esse imperio papæ, illum autem nullius imperio teneri*,

De Maiorit. C. Vnam Sanctā, Huius itē dicti, Rō. 1. 9. *Testis est mihi Deus, quod indesinenter meminerim vestri*, secundum papam Romanum vera expositio est, *Romanam Ecclesiam esse omnium Ecclesiarum primam, reliquas autem omnes Ecclesias Rom. Sedi subiectas esse.* Distin. 22. C. Sacrosanctā & ibi Glossa. Huius item dicti 1. Cor. 7. 5. *Ne fraudate alius alium, nisi si quid ex consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & precibus, & rursum simul conuenite*, secundum papam Romanum vera expositio est *Sacerdotes non debere vxores ducere*, Distin. 82. C. Proposuisti. Huius item Dicti 1. Pet. 2. 13. *Subiecti estote cuiuis ordinationi humanæ*, secūdū papā verā expositio est, *oēs reges & principes papæ subiectos esse debere*, De Maio. C. oēs. Tales sunt istę expositiones, ex quibus totum pene corpus Canonicū exstructum est. Sunt autem papales. Papa enim eas produxit, quod ex singulis scriptis doceri potest. Vult etiam papa eas ab omnibus obseruari, 25. Q. 1. C. *Nullifas sit C. Violatores. C. Generali. C. omnia. Et Dist. 19. C. Sic omnes C. enimuero.* Papa item retulit eas inter Canonicas Scripturas, *Distinct. 19. C. Si Romanorum. C. Sic omnes. C. in Canonicis.* Deniq; vult papa, vt qui decreta ex huiusmodi expositionib. exstructa violat, grauius puniatur, q̄ qui verbū Dei violat. *Nā qui Dei verbū violat, illi spes veniæ superest, qui verò hæc Decreta violat, ei nulla spes veniæ superest.* Dist. 19. C. Si Romanorū. Et 25. Q. 1. C. Violatores. Ex his manifestū est, eas expositiones esse papales. Porrò ex his & similibus interpretationibus exstructa sunt decreta papalia, & hæ ipsæ interpretationes sunt à papis canonizatæ; sunt igitur Cathedrales. Et quoniam Bel-

larminus

larminus docet, *Papam ex Cathedra docentem non posse errare.* Viderit ipse quomodo illud dogma, & has interpretatiões defendere poßit. Esse enim eas ineptas & falsas, adeò manifestum est, vt non existimem Bellarminum quamuis papæ mancipatum, adeò pudoris oblitum esse, & posteritatis iudicia contemnere, vt has ineptias & mendacia defendere ausit. Sequitur ergo papam in Scriptura explicanda errare posse. Hoc etsi sufficeret, tamen ostendam ad papam non pertinere Scripturarum interpretationem. Est enim Dei & omnis numinis derisor & contemptor. de Translat. Episcop. C. Quanto, & ibi Glossa. ptum est, *Papa habet cœleste arbitrium, naturam rerum immutat, substantialia vnius rei applicando alij, de nullo potest aliquid facere, In his quæ vult, voluntas est ei pro ratione, potest supra ius dispensare,* de concess. præbendæ, C. proposuit in glossa. *obtinet plenitudinẽ potestatis, nemo debet dicere, cur ita facis, dispensat contra V. Test.* Itẽ *dicit se esse Deũ in terris, dominũ dominorum, et regẽ regũ. Negat se debere reprehẽdi, etiãsi mille animas detrudat in Gehennam, contendit se Deum creare, & esse dominum inferorum & superorum, permittit dici, Dominus Deus noster Papa; item tu es omnia & super omnia, & omnis potestas tibi data est in cœlo & in terra,* In Concil. Lateranensi sub Iulio *adsciuit sibi nomen Dei, ac se tanquam Deum à nemine iudicari posse asseruit,* Distinct. 96. C. Satis euidenter. Ex his & similibus colligo, Papam esse omnis numinis risorem atque contemptorem, & ob eam causam interpretationem Scripturarum ad eum non pertinere.

Capvt xi.

Qualis Scripturarum interpres, & iudex esse debeat.

ROmanum papam posse errare, nec esse idoneū interpretem Scripturarum, ostendimus capite superiore, sequitur vt ostendamus, quisnam sit iste supremus Scripturarum interpres, & iudex? Sunt autem quatuor, quæ ab hoc interpretationis iudice requirimus. Primum, *vt non possit errare*. Secundum, *vt ab eo non possit prouocari*. Tertium, *vt non sit partialis*. Quartum, *vt partes ad obedientiã cogere possit*. Quod ad hanc obedientiam attinet, illa est tota Spiritualis, & consistit in voluntate tantùm. Voluntatem autem humanam nullus homo cogere potest. Homo potest hominē cogere, vt taceat, & vt non contra loquatur, vt verò adsensum præbeat, & voluntatem immutet, nulla humana vi efficere potest. Deinde supremus ille iudex debet talis esse, vt omnes ab alijs ad eum prouocare, nemo autem ab eo ad alium prouocare possit. Si non, sequitur ab eo prouocari posse, atque ita non erit supremus. Prætereà iudex hic non debet esse partialis, hoc de omni iudice verum est, 3. *Q.* 5. *C. Quod suspecti.* Multò minus potest aliquis in propria causa iudex esse. 4. Q. 4. C. Nullus. Et si talis est, potest ab eo prouocari, ad eum qui partialis non est. Postremò supremus hic interpretationis iudex, debet oīs erroris expers esse, & nobis cōstare debet, eum errare non posse. Dogmata enim Theologiæ sunt necessaria & immutabiliter vera. At hæc omnia ex istis interpretationibus exstruuntur, Vnde sequitur & ipsas interpretationes necessarias & immutabiliter veras esse debere. Propter quod n.

aliquid

aliquid necessarium & immutabiliter verum est, id ipsum necessarium & immutabiliter verum esse necesse est. Deinde de hac veritate & certitudine nobis constare debet. In omnibus enim Theologiæ dogmatis, præsertim ijs, quæ sunt cognitu necessaria, & citra quorum cognitionē salui fieri non possumus, requiritur πληροφορία, id est, certa quædam persuasio, vel certioratio. Coloss. 2. v. 2. Hæc aūt πληροφορία esse non potest, nisi de dogmatum certitudine & veritate constet. Sequitur ergo ipsas interpretationes non tantū in se, sed etiam nobis immutabiliter veras esse debere. Hinc facile apparet qualem interpretationem requiramus in sacris Scripturis, nempe talem, quæ est certa, immutabiliter vera, & extra omnem controuersiam posita. Nam quemadmodum ipse textus immutabiliter verus & certus esse debet, ita eius interpretationem immutabiliter veram, & certam esse debere asserimus, alioqui non potest esse principium veræ & certæ scientiæ, quemadmodum lib. 1. ostendimus. Ex his ostendi potest, quisnam sit legitimus iudex, & quis non, item quænam sit legitima interpretatio, & quæ non. Quod ad iudicem attinet, negamus Papam esse supremum iudicē. Licet enim Canonistæ eum in Deum transforment, tamen purus putus homo tantùm est, & ob eam causam nullius volūtatem cogere, vel immutare potest. Deinde omnes homines non possunt ad ipsius iudicium prouocare, Concil. Afric. Can. 95. & 105. Et ab ipsius iudicio ad aliorum iudicium prouocare licet. *Donatus enim à Meltiade Episcopo Romano prouocat ad alium iudicem.* August. epist. 162. & prouocatio ista

admit-

admittitur. Præterea papæ interpretatio est sæpè falsa, vt præcedenti capite ostendimus. Potest igitur errare. Postremò papa ipse est, quem adulteratæ & deprauatæ religionis accusamus, vnde apparet eum reum esse. Quomodo potest igitur iudex esse, idque in propria causa? Concludimus ergo papam non esse supremum interpretationum iudicem. Porrò solus Deus potest voluntates nostras ad suam obedientiam cogere. Ille item solus est ipsa veritas, & non potest errare, neque vllius partis studio trahitur, neque vlli homini ab ipsius iudicio prouocare licet. Ille igitur est supremus interpretationis iudex. De interpretatione est idem iudicium. Papæ enim interpretatio est sæpè falsa, vt antè ostendimus, & est idipsum de quo disputamus. Ergo papæ interpretatio authentica, & fidei principium siue regula esse non potest. Si quis pertinaciùs contendit nos illud quod falsum & controuersum est, cuiusmodi est papæ interpretatio, pro principio fidei accipere debere, eum iubeo Anticyram nauigare, vt istic cerebrũ purget, & deinde ex Aristotele discat, principia debere extra controuersiam posita, & immutabiliter vera esse. Si dicis Deum non posse quidem errare, eiusq; interpretationẽ esse veram, & extra omnem controuersiam positã, sed nihil facere ad rem. *Deum enim nihil loqui, neq; quicquam interpretari*; illi responsum velim, Deum olim immediatè suam voluntatẽ vel per visiones, vel per somnia, vel per apparitiones patefecisse. Deinde sanctos homines, Prophetas & Apostolos inspirasse, & per eosdem consignasse suã voluntatem literis, quas Vetus & Nouum Testamentum

tum

tum appellamus, in ijs eum adhuc loqui, & suam voluntatem interpretari. Scripturam igitur esse Dei voluntatem literis consignatam, & quæcunque interpretatio cum Scriptura congruit, eam cum Dei voluntate consentire, & esse bonam, quæcunque verò ab ea discrepat, eam à Dei voluntate dissentire, & non esse bonam. Huius Scripturæ interpretes sunt duo, duæ item interpretationes, vna externa, altera interna. Internus interpres est solus Deus, nemo enim potest nos intùs docere, nisi solus Deus. Ille non potest errare. Externus est duplex. Aliqui immediatè vocati, & habentes testimonium, quod non posint errare, vt Prophetæ & Apostoli. Aliqui non vocati immediatè, neque habentes tale testimonium, vt reliqui Christiani. Illi non possunt errare. Non enim quicquam dixerunt, *nisi quod Spiritus sanctus illis dedit eloqui*. Act. 2.4. & fuerunt talibus critirijs instructi, vt omnes homines plenè persuasi essent, eos non posse errare. Hi talibus critirijs instructi non sunt, & sæpè loquuntur, quæ Sp. sanctus *illis non dat eloqui*. Possunt igitur errare. De interpretatione est idem iudicium. Illa enim interna, quæ à Deo proficiscitur, est vera. Externa autem est duplex. Vna immediatè vocatorum. Altera eorum qui non sunt immediatè vocati. Hæc potest errare, illa non potest. Quod ad iudicium interpretationis attinet, illud est duplex. Vnum summum, alterum inferius. Illud summum est solius Dei. Solus enim De⁹ in extremo & vniuersali illo iudicio omnia, *quæ supra fundamentum exstructa sunt, explorabit & q. per ignem*. Hoc inferius fit in hoc mundo, & est omniũ

Christ.

Christianorum. Sed inter eos sunt certi aliqui gradus. Alij enim, vt antè dixi, sunt immediatè vocati, alij non sunt. Hi in iudicando errare possunt, illi non possunt. Illi pro iudicij norma & regula habent *diuinam inspirationem:* hi *Vetus & Nouum Testamentum* pro iudicij norma & regula habent. Neq; propterea verum est illorum iudicium, quòd ita iudicauerint; sed quia, illi, *secundum diuinam inspirationem*, hi, *secundum verbum scriptum* iudicarunt, ideò verum est illorum iudicium. Porrò cuilibet Christiano licet in quaslibet interpretationes inquirere, modò hoc fiat studio proficiendi, absque omni proteruia, & peruicacia. Exemplum Berhoënses, Act. 17. Atque hæc nostra est sententia de interpretatione, Interprete, & interpretationum iudice.

Caput XII.

Orthodoxa Sententia probatur.

OStendimus Scripturarum interpretes esse duplices, alios externos, alios internos. Internus est solus Deus, Esaiæ 54. 13. *Et erunt omnes edocti à Deo.* Ierem. 31. 33. *Indam legem meã in cordibus eorum.* Act. 16. 14. *Deus aperuit cor Lydiæ.* Hunc doctorem non posse errare extra controuersiam ponimus. Externus doctor est duplex: Alius immediatè vocatus, & habens testimonium, quòd non posit errare, vt Prophetæ & Apostoli. 2. Pet. 1. 21. *Non enim libidine hominum allata est olim Prophetia, sed inspirati à Spiritu sancto loquuti sunt sancti homines.* 2. Timot. 3. 16. *omnis scriptura est diuinitùs inspirata.* Act. 2. 4. *cœperuntq; loqui alijs linguis, prout Sp. sanctus illis dabat eloqui.* Hi non potue-

potuerunt errare. Eiusmodi enim critirijs suam doctrinam probarunt, vt omnes homines intelligerent eos à Deo pfectos esse, & errare nō posse. Alius non vocatus immediatè, neque habens tale testimoniū, vt quilibet minister, qui vel ab ipsis Apostolis institutus est, vel ijs, qui ab Apostolis instituti sunt, successit, Act. 20. 28. *Attendite igitur vos ipsos, & totum gregem, in quo vos Spiritus Sanctus constituit episcopos.* 1. Pet. 5. 2. *Pascite gregem Dei, qui penes vos est, illius inspectioni vacantes.* Hi omnes ratione officij, sunt æquè digni, administrant enim idem officium, idq́; eodem modo, & ex eadem auctoritate, & possunt errare, Sunt enim homines, & sæpè aliquid loquūtur, quod Spiritus sanctus illis non suggerit. Ratione verò circumstantiarum nempē eruditionis, vitæ, ætatis, loci, & similium, alij alijs præferuntur. Doctus enim Episcopus meritò præfertur indocto, pius impio, senex iuueni, & qui in celebri loco viuit, sæpè præfertur ei, qui est in obscuro loco. Sed hæ omnes circumstantiæ nō efficiunt, quin talis episcopus errare posit. Distin. 9. C. negare, docet August. *quemadmodum in ipsis maioribus, ita in suis libris multa esse, quæ iusto iudicio reprehendi possunt.* C. ego solis Distinct. ead. docet Hieronym. *se solis scriptoribus, qui Canonici appellantur, eum honorem tribuere, vt nullum eorum scribendo errasse credat, alios autem dicit se ita legere, vt quantalibet sanctitate, quantaq́; doctrina polleant, non ideo verum putet, quod illi ita senserunt, sed quod ei vel per alios auctores, vel per Canonicas & alias rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Idem docetur C. Quis. & C. Neque. distinct. ead. Si quis regerit papas

Rom.

Rō. his canonib. non cōprehēdi, ille sciat August. loqui *de omnib. scriptoribus*, & Hierō. de *omnib. Episcopis*. Sequitur ergo & papas Rō. his canonib. cōprehendi, vel eos inter scriptores & episcopos censeri nō debere. Deinde in script. explicanda minor est papæ auctoritas, quàm docti & sancti alicuius doctoris, Distinct. 20. C. Decretales. Ibi enim disertè dicitur, *nonnullorum pontificum constitutis, Augustini, Hieronymi & aliorum dicta esse preferenda*. Ex his apparet triplices esse interpretes, primum internum, nempe ipsum Deum, qui errare non potest. Deinde externos, sed eos immediatè vocatos, προφήτας dico. Illi Dei voluntatem explicuerunt secundum *diuinam inspirationem*, id est, prout *Spiritus illis reuelauit, & manifestare iussit*. Huius interpretationis regula erat diuina inspiratio. Quando enim cum illa congruebat, erat recta, & quando ab ea discrepabat, erat mala. Alia nulla causa à priore allegari potest. A posteriore verò fuerunt alia documenta, vt miracula, &c. per quæ demonstrari potuit, *illos à Spiritu sancto actos sic loquutos esse*. Neque tamen negari potest, libros Mosis fuisse propheticæ expositionis regulam, & Vetus Testamentum fuisse regulam expositionis Apostolicæ. Postremò externos & eos non immediatè vocatos: hos voco ὑποφήτας, horum vnica norma & regula est verbum Dei scriptum. Debent enim omnē suam doctrinam, & interpretationem ad normam verbi scripti accommodare. C. noli. & C. ego solis. Distinct. 9. Disertè n. dicit *se non ideò verum putare, quòd ipsi ita senserunt, sed quòd per Canonicos auctores & probabiles rationes persuadere potuerunt*. Sed frustrà hoc hu-

humanis rationibus probo. Ipse Deus ita præcepit 2.Pet. 1.19. *Rectè facitis, quòd attenditis sermoni prophetico*; 1. Timoth. 1. 3. *Denuncia ne diuersam doctrinam doceant*, ad Gal. 1. 9. *Si quis vobis aliud euangelium annunciauerit, anathema sit*. Rom. 12.6. *Prophetemus pro proportione fidei*, hoc est, vt interpretatur Bellarm. *nemo vaticinetur aliquid contra fidem, neq; interpretetur scripturas in aliquem sensum catholicæ* (catholicum non pro *Papistico*, esset enim petitio principij; sed pro eo, quod reuera Catholicum est, accipio) *fidei contrariū*, lib.3.cap.10.de verb. Dei. Cùm igitur omnes ministri verbum Dei doceant, & non debeant aliam doctrinā docere, quàm eam, quæ ab Apostolis & Prophetis tradita est, manifestū est, solum verb. Dei scriptū esse omnis interpretatiōis regulā ac normam; & ob eam causam, quæcunque interpretatio cum verbo Dei congruit, illa est vera, & quæ ab ea discrepat, ea est falsa.

CAPVT. XIII.

Quis sit Iudex in interpretationibus diiudicandis.

QVæ sit legitima interpretatio, ostendimus capite superiore, nunc de iudice interpretationum & doctrinarum disseremus. Supremus iudex omnium interpretationum est Iesus Christus. 1.Cor. 3.11. *Nam fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus, quod si quis ædificet supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, cuiusq; opus manifestum fiet, dies enim declarabit, nam per ignem retegetur, & cuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Hoc est supremum illud iudiciū, quod solus Iesus Christus exer-

cebit. Hic iudex constituit inferiores iudices in terra,& horum aliqui sunt immediatè vocati,& habent testimonium,quod non possint errare,vt Prophetæ & Apostoli, Aliqui non sunt immediatè vocati, vt reliqui Christiani. Illi fuerunt interpretationum & doctrinarum iudices in hac vita,& non potuerunt errare. Hoc ponimus extra controuersiam. Præter Prophetas & Apostolos sunt & alij iudices doctrinarum, & illi duplices, alij publici,alij priuati. Publici, omnes ministri legitimè vocati. Priuati, singuli fideles. Ad hos omnes pertinet iudicium interpretationum in hac vita. Sed nos prius agemus de ministris, deinde de singulis fidelibus, & vt omnis æquiuocatio tollatur, accipio ministrum pro Episcopo: quicunque enim verbum Dei in Ecclesia docet, & eius sacramenta administrat, siue papa, siue presbyter,siue pastor, siue episcopus vocetur, ille mihi minister est. Hos omnes & singulos esse iudices interpretationum manifestũ est. Vult enim Paulus 1. Timoth. 1. 3. *vt videant, ne diuersa doctrina doceatur.* At qui debent cauere ne diuersa doctrina doceatur, illi possunt & debent de doctrinis iudicare. Sed Titus, & per consequens omnes ministri (quod enim Tito præcipitur, hoc omnibus episcopis præcipitur) debent cauere, ne diuersa doctrina doceatur. Ergo omnes & singuli ministri debent, & possunt de doctrina iudicare. Hi omnes ratione officij habent æquè magnam dignitatem,& potestatem, & inter eos nemo superior est. Sunt enim omnes vnius ministerij ministri, ab eodem domino constituti,& propter eundem finem vocati, imò idem officium eodem

modo

modo ex eiusdem auctoritate faciunt. Ratione verò circumstantiarum, nempe ætatis, eruditionis, vitæ, loci, &c. differunt, quemadmodum antè ostēdimus, & historia antiquitatis testatur. Hos omnes vt in interpretando errare posse ostendimus, ita etiam in iudicando errare posse asserimus. Atque hæc de publicis iudicibus. Priuati iudices sunt singuli fideles. Hi etiam habent potestatem iudicandi de doctrinis & interpretationibus. Deus enim ita præcepit.

Quod Deus mandauit, hoc omnibus fidelibus licitum est. Sed Deus mandat, vt singuli & omnes fideles de doctrinis iudicent. Ergo omnibus & singulis fidelibus licet de doctrinis iudicare.

Maior est citra omnem controuersiam vera. Minorē probo. 1. Thess. 5. 21. *omnia probate, quod bonum est retinete.* Certè qui debet omnia probare, & bonū malo relicto tenere, ille habet auctoritatem iudicandi. Sed omnes & singuli fideles, Ergo, &c. Bellarm. respondet Minorem de doctoribus tantùm, non de singulis fidelibus intelligendam esse, idque probat quadam similitudine, *quemadmodum,* inquit, *fit in academijs, ita etiam in ecclesia fieri debet. Sed cum liber aliquis ad academiam examinandus mittitur, illa examinatio non pertinet ad studiosos iuuenes, sed ad Professores istius facultatis. Planè eodem modo, quando doctrina ab Ecclesia indicatur, illud iudicium non pertinet ad singula ecclesiæ membra, sed ad solos pastores.* Sed hoc argumentum ridiculum est. Liber enim iste ab ijs examinari debet, quibus ista cura imposita est. Illa autem cu-

ra nunquam studiosis, nisi ijs valde doctis, sed solis professoribus, vt plurimùm imponitur; aliquando etiam ijs, qui non sunt professores. Cognoscitur autem vel ab ipsa academia, vel ab ijs, quibus academia istam curam imposuit. Aut enim Academia in qualibet facultate certos homines constituit, qui istis examinationibus præsunt, aut illi qui cupiunt in sua inquiri, à certis hominibus illud fieri petunt. Illi igitur vel quos academia cõstituit, vel quos ipsi auctores petunt, debent missum librum examinare. Nam ad eos tantùm iste labor pertinet. Si quis ex alijs se ingerit, ille est πολυπράγμων. Planè eodẽ modo, quoscunq; Deus ad hoc interpretationis iudicium constituit, illi debent de interpretationibus iudicare, vel quod idem est, ad quos ista diiudicatio pertinet, isti debent de interpretationibus iudicare. Hoc inter nos extra cõtrouersiam est. Nunc videndum est, quinam illi sint, quibus Deus hoc mandauit. Nos dicimus omnes & singulos fideles eos esse. Bellarminus dicit, hoc solùm pertinere ad solum papam Romanum, & quos papa ad eam rem constituit. Nos ex Dei verbo nostram sententiam eruemus; ac primum non est dubium, quin ad eos iudiciũ hoc pertineat, quos Paulus fratres vocat; vers. 14. vbi hanc admonitionem orditur, *precamur vos fratres.* Sed omnes fideles sunt eius fratres. Ergo & ad omnes fideles pertinet hoc iudicium. Deinde vers. 12. alloquitur eos, *quibus alij in domino præsunt.* Sed illi non sunt pastores, nam hi alijs præsunt; sed sunt singuli fideles, illis enim alij præsunt. Denique de quibus dicit Apostolus, *quòd debent agnoscere eos, qui præsunt,*

item, *qui debent indesinenter orare, & spiritus non exstinguere*, de ijs etiam dicit, quod debent *omnia probare*. Sed ista omnia dicuntur de singulis fidelibus. Ergo de ijs etiam dicitur, quòd debent omnia probare. Hoc adeò euidens est, vt alia probatione non sit opus. Deinde Spiritum sanctum formare fidem in omnibus fidelibus ipsi etiam Papistæ concedunt. atqui hæc fides coniuncta est cum πληροφορίᾳ τῆς συνέσεως εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ vt ait Paulus ad Col. c. 2. v. 2. Ex hac verò συνέσεως καὶ ἐπιγνώσεως oritur facultas iudicandi, quinimò est ipsum illud interius iudicium Spiritus sancti. Pertinet igitur hoc iudicium necessariò ad omnes fideles, sed vt gradus inspirandi differunt: ita etiam ordines & gradus iudicandi differunt. Quos enim Spiritus ita afflat, vt ijs semper præeat, neq; vnquã deserat, eos non sibi solis, sed vniuersæ ecclesiæ iudices constituit, ita vt eorum doctrinam velit omnis doctrinæ regulam esse: Quos verò non vbique neque semper ita afflat, eos vult ita iudicare, vt iudicij sui rationem ad superiorem istam regulam dirigant. Hinc fit, vt, quia Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt, Paulus in ecclesia certum iudicij ordinem esse velit; & tamen quia singuli fideles à Deo docti sunt, & habent vnctionem, ideò singulis fidelibus in ijs, quæ ad fidei & salutis πληροφορίαν spectant, datũ est de Spiritibus iudicare, an ex Deo sint? Cõstat igitur omnes fideles habere auctoritatem de doctrinis, & interpretationibus iudicandi. Hoc cùm Bellarminus videret, excogitauit aliam responsionem, & dixit, hoc iudicium tantùm pertinere ad res dubias, non ad res

certas. At quis vnquam fando audiuit de rebus minimè dubijs, certis, & minimè controuersis iudiciú institui? Subiungit deinde sola dubia indigere probatione. Accipimus hoc etiam, Addit *librorum prohibitorum doctrinam esse apertè malam, & minimè dubiam; doctrinam autē Conciliorum & paparum esse apertè bonam, & minimè dubiam,* ac proinde hæc omnia non indigere probatione. Argumentum tale,

Quæ sunt manifestè bona & mala, illa non indigent probatione. Sed doctrina librorum prohibitorum est apertè mala, Doctrina autem paparum, & conciliorum est apertè bona. Ergo hæc omnia non indigent probatione.

Respondemus Minorem esse simpliciter falsam, quorundam enim prohibitorum librorum doctrina non est apertè mala, est enim hoc ipsum de quo contendimus. Bellarminus dicit eam esse apertè malam. At omnes Ecclesiæ, quæ sunt in Anglia, Dania, Scotia, Suetia, maxima parte Germaniæ, Heluetiæ, Galliæ, Belgicæ, Poloniæ, Vngariæ, Transyluaniæ dicunt eam doctrinam esse bonam. Deinde hæc doctrina in nullo legitimo concilio vel iudicio falsitatis vllius conuicta est. Ergo vides eam non tam manifestè falsam esse, vt tu affirmas. Doctrinam paparum & conciliorum tu quidem manifestè veram esse dicis, sed iam antè ostendi, multa concilia docuisse contradictoria, & multos papas docuisse ea, quæ sunt hæretica. Ergo non tam manifestè vera est, paparum & conciliorum doctrina, vt tu autumas. Imò Bellarmine, tu petis illud, quod est in principio. Papas

pas enim & concilia non posse errare nondum probasti,& ob eam causam non debuisti hoc tam audacter concludere. Et vt vno verbo finiam,doctrinam protestantium dicis esse malam. At protestantes dicunt eam esse bonam. addunt se nunquam potuisse à papistis obtinere,vt in vllo legitimo vniuersali Europæarum ecclesiarum iudicio suam doctrinam legitima disputatione assererent. Illa sanè tergiuersatio arguit eam, etiam vestro iudicio, non tam malá esse, vt vos dicitis. Si enim tam manifestè mala esset, non ita vobis ab eius defensione metueretis.Paparũ & conciliorum doctrinam tu dicis esse bonam. At protestantes eandem dicunt esse malam.Et licet nullum vniuersale iudicium ea de re institutũ sit,tamen disputatio Oxoniẽsis,Posciacena,Lipsensis, Bernẽsis, & aliæ satis ostendunt, eam in se non tam veram esse,atque vos iactatis, vel certè non tam certam esse,vt vos vultis,sed adhuc esse controuersam. Deinde Bellarmine vos damnatis libros protestantium. At causa nondum est cognita.Lutherus fuit damnatus priusquàm auditus.Hoc an ita in supremo Christi iudicio posśitis defendere,vos videritis. Nostros libros prohibetis, nõ quòd vos probare posśitis eos malos esse; sed ne vestri homines ex ijs oculos aperiant,& vestras hæreses explodant. Vestros libros nõ prohibemus, imò patimur, vt omnes eos legãt,voluant & reuoluãt. Non enim metuendum nobis est, vt quisquam ex nostris per vestros libros, modò vis absit, commoueatur,tanta est vis veritatis. An verò nostris libris aliquis commotus sit, docet Anglia, Scotia,Dania,Suetia,Polonia, Germania, Heluetia,
 Belgica,

Belgica, Hungaria, Transylvania, imò ipsa Italia & Hispania. Sic igitur argumentum retorqueo. Quod dubium & controuersum est, de eo habent omnes fideles iudicandi potestatem. Sed quorundam paparum & conciliorũ doctrina dubia & controuersa est. Ergo de ea habent omnes protestantes iudicandi potestatem. Sed instat Bellarminus, & docet omnium conciliorum & paparum doctrinam esse manifestè bonam. Quia Paulus concilij Hierosolymitani acta iussit *non probari, sed obseruari.* Argum. tale,

Doctrina concilij Hierosolymitani est manifestè bona. Ergo omnis omnium conciliorum & paparum doctrina est manifestè bona.

Hoc argumentum Bellarmine refutatione indignum est. Si ego cùm in schola dialecticam puer discerem, ita disputassem, vapulassem equidem. Perinde enim est, ac si dicas. Aliquod animal est rationale. Ergo omne animal est rationale. Pueri dicunt à specie ad genus non valere consequentiam. Secunda probatio Minoris est 1. Iohann. 4. 1. *Nolite Spiritus exstinguere, sed probate Spiritus an ex Deo sint.*

Qui debent inter Spiritus distinguere & discernere quinam ex Deo sint, illi habent potestatem iudicandi de Spiritibus, id est, de doctoribus, & de doctrina. Nam per doctrinam distinguuntur. Sed singuli fideles debent distinguere inter Spiritus & discernere, quinam Spiritus ex Deo sint. Ergo singuli fideles habent istam iudicandi potestatem.

Tertia Minoris probatio Iohan. 7. 17. *Si quis voluerit eius volũtatem exequi, cognoscet de doctrina vtrum ex Deo sit, an ego ex meipso loquar.* Argumentum tale,

Qui

Qui debent cognoſcere de doctrina, an ex Deo ſit, illi habent auctoritatem iudicandi de doctrina. Sed omnes fideles debent cognoſcere de doctrina an ex Deo ſit, Ergo omnes fideles habent auctoritatem, &c.

Maior eſt vera extra controuerſiam. Minorem probo. Nam quicunque debent Dei voluntatem exequi, illi debent de doctrina iudicare. At non tantùm miniſtri, ſed omnes & ſinguli fideles debēt eius voluntatem exequi. Ergo non tantùm miniſtri, ſed omnes & ſinguli fideles debent de doctrina eius iudicare. Bellarminus conceſſa Minore, reſpondet ad Maiorem, & dicit Chriſtum non velle omnes & ſingulos fideles omnia & ſingula Scripturarum loca intelligere debere, ſed tantùm aſſerere, *viros bonos carere impedimentis quibuſdam, propter quæ alij non poſſunt fidei veritatē intelligere*, quod notandū eſt, hoc n. illi extorquet veritas, vt fateatur viros pios poſſe fidei veritatē intelligere, quod ſi verū eſt, poſſunt etiā de ea rectè iudicare. Deinde quod ad illud attinet, ſunt certi grad⁹ in iudicio. Quā ob causā ſi putat neminē poſſe de omnib. perfectè iudicare, niſi omnia perfectè intelligat, aſſentior. Sed tum neque papa Romanus poteſt de omnibus iudicare. Nam & ille non omnia ſcripturarum loca perfectè intelligit. Sēper enim valet illud Auguſtini, *Plura neſcimus quàm ſcimus in ſacris literis*. Si autem exiſtimat neminem quicq̄ vllo modo iudicare poſſe, niſi oīa perfectè intelligat, errat. Satis enim eſt, ſi hoc intelligit, quod iudicat, etiamſi omnia non intelligat. Alioqui nullus homo poſſet iudicare. Sunt enim multa, quæ omnes homines ignorant; Bellarminus probat ſuam

sententiā ex Ioh. 5. *quomodo vos potestis credere quia gloriam quæritis ab inuicem.* Et Luc. 16. *Audiebant hæc oīa Pharisæi qui erant auari, & deridebant eum*, & putat hæc duo habere eundem sensum cum hoc loco, *Cognoscet de doctrina an ex Deo sit.* Vbi ego non iudicium, quod nullum est, sed mentem desidero. Sanè Bellarmine si ita iudicas, non miror eos, qui à te tuique similibus instituuntur, ad veritatem non peruenire. Nam quid ista duo habent simile, *Pharisæi propter auaritiam non poterant credere*, &, *cupientes patris voluntatem facere, debēt de Christi doctrina iudicare, an ex Deo sit.* Item, *Iudæi propter φιλαυτίαν siue ambitionem non poterant credere*, &; *cupientes patris voluntatem facere, debent de doctrina cognoscere, an ex Deo sit*, non necesse est vt hæc refutentur, sola enim notatione refutantur, neque tamen nego argumentum, per quod Christus suam doctrinam examinari vult, habere aliquam cū dicto Iohannis similitudinem. Quemadmodum n. Iudæi non poterant credere, quia propriam gloriam quærebant, ita Christus potuisset iudicari ex Deo non esse, si propriam & non patris gloriam quæsiuisset. Doctor enim & discipulus sunt correlatiua. Hinc accidit vt Doctor, qui nō eius, à quo mittitur, sed suam gloriam quærit, fidem non inueniat. Planè eodem modo discipulus, qui propriam gloriam quærit, doctrinæ à doctore traditæ fidem non adhibet. Hæc licet ita se habeant, tamen causam Bellarm. non iuuant. Est enim contra eum adhuc euidens argumentum.

Nam qui potest ex doctrina cognoscere, an aliquis suam, an verò mittentis gloriam quærat, ille

ille poteſt iudicare de doctrina. Sed ſinguli fideles poſſunt ex doctrina cognoſcere, an aliquis ſuam, an verò mittentis gloriam quærat. Ergo ſinguli fideles poſſunt de doctrina iudicare.

Maior eſt manifeſta, Minor eſt in textu. Ergo cõcluſio non poteſt non vera eſſe. Secundum Argumentum à proprietate fidelium, Iohan. 10. 27. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me.* Item Iohan, 10. *Alterum autem nequaquam ſequentur, ſed fugient ab eo, quia non norunt vocem alienorum.*

Qui audiunt vocem Domini, & eam norunt, alienorum autem vocem neque audiunt, neque norunt, item qui ſequuntur Domini vocem, alienorum verò vocem non ſequuntur, ſed fugiunt, illi poſſunt iudicare de doctrina, imò iudicant de doctrina. Sed ſinguli fideles, &c. Ergo &c.

Bellarminus conceſſa Minore reſpondet ad Maiorem, & dicit dominum loqui *de prædeſtinatis, qui ante mortem ſequuntur vocem Domini.* Hoc nos concedimus. Nemo enim eſt ouis Chriſti, qui non eſt prædeſtinatus ad vitam æternam. Dicit enim verſ. 18. *Quòd nemo tollet ouem ab eo.* Sed hos prædeſtinatos dicimus iudicare de doctrina. Nemo enim poteſt paſtoris doctrinam ſequi, & alieni doctrinam fugere, niſi poſſit vnius doctrinam ab alterius doctrina diſtinguere. At hoc nihil aliud eſt, quàm iudicare de doctrina. Hoc cùm videret Bellarminus, excogitauit aliam reſponſionem, nempè Chriſtum *loqui multis modis cum ouib⁹, videlicet per ſcripturã, vel per arcanam*

canam inspirationem, vel denique per os vicariorum. Hoc agnoſcimus,& nunc præcipuè loquimur de ea voce, quæ fit per *os vicariorum*, id eſt, per miniſtros. Sed hîc in idem recidis. Vicarij enim Chriſti viua voce Chriſti oues alloquuntur, & vicarij Antichriſti eaſdem viua voce alloquuntur. At oues ſpreta voce Antichriſti, vel vicariorum Antichriſti, ſequuntur vocem Chriſti, vel vicariorum Chriſti. Ergo iudicant de vtriuſque doctrina.

Qui enim ſpreta vicariorum Antichriſti voce, ſequuntur vocem vicariorum Chriſti, illi iudicant de Chriſti & Antichriſti doctrina. Sed oues Chriſti. Ergo.

Et quoniam Bellarmine in hanc controuerſiam incidimus, expende num Chriſtus & eius Apoſtoli ita vnquam docuerint per bella ciuilia, per cædes, proditiones, flammas, vaſtationes, direptiones, & incendia, vt papa Romanus his annis in Germania, Gallia, Belgica, Scotia & Anglia docuit. Deinde vide quinam ex omnibus Italis, Siculis, & Hiſpanis eſſet papæ vocem ſequuturus, ſi vis abeſſet. Per vim autem plebem cogere, an Apoſtolicum ſit, potes diſcere ex 2. Corinthior. 1. 24. ὀ κυριεύομεν τῆς πίστεως ὑμῶν. Sed hæc hactenus. Ille viderit quam rationem ſit Ieſu Chriſto redditurus. Simile eſt 1. Cor. 2. 15. *Spiritualis iudicat omnia.*

Qui omnia iudicat, iudicat de doctrina. Sed Spiritualis iudicat omnia. Ergo iudicat de doctrina.

Bellarminus primùm reſpondet ad Maiorem, & dicit *hominem Spiritualem non poſſe iudicare de doctrina.*

Primò

Primò quia nos non sumus certi, quinā sint isti Spirituales. Respondeo, hoc de eo iudicio verum est, cui alijs standum est. Alij enim non possunt alterius iudicio stare, nisi certi sint eum benè iudicare, & nō posse errare. Sed de iudicio singulorum hoc verum non est. Nam vt ego non teneor Bellarmini iudicio stare, ita neque ille meo stare tenetur. Possum enim ego pro me iudicare, quid sit mihi amplectendum. Sed non possum alium in meam sententiam cogere, atque hanc potestatem habent singuli spirituales: vel vt apertius loquar, Deus dedit cuilibet fideli non tantùm Spiritum intelligendi, sed etiam spiritum discernendi falsam doctrinam à vera. Sed quemadmodum singuli fideles possunt veram doctrinam à falsa distinguere, ita tamen non possunt alios in suā sententiam per vim cogere, neque hoc licitum est; sed si possunt hoc iustis rationibus persuadere, debēt hoc facere, neque est necesse, vt ego certus sim de alterius spiritu, modò de meo certus sim, hoc satis est. Deinde si ille non potest iudicare, de quo alij non sunt certi, an sit spiritualis, tum neque papa, neque concilium potest iudicare, nemo enim certus est an papa sit spiritualis: imò non esse papam spiritualem, testatur vita ipsius, docet doctrina, nouit totus mundus. Sed neque concilijs (loquor de papalibus concilijs) vrgeri possumus. Ea enim esse papæ similia, ita notum est, vt negari non possit. Deinde dicit Bellarminus eos, qui sunt maximè spirituales, nō semper illustrari. vt 4. Reg. 4. *Elysæus dicit, Dominus hoc celauit à me, & non indicauit mihi.* Ergo non posse iudicare de doctrina.

Qui

Qui quædam ignorat, ille non poteſt iudicare de doctrina. Sed maximè Spirituales quædam ignorant, Ergo maximè Spirituales non poſſunt iudicare de doctrina.

Reſpondeo, Maiorem non eſſe vniuerſaliter verã. In vniuerſali enim iudice, qualis eſt Chriſtus, requiritur omniſcientia. Iudicabit enim vniuerſum mundum, & omnia occulta reuelabit. Sed in his iudicibus inferioribus, hæc omniſcientia non requirit. Satis eſt, ſi homo ſpiritualis intelligit illud, quod iudicat, etiãſi multa alia non intelligat. Deinde ſi Maior eſt vera, Bellarmine, tum ſequitur neque papam, neque cõcilium poſſe de doctrina iudicare. Papa n. eſt ſæpè indoctus, & concilia ſæpè ex indoctis (loquor de papalibus concilijs) monachis conflantur, vt nunc non dicam papam & concilia ſibi ipſis ſæpè contradicere. Deinde Bellarminus reſpondet ad Minorem, & dicit τὸ OMNIA non propriè accipi. Eſſe enim multa, quæ etiam ſanctos patres, qui maximè ſunt ſpirituales, fugiunt. Hoc ex nobis nemo negat. Imò Hemmingius, Beza, Caluinus & alij dicunt hoc *ſecundum ſubiectam materiam accipi debere.* Hinc tamen non ſequitur Spiritualem non poſſe iudicare de doctrina. Licet enim non omnia intelligat, doctrinam tamen intelligit, & de ea loquitur Paulus. Ergo eã à falſa doctrina diſtinguere poteſt. Tertium Argum. à Praxi veteris Eccleſię, Act 17. 11. *Beroeënſes quotidiè ſcrutabãtur Script. an hæc ita ſe haberet.*

Ad quos in primitiua eccleſia pertinebat iudiciũ doctrinarum, ad eos illud adhuc pertinet. Sed in primitiua eccleſia illud iudicium pertinebat

ad ſingulos fideles. Ergo ſinguli fideles adhuc de doctrinis iudicare debent.

Bellar. conceſſa Minore reſpondet ad Maiorẽ, v.g. *etſi Paulus erat Apoſtolus, & non poterat errare, tamẽ eius doctrina debebat examinari, neutrum n. conſtabat.* Aſſentior. De quo n. non conſtat, an rectè doceat, & an errare poſsit, eius doctrina examinanda eſt. Et quoniã Berhoënſibus de Paulo & eius doctrina nihil cõſtabat, ideò rectè fecerũt, quòd eius doctrinã ad S. Scripturã examinauerint. Planè eodẽ modo nobis cõſtat papã non eſſe Apoſtolũ, cõſtat itẽ papã poſſe errare, imò errare, & erraſſe in multis. Ergo in papę doctrinã oẽs fideles inquirere, eamq; examinare debẽt. Nã ſi eius doctrina explorãda eſt, de quo nõ cõſtat, ꝙ ſit Apoſtolꝰ, & ꝙ nõ poſsit errare, tũ multò magis eius doctrina explorãda eſt, quẽ cõſtat nõ eſſe Apoſt. quẽ etiã errare, & ſæpè erraſſe certũ eſt. Sed papa non eſt Apoſtolꝰ. Papa itẽ ſępè errauit, & in multis adhuc errat. Ergo in eius doctrinã cuilibet fideli inquirere licet. Maior eſt vera, Minorẽ probabo in ſingulis cõtrouerſijs. Hoc cùm videret Bellar. concedit nos in Papæ & concilij Trid. doctrinã inqrere poſſe, *modò fiat cũ ſtudio quærendi veritatẽ.* At nos nullo alio ſtudio inqrimus, imò ſi quis tumultuãdi, aut cõuitiãdi ſtudio inqrit, eũ auerſamur. Verùm Bellar. quoniã nos cũ ſincero veritatis inueſtigãdæ ſtudio in concilium Tridentinum inquirimus, & in eo nullã veritatẽ inuenimus, ideò illud tanquam humanum commentum cum bona pace papæ, Dei verbo, in quo veritatem inuenimus, poſtponimus, neque vrgemus vos, vt idem faciatis, tantùm petimus, ne à veritate in Dei

verbo inuenta ad humana mendacia in concil. Tridentino stabilita, contra conscientiam vrgeamur. Et ob eam causam his 30. annis tot cędes, flammas, incēdia, vastationes, ꝓditiones, latrocinia, direptiones, & exilia sustinuimus. Domine Iesu quando exurges, & iudicabis ecclesiam tuam? Deinde Bellarmine Berhoēnses ideò receperunt Pauli doctrinam, quòd videbant eam in scripturis traditam esse: docete vos nihil aliud, quàm quod nos in scripturis inuenire possumus, & eadem reuerentia recipiemus vestram doctrinam, qua Berhoēnses Pauli doctrinam receperunt. Si verò aliud docebitis, quàm quod in Dei verbo traditum est, & in eo perseuerabitis, tum saltem patimini, vt doctrinam Iesu Christi vestris commentis præferamus. Quartum argum. Quia papa non est supra Scripturam.

Si quælibet Scripturæ interpretatio est vera propter papæ iudicium, tum papa est ante & supra Scripturæ interpretationem. Sed hoc non, Ergo neque illud.

Connexum Maioris est firmum. Propter quod enim aliquid verum est, hoc est eo, propter quod verum est, inferius & posterius. Inferius. Minor n. est eius dignitas. quod per aliud tale est, quàm illius, quod per se tale est. Posterius. Effectum enim natura causam sequitur. Minorem vrgent ipsi papistæ. Vnde apparet papæ iudicium esse vnicam & solam causam, propter quam omnis interpretatio, vel vera, vel falsa est. Quod igitur ex Dei verbo interpretamur, mundum à Deo esse conditum, Christum esse Dei filium, Hęc ideò vera sunt, quia papa ita censuit.

Si

Si papa ita non cenſuiſſet, vera nõ eſſent. Cauſa enim poſita, propter quam res eſt, effectum ponitur, & eadem cauſa ablata, effectum tollitur. Poſita igitur hac papæ interpretatione ad hunc locum, *Deus fecit duo luminaria*, *Papa eſt quadragies ſepties maior, quam Imperator Romanus.* Poſita inquam hac papæ interpretatione, & volũtate, illud verum eſt, & eadem interpretatione ablata, illud falſum eſt. Papæ igitur interpretatio & voluntas eſt omnis veritatis regula. Hoc eſt Bellarmine papam in Deum transformare. Nam ſolus Deus eſt ille, cuius voluntas eſt veritatis regula. Quicquid enim Deus vult, hoc verum eſt, & propterea verum eſt, quia Deus id vult. Sed papa eſt ille, cuius voluntas eſt veritatis regula. Quamcũque n. interpretationẽ papa vult, illa eſt vera, & quam non vult, illa non eſt vera. Ergo papa eſt Deus. Hoc quidem vos negatis Bellarmine, et cùm vobis eiuſmodi ex Canoniſtarum libris exprobramus, dicitis vos ipſos illa ridere. At ſi hoc ita eſt, quare non anathematizatis illos libros, in quibus illa ſcripta ſunt? Et quare tribuitis illa papæ, ex quibus illa neceſſariò colliguntur? Deinde hoc totum pugnat cum praxi primitiuæ eccleſiæ. Berhoënſes enim Act. 17. 11. non ideò amplectebantur doctrinam Pauli, quòd papa Romanus ita cenſuiſſet, tum enim nullus erat papa Romanus. *Sed quia videbant illam doctrinam congruere cum Scriptura, quam quotidie ſcrutabãtur.* Vnde ſic colligo, quod tẽpore Apoſtolorũ nõ fuit cauſa & regula veræ interp̃tationis, illud & nũc cauſa & regula veræ interp̃tatiõis eſſe nõ poteſt. Sed tẽpore Apoſt. papæ iudiciũ non erat veræ interpretatiõis cauſa & regula.

Ergo neq; nūc esse potest. Deindè sola script. vel eius analogia fuit eo tēpore causa & regula veræ interp̄tationis. Berhoēnses n. ideò recipiebant interpretationē Pauli, quòd videbāt eam cum script. congruere. Prætereà quod in controuersia positū, imò quod impium & falsum est, illud non potest certæ & indubitatæ doctrinæ causa & regula esse. Sed papæ iudicium est in controuersia positum, & esse idipsum falsum & impium probabimus suo loco. Ergo certum est, illud indubitatæ & certæ doctrinæ causam & regulam esse non posse, & ob eam causam asserere papæ iudicium, quod nos falsum & impium esse scimus, esse piæ & veræ doctrinæ causam & regulam, perinde est, ac si quis contendat, tenebras esse lucis regulam. Frustrà igitur illud quod in principio est, pro principio allegatur. Bellarminus respondet, *Papam iudicare de Scripturis, esse æquiuocum.* Posse enim de *Scriptura*, & de *eius interpretatione* intelligi. De Scriptura, videlicet Scripturam esse veram propter papæ iudicium. De interpretatione, videlicet Interpretationem Scripturæ esse veram propter papæ iudicium. Illud dicit esse falsum, hoc verum. At Bellarmine, lib. 1. docuisti *libros esse Canonicos, quòd Papa ita censuisset.* Sed librum esse Canonicum, & librum esse verum, idem est. Si igitur liber non est verus, vel falsus propter papæ iudicium, sequitur eum neq; canonicum, neque non canonicum esse, propter papę iudiciū. Deinde dicere librū esse verū, ꝓpter papę iudiciū, & libri interp̄tationē veram esse ꝓpter papę iudiciū, idē est. Liber n. interpretat' nihil aliud est, q̄ liber explicat', vel liber fusiùs & magis ꝑspicuè enarratus.

ratus. Porrò librũ nõ intelligimus membranã & apices, q̃ in libro sunt, sed sensũ istis apicibus cõprehensũ. Sed interp̃tatio libri nihil aliud est, q̃ sensus explicatio, & liber interpretatus est sensus explicatus. An igitur ille sensus explicatus verus sit propter papæ iudicium, an verò sensus ille non explicatus verus sit propter papæ iudicium, ferè idem est. Deinde quod dicis, verum non est. Non enim liber aliquis ideò verus est, quòd à papa approbatus est, sed quia *diuinitùs inspiratus est,* ideò verus est. Planè eodem modo sensus libri, vel eius interpretatio non ideò vera est, quia à papa approbata est, sed quia cum verbo scripto κατ' ἀναλογίαν congruit, ideò vera est. Hoc euidenter ex Act. 17. 11. colligi potest, de papa ibi nulla mentio. Quod autem dicis papam hoc modo non esse supra scripturam, sed *supra intelligentiam priuatorum,* hoc primum est in principio, Scis enim & hoc inter nos controuersum esse, & ob eam causam pro principio allegari non posse. Deinde est contra Dei verbum 2. Cor. 1. 24. *non quòd dominemur fidei vestræ,* 1. Pet. 5. 3. *Neque vt dominantes Cleris.* Hîc addis Scripturam non *capere aliquod robur à papa iudicio, neque esse veriorẽ, vel certiorẽ propter papæ iudicium.* Quorsum igitur hæc tua disputatio? Si verum est, quod dicis, tum omnia ista, quæcunq; his 4. libris de principijs disputasti, induc vna litura. Libro enim 1. cõtendisti libros Apocryphos propter papæ iudicium esse Canonicos. Libro 2. affirmasti, Vulgatam versionem propter papæ iudicium esse authenticam. Hoc libro somnias, istam interpretationem esse veram, quæ papæ probatur. Libro quarto asseris,

omnes consuetudines Romanas propter papæ approbationem esse Apostolicas, & regulam fidei. Hęc omnia inducis vna litura, cùm asseris scripturam nō accipere robur à papa, neque propter papæ iudiciū fieri vel veriorem, vel certiorem. Postremò cùm vos explicationem Scripturæ assertis, quæ congruit cum sacris literis, eam nos cum summa reuerentia suscipimus, neque de ea contendimus, tantùm asserimus eam non propter papæ iudicium, vt vos vultis, sed propter analogiā cum scriptura, veram esse. Cùm verò assertis interpretationem, quæ ex diametro cū scriptura pugnat, eam nos repudiamus etiāsi omnes papæ eam approbassent. Quoniam igitur papæ iudicium inter nos controuersum est, manifestum est illud authenticæ doctrinæ regulam esse non posse.

Quintum argumentum. Quia veritas authenticæ interpretationis non pendet ab homine.

Quod non pendet ab homine, hoc non pendet à papa Romano. Sed veritas authenticæ interpretationis S. literarum non pendet ab homine. Ergo non pendet à papa Rom.

Maior est manifesta. Minorem probo. Nostra n. fides nititur Dei verbo, & recta eius interpretatione. At sequeretur nostram fidem ab homine pendere, si veritas authenticę interpretationis ab homine penderet. Sed hoc fieri non potest, fides enim nostra est immota. Ac proinde mobili fundamento inniti non potest. Omnis autem homo mobilis est, & mendax. Ergo fides ab eo pendere non potest. Sed ex quo consequēs non pendet, ab eo & eius antecedens pendere non potest. Fides autem est authé-

ticæ veritatis consequens. Quam ob causam si fides non pendet ab homine, sequitur & authenticam veritatem ab homine non pendere. Bellarminus cōcessa Minore respondet ad Maiorem, & dicit, *Papam non esse simpliciter hominem, & eius verbum non esse simpliciter verbum hominis, & erroribus obnoxium, sed verbum Dei.* Et vt res esset illustrior, dicit *Papæ ex Cathedra loquentis verbum non esse errori obnoxium.* Pudet me Bellarmine harum principij petitionum. Ita n. ludere in re seria, imò in Dei verbo, graue crimen esse existimo. Sed ad rem. Existimo Bellarminum loqui de Cathedra Petri, & cathedram Petri accipere pro doctrina Petri. Sensus igitur est, quando papa doctrinam Petri docet, tum non errat. Quis hoc vnquam negauit? Sed papa nunc non docet doctrinam Petri, Ergo non docet ex cathedra Petri.

Qui non errat quando docet doctrinam Petri, ille nunquam errat, ne tum quidem, cùm docet contra doctrinam Petri. At papa non errat cū docet doctrinam Petri. Ergo papa nunquam errat, ne tum quidem, cùm docet contra doctrinam Petri.

Planè hoc idem est, ac si dicas, cùm Bellarminus ieiunat, tum nō edit, Ergo nunq̃ edit, ne tum quidē, cùm vel cœnat, vel prandet. Item, cùm Bellarm. dormit, tum non scribit, Ergo nunq̃ scribit, ne tum quidē cùm veritatem suo calamo perstringit. Equidem tibi probandum non erat, papam non errare, quando docet doctrinam Petri. Sed probandum tibi erat, omnem doctrinam papæ esse doctrinam Petri. Illud enim concedimus, hoc negamus, & suo loco

 osten-

ostendemus, papam non *Petri*, sed Dæmoniorum doctrinam aliquando tradere. Bellarminus probat papam ex cathedra *Petri* docentem non errare, scilicet probat hoc ipsum, quod vltrò cōcedimus. Iam enim fassi sumus, papam non errare, quando docet ex cathedra *Petri*, sed negamus eū semper ex cathedra *Petri* docere. Excutiamus tamen etiam hoc argumentum.

Quod Deus in Scripturis reuelauit, hoc est verū. Sed hoc, nempè papam doctrinam *Petri* docētem non errare tradit Deus in Scripturis, Ergo est verum.

Concedimus totum hoc argumentum, sed addimus hoc non de solo papa, sed de quolibet homine verum esse. Quicunque enim docet doctrinam *Petri*, ille non errat. Deinde si ille non errat, qui docet ex cathedra *Petri*, sequitur eum errare, qui non docet ex cathedra *Petri*, Nam si ille non errat, qui docet doctrinam *Petri*, tum ille sane errat, qui non docet doctrinam *Petri*. Vnde apparet non papam, sed cathedram *Petri*, id est, doctrinam *Petri* esse normā & regulam veræ interpretationis. At hoc volumus. *Probate* igitur vestram doctrinam congruere cum cathedra *Petri*, id est, doctrina *Petri*, & recipiemus eam. Si verò non congruit cum cathedra *Petri*, tum patimini, vt eam cum bona vestra pace *Petri* cathedrę postponamus. Bellarm. Minorem, quam vltrò concedimus, probat. Act. 15. *visum est Spiritui Sancto & nobis*. Et Luc. 22. *rogaui pro te, ne deficiat fides tua*. Amplectimur has probationes, sed nihil iuuant causam Bellarmini.

Quicquid

Quicquid enim Spiritui Sancto videtur, hoc est verum. Ergo si papæ aliquid videtur, quod Spiritui Sancto videtur, hoc verum est.

Sed hinc non sequitur, verum esse quicquid papæ videtur. Nam illi sæpè aliquid videtur, quod Sp. sancto non videtur. Deinde si illud verum est, quod Sp. sancto videtur, tum illud verum non est, quod Spiritui sancto non videtur. Ac proinde non iudicium papæ, sed iudicium Spiritus sancti est regula & norma authenticæ interpretationis, & ob eam causã, cùm papæ interpretatio cum Spiritu sancto cõgruit, tum eam amplectimur; cùm verò cum Spiritus sancti iudicio non congruit, tum eam reijcimus. Vt autem intelligamus, quænam sit mens Spiritus sancti, illa est nobis in S. scriptura expressa. Ergo quæ interpretatio cum S. scriptura congruit, ea est proba, & quæ cum ea non congruit, ea est mala. Altera probatio Minoris est, quod *Christus rogauit pro Petro, ne eius fides deficeret.* Sed hoc non pertinet ad papam Romanum. Multi enim papæ fuerunt, quorum fides defecit, hoc probauimus antè. Interea tamen nego multos papas esse, quorum fides deficere non potest. Multi enim sunt, qui fidem prorsus nullam habent, neque vnquam habuerunt. Docent hoc Barns, Balæus, Platina, & alij papistici doctores in illorum vitis. Horum equidem fides deficere non potest. Nam quod non est, illud deficere non potest. Hìc Bellarminus inuehitur in hæreticos, & dicit *eorum fidem*, id est, *doctrinam niti iudicio proprij Spiritus.* Si hæreticos vocat protestantes, malè facit. Immeritò enim eos hæreticos vocat, quos ex omnibus pa-

pistis hactenus nemo hæreseos conuincere potuit. Et quod dicit, verum non est. Illorum enim doctrina non nititur iudicio proprij, vel priuati Spiritus, neque hoc vnquam in illorum libris legit Bellarminus. Sed eorum fides nititur iudicio illius Spiritus, qui in Sacris Scripturis loquitur. At ille non est priuatus, vel proprius alicuius hominis Spiritus, sed est Spiritus Dei. Vel est iste Spiritus, quo Prophetæ & Apostoli acti sunt, cùm verbum Dei literis cõsignarent. Secundum hunc Spiritum verbum Dei intelligi debet. Debet enim eodem Spiritu intelligi, quo scriptum est. Porrò priuatus vel proprius alicuius hominis Spiritus est, qui cum verbo Dei pugnat, neque refert an multi an pauci, an priuati an publici homines eum habeant. Quicunque enim Spiritus non congruit cum ipso Dei verbo, ille est priuatus Spiritus. Sed Spiritus papæ Romani in multis non congruit cum Dei verbo. Ergo Spiritus papæ Romani in multis est priuatus Spiritus. Minorem nos in singulis controuersijs probabimus. Maior est certa. Et ob eam causam quando papistarum interpretationes congruunt cum sacra Scriptura, recipimus eas, quando verò cum Script. non congruũt, tũ eas vt à priuato Spiritu profectas Scripturæ postponimus. Hæc cùm ita se habeant, frustrà posthac nobiscum disputabis de Scripturarum interpretatione à papæ auctoritate. Non enim quia cum papa, sed quia cum Spiritu sancto, qui in Scripturis loquitur, vel quia cum scriptura, per quam Spiritus sanctus loquitur, congruit, ideò vera est. Et quia cum Spiritu, qui in Scripturis loquitur, vel quia cum scri-

ptura

ptura, per quam Spiritus loquitur, non congruit, ideò falsa est. Sola igitur scripturarum congruentia est regula omnis authenticæ interpretationis, & solus Spiritus est supremus iudex omnis interpretatiōis, & hic iudex errare non potest. Oēs fideles sunt iudices inferiores. Atque hi partim immediatè vocati, partim non vocati immediatè. Illi non possunt errare. Hi errant, quādo interpretantur contra scripturam, vel quando loquuntur contra mentem supremi iudicis, quæ in scripturis expressa est. Non autem errant, quando interpretantur secundū scripturam, vel quando loquuntur ex ore supremi iudicis. Sextum Argumentum. *Quia omnis Prophetia debet esse κατ' ἀναλογίαν τῆς πίστεως*, Rom. 12.6.

Ad quod quælibet interpretatio congruere debet, illud est norma & regula authenticę interpretationis. Sed analogia fidei, id est, doctrina sacris literis comprehensa est illud, ad quod quælibet interpretatio congruere debet. Ergo analogia fidei, id est, doctrina sacris literis comprehensa est norma, & regula omnis interpretationis.

Bellarminus videtur hoc totum argumentū concedere, *sed addit neminem magis fide abundare, quàm papam, ac proinde Papam esse normam & regulam veritatis.* Sed hoc totum est controuersum, & nihil facit ad rem. Hoc videns Bellarminus affert aliam solutionem, & concessa Maiore negat Minorem, ac dicit *Prophetiam hic non accipi pro interpretatione, sed pro facultate prædicendi futura.* Sed hoc non est verū. Paulus enim differit hoc loco, de muneribus ordi-

narijs & perpetuis. Facultas enim prædicendi futura, neque ordinaria est, neque perpetua. Deinde prophetia hîc sumitur eodem modo, atque Corinth. 14. 29. *Prophetæ autem duo*, &c. Item, *potestis sigillatim omnes prophetare*. At isthic accipitur pro dono interpretandi. Hoc cùm videret Bellarminus, affert aliam solutionem, & concedit prophetiam hîc accipi pro dono interpretandi, sed negat *proportionem fidei* debere coniungi cum *habentes*, sed debere coniungi cũ *administremus*, vt sit sensus, *prophetiam debere administrari secundum proportionem fidei, ita vt nemo afferat interpretationem catholicæ fidei contrariam*. In qua explicatione si catholicum accipit pro papistico, tum accipit illud, quod est in principio. Doctrina enim papistica à nobis accusatur hæreseos, & est illud, de quo controuertimus, quam ob causam norma & regula veritatis esse non potest. Si autem catholicum accipit pro eo, quod reuera catholicum est, hoc est, pro doctrina sacris literis comprehensa, tum illa sententia est vera, & si Bellarminus ita ex animo loquitur, tum inter nos de hac re non est controuersia. Doctrina enim sacris literis comprehensa est regula & norma omnis interpretationis. Sanè textus legis est regula Glossæ, & quatenus Glossa cum eo congruit, aut discrepat, eatenus est bona, vel mala. Planè eodem modo verbum Dei scriptum est regula omnis interpretationis, & quatenus hæc cum eo congruit, vel ab eo discrepat, eatenus est bona, vel mala. Septimum Argumentum. Quia *aliud Euangelium, quàm quod euangelizatum est, afferri non debet*, ad Galatas 1. 8.

Qui

Qui aliud Euangelium affert, quàm id quod Paulus euangelizauit, id eſt, quod ſ. literis compͣhenſum eſt, ille eſt anathema. Sed qui Euangelium aliter interpretatur, atque verus & genuinus eius ſenſus requirit, ille affert aliud Euangelium. Ergo eſt anathema.

Siue igitur Epiſcopus, ſiue Monachus, ſiue Papa aliam interpretationem affert, quàm ipſe ſenſus præ ſe fert, ille ſecundum Paulum eſt anathema. Omnis igitur interpretatio debet congruere cum Euangelio, id eſt, cum ſcriptura Canonica. Deinde ſi primitiua eccleſia non habuit poteſtatem mutandi euágelium, num papa Romanus ſibi hanc auctoritatem vindicabit? Et ne quis regerat papam, non *immutare euangelium*, Reſp. eum immutare ſenſum, & hoc idem eſſe. Galatæ enim non mutabant *libros à Prophetis & Apoſtolis ſcriptos*, neque de eo vnquam fuerunt à Paulo accuſati, ſed mutarunt doctrinã à Paulo euangelizatam, idem facit papa Romanus. Eodẽ igitur anathemate tenetur. Vnde apparet euangeliũ mutari, ſi interpretatio cum euangelio non congruat, & illam interpretationẽ eſſe maledictam, quę cum euangelio non congruit, ac proinde euangeliũ eſſe omnis interpretationis normam. Hîc cogor repetere quod antè dixi, quando papa affert interpretationem, quæ cum euangelio congruit, nos eam cum reuerentia accipere, idq́ue non propter papam, ſed propter congruentiam cum Dei verbo, quando verò affert interpretationem à Dei verbo diſcrepantem, nos eam reijcere, etiamſi omnes papæ eam approbarent. Octauum Argument. Quia Scriptura

debet

debet eodem ſpiritu intelligi, quo ſcripta eſt.

Quo ſpiritu Scriptura ſcripta eſt, eodē ſpiritu debet intelligi. Sed eſt ſcripta ſpiritu Dei, Ergo & Spiritu Dei intelligi debet.

Maior etſi vera eſt, vno tamen atque altero teſtimonio à me probabitur. Hieronymus in Epiſt. ad Galat. cap. 1. *Qui Scripturam aliter intelligit, quàm ſenſus Spiritus ſancti efflagitat, hæreticus vocari poteſt.* Bernhardus in orat. ad fratres de monte, *nunquam Pauli ſenſum ingredieris, niſi Pauli Spiritum imbiberis.* Minorem probat dictum Pauli. 2. Timoth. 3. 16. *Omnis ſcriptura eſt diuinitùs inſpirata.* Et 2. Pet. 1. 22. *Acti à Spiritu Dei loquuti ſunt.* Hoc argumentum concedunt papiſtæ, ſed aiunt in ſolo papa reſidere iſtum ſpiritum, & ob eam cauſam iudicium papæ eſſe regulam & normam omnis interpretationis. At hoc eſt illud, quod eſt in principio. Eſt enim inter nos controuerſum, & ob eam cauſam pro principio ab altera parte afferri non poteſt. Deinde totus orbis clamat in papa nō ſpiritū Chriſti, ſed ſpiritū Antichriſti habitare. Prętereà ſi Bellarminus vnum ſcripturæ locū producere poteſt, in quo diſertè ſcriptū eſt, papam nihil, niſi quod à Sp. ſancto dictatur, loquuturum eſſe, dabo manus. Si verò hoc facere non poteſt, & experiētia teſtatur multa à papa tradi, quę à nemine, niſi à ſpiritu Antichriſti produci poſſunt, non ægrè feret Bellarminus, ſi papæ iudicium pro authenticæ interpretationis regula accipere nō poſſumus. Deinde ſi ſpiritus Chriſti ſemper habitat in papa, & papa nihil loquitur, niſi quod à ſpiritu Chriſti profectum eſt, ſequitur ſpiritum Chriſti eſſe hæreticum.

reticum. Multi enim papæ fuerunt hæretici, vt antè probauimus. Deinde si quicquid à papa Romano proficiscitur, à spiritu Christi proficiscitur, tum spiritus Christi est mendax. Papa n. sibi ipsi sępè cõtradicit, & ne quis hoc vel illud prætendat, dico hoc iudicialiter factum esse. Et vt taceam de Formoso, Iohannes XXII. & Nicolaus tradunt contradictoria. Vnus enim *tradit Christum & Apostolos nihil proprij habuisse*, alter hoc *negat*, & dicit habuisse. Celestinus concedit coniugi, cuius coniux prolapsus est in hæresin, *secundas nuptias*. Innocentius hoc *negat*. C. Quanto de diuortijs. Pelagius statuit, vt diaconi ab vxoribus abstineant, quas ante constitutionẽ duxerant. C. ante Triennium, Distinct. 31. Gregorius I. neminem admittit ad eum ordinem, nisi qui castitatem vouisset. Huiusmodi multa in decretorum libris. Verùm cùm contradictoria simul vera esse non posint, sequitur alterum mendacem fuisse. Iam si papa nihil dixit iudicialiter, nisi quod à spiritu Christi profectum est, sequitur & spiritum Christi esse mendacem, sed hoc est blasphemum. Relinquitur ergo papam non semper loqui secũdum spiritum Christi, ac propterea aliquando errare. At dicis, si spiritus Christi non semper est in papa, vbi igitur est? Resp. eum esse in fidelib. & mentem suam per fideles patefecisse, idq; multis modis, per aliquos n. perfectè, per aliquos imperfectè. Perfectè, per Prophetas & Apostolos. Hos impulit vt mentem & sententiam suam literis consignarent. Quod igitur cum his Prophetarum & Apostolorũ literis congruit, hoc est verũ & authenticum. Ac pinde interpretatio cũ
mente

mente Sp. ſancti per Prophetas & Apoſtolos prodita congruens, eſt bona, & quę ab ea diſcrepat, eſt mala. Imperfectè & minus plenè ſuam voluntatem reuelauit reliquis fidelibus. 1. Iohan. 2. 20. *Et vos vnctionem habetis.* Iohan. 6. *erunt omnes edocti a Deo.* 1. Cor. 2. 15, *Spiritualis iudicat omnia.* Habitat igitur Sp. ſanctus in fidelibus, & ob eam cauſam fideles de interpretationibus iudicare poſſunt. Sed quoniam hi ſpiritum Dei non plenè acceperunt, ideò interdum in iudicando aberrant. Quando igitur ſecundum ſpiritum iudicant, tum non errant. Iudicant autem ſecundum ſpiritum, quando ſecundum ſcripturam iudicant. Spiritus enim in ſcriptura loquitur. Quando verò non ſecundum ſpiritum iudicant, tum aberrant. Non enim iudicant ſecundum ſcripturam, per quam ſpiritus loquitur. Si hoc ad papiſtas accommodas, recipimus eorum interpretationes, quādo congruunt cum ſpiritu, qui in ſcripturis loquitur. Quando verò non congruunt, non recipimus eas. Nonum Argumentum. Quia non eſt tanta auctoritas papalium decretorum, quanta Canonicarum ſcripturarum.

Cuius interpretatio eſt regula authenticæ veritatis, ille eſt in eadem cum canonicis ſcripturis auctoritate. Sed papæ interpretatio eſt regula authenticæ veritatis. Ergo papæ interpretatio eſt eiuſdem cum canonicis ſcript. auctoritatis.

Hoc etſi Canones & Canoniſtæ affirmant, tamē adeò abſurdum eſt, vt non exiſtimem Bellarminum adeò poſteritatis iudicium contēnere, vt hoc defendere velit. Ideo huius argumenti abſurditatem non

vrgebo

vrgebo latiùs. Decimum Argumentum. Quia primitiua ecclesia statuit vnanimiter veram regulam & normam authenticæ interpretationis esse scripturæ analogiam. Iren. lib. 4. cap. 63. *legitimam & minimè periculosam expositionē scripturæ esse secundū ipsam scripturam.* Euseb. de Polycarpo. lib. 5. cap. 20. *Et tamen oīa hæc cum scripturis consona proferebat.* Origenes in Mat. Homil. 25. *omnis sensus, qui est extra scripturam, non est sanctus.* Basil. epistola 80. *Stemus arbitratu sacrarum scripturarum, & apud quos inueniuntur dogmata diuinis oraculis consona, illis omnis veritatis adiudicetur sententia.* Hieronymus in Matth. cap. 23. *Quod de scriptura non habet auctoritatem, hoc eadem facilitate reÿcitur, qua admittitur.* Augustinus contra Crescon. libro 2. *Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, secundum quos de cæteris libris, vel fidelium, vel infidelium iudicamus.* Augustinus de ciuit. Dei. lib. 11. cap. 33. *Etsi huius veritatem libri indagare nequiuimus, à regula tamen fidei, quæ per alias eiusdem auctoritatis literas fidelibus satis nota est, non aberrabimus.* Augustinus de Genesi ad literam lib. 1. capite 21. *Et cum diuinos libros legimus in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, & sanitate Catholicæ fidei muniuntur, id potissimùm eligamus, quod certum apparuerit eum sensisse, quem legimus, si autem hoc latet, id certè, quod circumstantias Scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat. Si autem & circumstantia pertractari āc discuti non potest, saltem id solum, quod fides sana præscribit.* Hoc Argumentum etsi necessarium non est, tamen ex eo apparet, quæ fuerit

pri-

primitiuæ Ecclesiæ de hac sententia iudicium. Et vt omnia in vnum contraham cùm Dei verbum, ac recta ratio, & primitiua Ecclesia vnanimiter statuant, scripturæ analogiam esse omnis interpretationis regulam, & eam interpretationem esse bonam, quæ cũ scriptura conuenit, eamq́ue malam, quę ab ea discrepat, nos equidem contrarium statuere nõ possumus. Ac proinde quando aduersarij interpretationem afferunt, quæ cum scriptura pugnat, nos eam reijcimus, etiamsi omnes papæ eam probarent, & cùm ex huiusmodi interpretatione aliquod impium dogma probant, tum petunt principium, & probant illud quod incertum est, per illud, quod ęquè incertũ est.

Conclusio.

Omnia principia Christianorum dogmatum sunt certa, ante concessa, extra controuersiam posita, vera, immediata, & diuina. Sed interpretatio papæ est incerta, controuersa, ab altera parte negata, falsa, inepta & humana. Interpretatio igitur papæ non est principium Christianorum dogmatum.

FINIS.

SIBRAN-

SIBRANDI LVBBERTI De *Principiis Christianorum dogmatum* Liber ſeptimus.

Proœmium.

DE vero ſenſu Canonicarum ſcripturarum diſſeruimus libro ſuperiore, nunc ad Traditiones accedemus. Hę ſunt quartum principium papiſticorum dogmatum. Reliqua tria non ſufficiunt ad illorum dogmata defendenda. Nam neque ex lib. apocryphis, neque ex vulgata verſione, neque ex papæ interpretatione poſſunt ea oĩa defendere. Ideò excogitauerunt hoc quartum, quod Eccio, Emzero, & alijs fuit ignotũ. Dicunt ſcripturam eſſe imperfectam, & Traditiones docere, quæ in ſcriptura prætermiſſa ſunt. Per Traditiones intelligunt omnes ritus, ceremonias, & dogmata, quę in papiſtica Eccleſia ſunt vſitata, & verb. Dei expreſſa non ſunt. Dicere ergo Traditiones eſſe cum verbo Dei eiuſdem auctoritatis, eſt idem, atque omnia dogmata, ceremonias, & ritus papiſticos collocare in eadem cum verbo Dei auctoritate. Quod ſi obtinuerint, nihil erit tam impium, quod ſub titulo Traditionum tueri non poſsint. Hinc tanti Commentarij & Apologiæ pro Traditionibus. Canus affirmat *Traditiones plus virium habere aduerſus hæreticos, quàm Scripturam*, lib. 3. cap. 3. Idem contendit *omnem*

cum hæreticis disputationem ad Traditiones referendam esse, ibidem. Hinc apparet quanta sit papistarum pro Traditionibus solicitudo. Verùm Bellarmine, omnes Traditiones de quibus contendimus, sunt in cõtrouersia positæ. Deinde non sunt vtrique parti cõmunes, sed alterius partis propriæ. Principia verò non sunt in controuersia posita, neque sunt alterius partis propria, sed vtrique parti communia. Deinde papistici ritus, ceremoniæ, & dogmata sunt multis erroribus contaminata. Affirmant hoc Sanazarius, Petrarcha, Mantuanus, Erasmus, Palingenius, & alij papistici doctores. Idem testantur omnes orthodoxæ Ecclesiæ, quæ sunt in Transyluania, Hungaria, Bohemia, Polonia, Liuonia, Suetia, Gallia, & Heluetia. Agnouit hoc ipse papa Adrianus, Sleidan. lib. 4. in principio, papa Adrianus in bulla ad protestantes Germanos. At quod erroribus contaminatum est, hoc veræ & certæ doctrinæ principium esse non potest. Hoc sufficeret ad totam illam tuam de Traditionibus disputationem inducendam. Sed nos vestigia tua sequentes, etiã hanc partem explicabimus, ac primùm ostendemus, quid nomen significet.

CAPVT I.

Quid nomen significet.

TRaditio hîc non accipitur pro actione tradendi, quam propriè significat, sed pro eo quod traditur. Et in hac significatione primùm notat q̃dquid ab hominibus immediatè vocatis, & diuinitus inspiratis, id est, Apostolis traditum est, siue hoc factum sit viua voce, siue literis scriptis. 2. Thess. 2. 15.

Te-

Tenete Traditiones quas accepistis, siue per sermonem siue per epistolam. Deinde magis in specie notat ipsum Dei verbum literis comprehensum. 1. Cor. 15. 3. *Prout acceperam tradidi vobis, Christum videlicet mortuũ esse pro peccatis nostris.* Cyprianus cont. epist. Stephani ad Pomp. *Si ergo*, inquit, *aut in Euangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis, aut actibus continetur, obseruetur etiam hæc sancta Traditio.* Pręterea significat & ritus literis scriptis expressos, Actorum 6. 14. *Et mutabit Traditiones, quas tradidit nobis Moses.* Basilius lib. 3. cõt. Eunom. *Hoc palàm oppugnat sacri baptismatis Traditionem, euntes baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Tertiò significat etiã illud, quod scriptum non est, sed tantùm viua voce ab Apostolis traditum est, 2. Thess. 2. 15. *Tenete Traditiones siue per sermonem*. Irenæus lib. 3. cap. 2. *Euenit neque Traditioni neque scripturis consentire eos.* Et cùm hoc modo Traditio accipitur, subdistingui potest in doctrinam ab Apostolis viua voce traditam, & in ritus ab ijs constitutos. In doctrinam, Luc. 1. 3. *Prout tradiderunt nobis, qui in principio spectatores fuerunt.* In ritus, 1. Cor. 11. 2. *& sicut tradidi vobis, traditiones retinetis.* Atque hoc modo accipitur Traditio, quãdo aliquid ab hominibus immediatè vocatis, & diuinitùs inspiratis traditum significat. Porrò Traditio significat & illud, quod ab hominibus non immediatè vocatis, excogitatum & traditum est. Matth. 5. 3. *Quare & vos transgredimini Traditiones Dei per Traditiones vestras.* & vers. 6. *& irritum fecistis mandatum Dei per Traditiones vestras.* Marc. 7. 8. *Nam omisso mandato Dei tenetis Traditiones hominum.* Mar. 7. 9. *Abrogatis mandatum*

Dei, vt Traditiones vestras seruetis. Deinde Traditio hoc modo accepta, vel congruit cum Dei verbo, vel discrepat ab eo. Congruit, vt multæ expositiones, constitutiones, & ceremoniæ à sanctis patribus, episcopis, & concilijs constitutæ. Discrepat, vt multæ item Paparum & Monachorum expositiones, constitutiones, & ceremoniæ. Porrò hæc Traditio subdistinguitur in ritum humanitus inuentum, & in doctrinam ab humano cerebro profectam. In doctrinam, vt Marc. 7. 9. In ritus, Matth. 15. 2.

Capvt II.

Quotuplex sit Traditio.

NOminis æquiuocatione explicata, distinguemus rem ipsam in suas species. Accipimus autem Traditionem in genere pro eo, quod non literis comprehensum, sed viua voce, aut alio quolibet modo ab hominibus immediatè vocatis, & diuinitùs inspiratis, vel ab ijs qui non immediatè vocati sunt, traditum est. Hanc Bellarminus duobus modis distinguit, videlicet *secundum auctores*, & *secundum materiam.* Secundum auctores, dicit eam esse triplicem, nempè *Apostolicam, Ecclesiasticam,* & *Diuinam.* Diuinam vocat eam, *quam Christus Apostolis tradidit.* Apostolicam vocat, *quam Apostoli ex instinctu Sp. sancti tradiderunt.* Ecclesiasticam dicit *antiquam consuetudinem, vel à prælatis vel à populis inchoatam, & paulatim tacito populorum consensu vim legis obtinentē,* id est, vt vno verbo dicam, ad Ecclesiam pertinentē. Primi generis exempla ponit *formalia & materialia Sacramentorum.* Secundi generis exempla ponit *ie-*

iunium

iunium quadragesimæ, & *ieiunium quatuor temporum*. In tertio genere exempla nulla adducit. Nos distributionem ipsam priùs examinabimus, deinde ad exempla progrediemur. Differentiæ hæ neque accidentaliter, neque essentialiter rem distinguunt. Simul enim coincidunt. Quicquid enim Apostoli ex diuina inspiratione fecerunt, hoc est diuinum. Apostolicum igitur & diuinum nō differunt, tanquam oppositæ species; sed tanquam genus & species. Omne enim Apostolicum est diuinum, sed non omne diuinum est Apostolicum. Porrò Apostolicum & Ecclesiasticum ferè differunt eodem modo. Omne n. Apostolicum pertinet ad Ecclesiam, & est Ecclesiasticum, sed non omne Ecclesiasticum est Apostolicum. Dum igitur Traditiones in Diuinas, Ecclesiasticas, & Apostolicas distinguis, perinde facis, ac si animal distribueres in sentiens, brutum, & hinniens. Hæc de distributione. Nunc ad exempla respondebimus. Dicis *formalia & materialia Sacramentorum non esse ex Verbo scripto, sed ex tacita traditione.* At hoc est falsum, quod vt intelligatur, repetam rem illam paulò altiùs. Sacramentum citra omnem controuersiam est ex eorum numero, quæ sunt πρός τι. Illorum fundamentum est materia, Relatio fundamenti ad terminum est forma. Fundamentum autem omnium sacramentorum est ritus à Deo institutus. In baptismo, Aspersio aquæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In Cœna, Manducatio panis & vini, cum annunciatione mortis Domini. Vtrumq; in Dei verbo expressum est. Illud Matth. 26.26. Hoc Matth. 28.19. Proinde falsum est, quod dicis, Sacra-

 mento-

mentorum materialia non esse in verbo Dei expressa, sed ex tacita Traditione profecta. Terminus sacramentorum est communio Christi, & omnium eius beneficiorũ, quæ per externa ista symbola nobis obsignantur & repræsentantur. Eorum forma est relatio sacramenti ad rem sacramenti, id est, ordinatio externi ritus ad testificationem in mente Dei, & eorum qui sacramentis vtuntur. Sed & hoc in verbo Dei expressum est. Proinde falsum est, quod inquit Bellarminus formalia sacramentorum ex traditione, non ex verbo scripto profecta esse. Deinde si omnia materialia & formalia Sacramentorum sunt ex tacita Traditione, & non ex verbo scripto, perfidè sanè agunt papistæ, dum sua sacramenta, & eorum formalia, atque materialia ex verbo scripto probare conantur. Atque hæc de exemplis diuinę Traditionis. Nunc ad exempla Apostolicæ traditionis, Ex hac dicit fluxisse *ieiunium Quadragesimæ*, & *ieiunium quatuor temporum*. Nos prius respondebimus de ieiunio quadragesimæ, Deide de quatuor temporum ieiunio. Bellarminus dicit illud esse ex Apostolica Traditione. Sed hoc falsum est. Apostoli enim ne γρὺ quidem de eo in suis libris, Scitè Socrates l. 5. c. 22. οὐδεὶς περὶ τούτων ἔγγραφον ἔχει δεῖξαι παράγγελμα. Quam ob caussam rectè dicit Cyprianus, *non videndum esse, quid aliqui ante nos fecerint, sed quid ille, qui ante omnes est, faciendum mandauit.* Et vt nulla dubitandi materia subsit, dicit Socrates l. 5. c. 22. Δῆλον ὡς καὶ περὶ τούτου (loquitur de ieiunio Quadragesimę) τῇ ἑκάστου γνώμῃ καὶ προαιρέσει ἐπέτρεψαν οἱ ἀπόστολοι.. Vnde necessariò sequitur vanum esse, quod inquit Bellar. illud ex Apo-

stolica

stolica Traditione fluxisse, Sed neque de ipsa ieiunij specie qcquã ab Apost. statutũ est. Euseb. n. l. 5. c. 26. οἱ μὲν γὰρ, inquit, οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας νυκτερινάς τε καὶ ἡμερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν, &c. Idē docet Socrates lib. 5. c. 22. οἱ μὲν γὰρ ἐν ῥώμῃ τρεῖς πρὸ τοῦ πάσχα ἑβδομάδας, πλὴν σαββάτου καὶ κυριακῆς, συνημμένας νηστεύουσιν. οἱ δὲ ἐν ἰλλυριοῖς καὶ ὅλῃ τῇ ἑλλάδι καὶ οἱ ἐν ἀλεξανδρείᾳ πρὸ ἑβδομάδων ἓξ τὴν πρὸ τοῦ πάσχα νηστείαν νηστεύουσι, τεσσαρακοστὴν αὐτὴν ὀνομάζοντες, ἄλλοι πρὸ ἑπτὰ τῆς ἑορτῆς ἑβδομάδων τῆς νηστείας ἀρχόμενοι, καὶ τρεῖς μόνας πενθημέρους, ἐκ διαλειμμάτων νηστεύοντες, οὐδὲν ἧττον καὶ αὐτοὶ τεσσαρακοστὴν τὸν χρόνον τοῦτον καλοῦσιν. & ἕτεροι δὲ ἄχρις ἐνάτης ὥρας νηστεύοντες, διάφορον ἔχουσι τὴν ἑστίασιν. Hoc sufficit ad vanitatē ostendendã, qua Bellar. asserit, illud 40. dierũ ieiuniũ esse ex Apostolica traditione. Sed neque quatuor temporum ieiunium est ex Apostolica traditione. Apostolos enim hoc reliquisse cuiuslibet iudicio docet Socrates lib. 5. cap. 22. Origenes homil. 10. in Leuit. August. ad Casulan. epist. 86. Deinde Gratianus docet *veterem Ecclesiam tantùm tribus temporibus ieiunasse*, Distinct. 76. Idem docet Calixtus epist. 1. Et Bellarminus lib. 4. cap. 3. de verbo Dei. Vnde satis apparet & hoc quatuor temporum ieiunium non esse ex Apostolica Traditione profectum. Quod enim Apostolorum ætate liberum fuit, neque ab illis præceptum, & ab alijs, qui non fuerunt Apostoli, institutum est, hoc non est ex Apostolica traditione. Plura de ieiunijs dicemus, cùm ad controuersiam de ieiunijs peruenerimus. Tantùm nunc concludo, Distributionem Bellarmini neque logicam, neque exempla vera esse. Deinde partitur Traditiones secũdum materiam, &

Pp 4 distri-

distribuit eas in *traditiones de moribus & de fide.* Sed si loquitur de traditione non scripta, tum errat. Nulla enim est traditio de fide ad salutem necessaria, quę non est scripta. Ioh. 20.31. *Hæc scripta sunt, vt credatis, Iesum esse Christum filium Dei, & vt credentes habeatis vitam æternam.* Cyrill.lib. 12. cap. 68. in Iohannem. *Non igitur omnia quæ Dominus fecit, scripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quàm ad dogmata putarunt sufficere: vt recta fide & operibus, ac virtute rutilantes ad regnum cœlorum perueniamus.* Dum igitur Bellarminus contrarium pro fidei principio ponit, sumit illud quod est in principio. Traditionis de fide exemplum statuit, *quòd Beata Maria fuerit semper virgo.* At contrarium docet Basilius homil. de Natiuitate Domini. *Vsque ad dispensationis*, inquit, *mysterium necessaria erat virginitas; quod verò deinceps secutum est, nullam curiositatem rationi mysterij exhibet.* Traditionis de Moribus exemplum dicit esse, *quod certis diebus ieiunia & festa celebrentur*, &c. Sed neque hoc patrum memoria pro traditione habitum est. Socrates enim lib. 5. cap. 21. & Sozomenus lib. 7. c. 19. dicunt Apostolos *cuilibet concessisse liberam potestatem.* Si tamen quis pertinaciùs vrserit, ille sciat Montanum esse *primum, qui ieiuniorum leges imposuerit*, vt docet Eusebius lib. 5. cap. 18. Posteà dicit, *quæ rursus aut sunt perpetuæ, aut temporales: & vel vniuersales, vel particulares: vel necessariæ, vel liberæ.* Si hoc refert ad traditiones, de fide & morib. simul, tum rursus errat. Omnes enim traditiones de fide, ad salutem necessariæ sunt perpetuæ, vniuersales, & necessariæ, neque vlla dari potest, quæ sit temporalis,

particularis

particularis & libera. Si verò has posteriores tres partitiones tantùm de ritibus intelligit, tum sunt veræ. Atque hæc de partitionibus.

CAPVT III.
Orthodoxa sententia de Traditionum varietate proponitur.

PApisticam sententiam de Traditionum varietate refutauimus capite superiore, sequitur vt orthodoxæ Ecclesiæ sententiam explicemus. Illa est huiusmodi, Traditiones omnes esse vel diuinas, vel humanas. Nam cùm omnes Traditiones, quarum in Ecclesiasticis scriptoribus mentio fit, vel à Deo, vel ab homine profectæ sint, quemadmodum cap. primo ostendimus, sequitur eas omnes vel diuinas, vel humanas esse. Diuinæ sunt vel immediatè à Deo ꝓfectæ, vel mediatè. Immediatè, vt S. Cœna, &c. Et hæ omnes sunt literis consignatæ. Nulla enim est immediatè à Deo profecta, quæ non sit literis consignata. Quæ verò mediatè à Deo per Apostolos constitutæ sunt, illæ vel pertinent ad fidem, & mores, vel ad decorum. Fidem voco ipsam doctrinam, mores dico vitæ honestatem. Hæc omnia sunt literis consignata & immutabilia. Vtrumque certius & notius, quàm vt vlla probatione opus sit. Quæ ad decorum pertinent, possunt subdiuidi, vel in essentialia decori, vel in accidentalia. Essentiale voco illud morale, quod in decoro est, accidentalia voco externas circumstantias. Illud est literis consignatum, & immutabile. 1. Cor. 14. 40. *Omnia decenter & ordine fiant.* Horum quædam sunt literis consi-

debet eodem ſpiritu intelligi, quo ſcripta eſt.

Quo ſpiritu Scriptura ſcripta eſt, eodẽ ſpiritu debet intelligi. Sed eſt ſcripta ſpiritu Dei, Ergo & Spiritu Dei intelligi debet.

Maior etſi vera eſt, vno tamen atque altero teſtimonio à me probabitur. Hieronymus in Epiſt. ad Galat. cap. 1. *Qui Scripturam aliter intelligit, quàm ſenſus Spiritus ſancti efflagitat, hæreticus vocari poteſt.* Bernhardus in orat. ad fratres de monte, *nunquam Pauli ſenſum ingredieris, niſi Pauli Spiritum imbiberis.* Minorem probat dictum Pauli. 2. Timoth. 3. 16. *Omnis ſcriptura eſt diuinitùs inſpirata.* Et 2. Pet. 1. 22. *Acti à Spiritu Dei loquuti ſunt.* Hoc argumentum concedunt papiſtæ, ſed aiunt in ſolo papa reſidere iſtum ſpiritum, & ob eam cauſam iudicium papæ eſſe regulam & normam omnis interpretationis. At hoc eſt illud, quod eſt in principio. Eſt enim inter nos controuerſum, & ob eam cauſam pro principio ab altera parte afferri non poteſt. Deinde totus orbis clamat in papa nõ ſpiritũ Chriſti, ſed ſpiritũ Antichriſti habitare. Prętereà ſi Bellarminus vnum ſcripturæ locũ producere poteſt, in quo diſertè ſcriptũ eſt, papam nihil, niſi quod à Sp. ſancto dictatur, loquuturum eſſe, dabo manus. Si verò hoc facere non poteſt, & experiẽtia teſtatur multa à papa tradi, quę à nemine, niſi à ſpiritu Antichriſti produci poſſunt, non ægrè feret Bellarminus, ſi papæ iudicium pro authenticæ interpretationis regula accipere nõ poſſumus. Deinde ſi ſpiritus Chriſti ſemper habitat in papa, & papa nihil loquitur, niſi quod à ſpiritu Chriſti profectum eſt, ſequitur ſpiritum Chriſti eſſe hæreticum.

reticum. Multi enim papæ fuerunt hæretici, vt antè probauimus. Deinde si quicquid à papa Romano proficiscitur, à spiritu Christi proficiscitur, tum spiritus Christi est mendax. Papa n. sibi ipsi sæpè cõtradicit, & ne quis hoc vel illud prætendat, dico hoc iudicialiter factum esse. Et vt taceam de Formoso, Iohannes XXII. & Nicolaus tradunt contradictoria. Vnus enim *tradit Christum & Apostolos nihil proprij habuisse*, alter hoc *negat*, & dicit habuisse. Celestinus concedit coniugi, cuius coniux prolapsus est in hæresin, *secundas nuptias*. Innocentius hoc *negat*. C. Quanto de diuortijs. Pelagius statuit, vt diaconi ab vxoribus abstineant, quas ante constitutionẽ duxerant. C. ante Triennium, Distinct. 31. Gregorius I. neminem admittit ad eum ordinem, nisi qui castitatem vouisset. Huiusmodi multa in decretorum libris. Verùm cùm contradictoria simul vera esse non possint, sequitur alterum mendacem fuisse. Iam si papa nihil dixit iudicialiter, nisi quod à spiritu Christi profectum est, sequitur & spiritum Christi esse mendacem, sed hoc est blasphemum. Relinquitur ergo papam non semper loqui secũdum spiritum Christi, ac propterea aliquando errare. At dicis, si spiritus Christi non semper est in papa, vbi igitur est? Resp. eum esse in fidelib. & mentem suam per fideles patefecisse, idq; multis modis, per aliquos n. perfectè, per aliquos imperfectè. Perfectè, per Prophetas & Apostolos. Hos impulit vt mentem & sententiam suam literis consignarent. Quod igitur cum his Prophetarum & Apostolorũ literis congruit, hoc est verũ & authenticum. Ac proinde interpretatio cũ

mente

mente Sp. ſancti per Prophetas & Apoſtolos prodita congruens, eſt bona, & quę ab ea diſcrepat, eſt mala. Imperfectè & minus plenè ſuam voluntatem reuelauit reliquis fidelibus. 1. Iohan. 2. 20. *Et vos vnctionem habetis.* Iohan. 6. *erunt omnes edocti a Deo.* 1. Cor. 2. 15, *Spiritualis iudicat omnia.* Habitat igitur Sp. ſanctus in fidelibus, & ob eam cauſam fideles de interpretationibus iudicare poſſunt. Sed quoniam hi ſpiritum Dei non plenè acceperunt, ideò interdum in iudicando aberrant. Quando igitur ſecundum ſpiritum iudicant, tum non errant. Iudicant autem ſecundum ſpiritum, quandò ſecundum ſcripturam iudicant. Spiritus enim in ſcriptura loquitur. Quandò verò non ſecundum ſpiritum iudicant, tum aberrant. Non enim iudicant ſecundum ſcripturam, per quam ſpiritus loquitur. Si hoc ad papiſtas accommodas, recipimus eorum interpretationes, quādo congruunt cum ſpiritu, qui in ſcripturis loquitur. Quando verò non congruunt, non recipimus eas. Nonum Argumentum. Quia non eſt tanta auctoritas papalium decretorum, quanta Canonicarum ſcripturarum.

Cuius interpretatio eſt regula authenticæ veritatis, ille eſt in eadem cum canonicis ſcripturis auctoritate. Sed papæ interpretatio eſt regula authenticæ veritatis. Ergo papæ interpretatio eſt eiuſdem cum canonicis ſcript. auctoritatis.

Hoc etſi Canones & Canoniſtæ affirmant, tamē adeò abſurdum eſt, vt non exiſtimem Bellarminum adeò poſteritatis iudicium contēnere, vt hoc defendere velit. Ideo huius argumenti abſurditatem non

vrgebo

vrgebo latiùs. Decimum Argumentum. Quia primitiua ecclesia statuit vnanimiter veram regulam & normam authenticæ interpretationis esse scripturæ analogiam. Iren. lib. 4. cap. 63. *legitimam & minimè periculosam expositionē scripturæ esse secundū ipsam scripturam.* Euseb. de Polycarpo. lib. 5. cap. 20. *Et tamen oīa hæc cum scripturis consona proferebat.* Origenes in Mat. Homil. 25. *omnis sensus, qui est extra scripturam, non est sanctus.* Basil. epistola 80. *Stemus arbitratu sacrarum scripturarum, & apud quos inueniuntur dogmata diuinis oraculis consona, illis omnis veritatis adiudicetur sententia.* Hieronymus in Matth. cap. 23. *Quod de scriptura non habet auctoritatem, hoc eadem facilitate reijcitur, qua admittitur.* Augustinus contra Crescon. libro 2. *Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, secundum quos de ceteris libris, vel fidelium, vel infidelium iudicamus.* Augustinus de ciuit. Dei. lib. 11. cap. 33. *Etsi huius veritatem libri indagare nequiuimus, à regula tamen fidei, quæ per alias eiusdem auctoritatis literas fidelibus satis nota est, non aberrabimus.* Augustinus de Genesi ad literam lib. 1. capite 21. *Et cùm diuinos libros legimus in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, & sanitate Catholicæ fidei muniuntur, id potissimùm eligamus, quod certum apparuerit eum sensisse, quem legimus, si autem hoc latet, id certè, quod circumstantias Scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat. Si autem & circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id solum, quod fides sana præscribit.* Hoc Argumentum etsi necessarium non est, tamen ex eo apparet, quæ fuerit pri-

primitiuæ Ecclesiæ de hac sententia iudicium. Et vt omnia in vnum contraham cùm Dei verbum, ac recta ratio, & primitiua Ecclesia vnanimiter statuant, scripturæ analogiam esse omnis interpretationis regulam, & eam interpretationem esse bonam, quæ cũ scriptura conuenit, eamq́ue malam, quę ab ea discrepat, nos equidem contrarium statuere nõ possumus. Ac proinde quando aduersarij interpretationem afferunt, quæ cum scriptura pugnat, nos eam reijcimus, etiamsi omnes papæ eam probarent, & cùm ex huiusmodi interpretatione aliquod impium dogma probant, tum petunt principium, & probant illud quod incertum est, per illud, quod ęquè incertũ est.

Conclusio.

Omnia principia Christianorum dogmatum sunt certa, ante concessa, extra controuersiam posita, vera, immediata, & diuina. Sed interpretatio papæ est incerta, controuersa, ab altera parte negata, falsa, inepta & humana. Interpretatio igitur papæ non est principium Christianorum dogmatum.

FINIS.

SIBRAN-

SIBRANDI LVBBERTI

De

Principiis Christianorum dogmatum

Liber septimus.

Proœmium.

DE vero sensu Canonicarum scripturarum disseruimus libro superiore, nunc ad Traditiones accedemus. Hę sunt quartum principium papisticorum dogmatum. Reliqua tria non sufficiunt ad illorum dogmata defendenda. Nam neque ex lib. apocryphis, neque ex vulgata versione, neque ex papæ interpretatione possunt ea oĩa defendere. Ideò excogitauerunt hoc quartum, quod Eccio, Emzero, & alijs fuit ignotũ. Dicunt scripturam esse imperfectam, & Traditiones docere, quæ in scriptura prætermissa sunt. Per Traditiones intelligunt omnes ritus, ceremonias, & dogmata, quę in papistica Ecclesia sunt vsitata, & verb. Dei expressa non sunt. Dicere ergo Traditiones esse cum verbo Dei eiusdem auctoritatis, est idem, atque omnia dogmata, ceremonias, & ritus papisticos collocare in eadem cum verbo Dei auctoritate. Quod si obtinuerint, nihil erit tam impium, quod sub titulo Traditionum tueri non posint. Hinc tanti Commentarij & Apologiæ pro Traditionibus. Canus affirmat *Traditiones plus virium habere aduersus hereticos, quàm Scripturam*, lib. 3. cap. 3. Idem contendit *omnem*

cum hæreticis disputationem ad Traditiones referendam esse, ibidem. Hinc apparet quanta sit papistarum pro Traditionibus solicitudo. Verùm Bellarmine, omnes Traditiones de quibus contendimus, sunt in cõtrouersia positæ. Deinde non sunt vtrique parti cõmunes, sed alterius partis propriæ. Principia verò non sunt in controuersia posita, neque sunt alterius partis propria, sed vtrique parti communia. Deinde papistici ritus, ceremoniæ, & dogmata sunt multis erroribus contaminata. Affirmant hoc Sanazarius, Petrarcha, Mantuanus, Erasmus, Palingenius, & alij papistici doctores. Idem testantur omnes orthodoxæ Ecclesiæ, quæ sunt in Transyluania, Hungaria, Bohemia, Polonia, Liuonia, Suetia, Gallia, & Heluetia. Agnouit hoc ipse papa Adrianus, Sleidan. lib. 4. in principio, papa Adrianus in bulla ad protestantes Germanos. At quòd erroribus contaminatum est, hoc veræ & certæ doctrinæ principium esse non potest. Hoc sufficeret ad totam illam tuam de Traditionibus disputationem inducendam. Sed nos vestigia tua sequentes, etiã hanc partem explicabimus, ac primùm ostendemus, quid nomen significet.

CAPVT I.

Quid nomen significet.

TRaditio hîc non accipitur pro actione tradendi, quam propriè significat, sed pro eo quòd traditur. Et in hac significatione primùm notat q̃dquid ab hominibus immediatè vocatis, & diuinitus inspiratis, id est, Apostolis traditum est, siue hoc factum sit viua voce, siue literis scriptis. 2. Thess. 2. 15.

Te-

Tenete Traditiones quas accepistis, siue per sermonem siue per epistolam. Deinde magis in specie notat ipsum Dei verbum literis comprehensum. 1. Cor. 15. 3. *Prout acceperam tradidi vobis, Christum videlicet mortuũ esse pro peccatis nostris.* Cyprianus cont. epist. Stephani ad Pomp. *Si ergo*, inquit, *aut in Euangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis, aut actibus continetur, obseruetur etiam hæc sancta Traditio.* Prȩtereà significat & ritus literis scriptis expressos, Actorum 6. 14. *Et mutabit Traditiones, quas tradidit nobis Moses.* Basilius lib. 3. cōt. Eunom. *Hoc palàm oppugnat sacri baptismatis Traditionem, euntes baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Tertiò significat etiã illud, quod scriptum non est, sed tantùm viua voce ab Apostolis traditum est, 2. Thess. 2. 15. *Tenete Traditiones siue per sermonem*, Irenæus lib. 3. cap. 2. *Euenit neque Traditioni neque scripturis consentire eos.* Et cùm hoc modo Traditio accipitur, subdistingui potest in doctrinam ab Apostolis viua voce traditam, & in ritus ab ijs constitutos. In doctrinam, Luc. 1. 3. *Prout tradiderunt nobis, qui in principio spectatores fuerunt.* In ritus, 1. Cor. 11. 2. *& sicut tradidi vobis, traditiones retinetis.* Atque hoc modo accipitur Traditio, quãdo aliquid ab hominibus immediatè vocatis, & diuinitùs inspiratis traditum significat. Porrò Traditio significat & illud, quod ab hominibus non immediatè vocatis, excogitatum & traditum est. Matth. 5. 3. *Quare & vos transgredimini Traditiones Dei per Traditiones vestras.* & vers. 6. *& irritum fecistis mandatum Dei per Traditiones vestras.* Marc. 7. 8. *Nam omisso mandato Dei tenetis Traditiones hominum.* Mar. 7. 9. *Abrogatis mandatum*

Dei, vt Traditiones vestras seruetis. Deinde Traditio hoc modo accepta, vel congruit cum Dei verbo, vel discrepat ab eo. Congruit, vt multæ expositiones, constitutiones, & ceremoniæ à sanctis patribus, episcopis, & concilijs constitutæ. Discrepat, vt multæ item Paparum & Monachorum expositiones, constitutiones, & ceremoniæ. Porrò hæc Traditio subdistinguitur in ritum humanitus inuentum, & in doctrinam ab humano cerebro profectam. In doctrinam, vt Marc. 7. 9. In ritus, Matth. 15. 2.

CAPVT II.

Quotuplex sit Traditio.

NOminis æquiuocatione explicata, distinguemus rem ipsam in suas species. Accipimus autem Traditionem in genere pro eo, quod non literis comprehensum, sed viua voce, aut alio quolibet modo ab hominibus immediatè vocatis, & diuinitùs inspiratis, vel ab ijs qui non immediatè vocati sunt, traditum est. Hanc Bellarminus duobus modis distinguit, videlicet *secundum auctores*, & *secundum materiam*. Secundum auctores, dicit eam esse triplicem, nempè *Apostolicam, Ecclesiasticam*, & *Diuinam*. Diuinam vocat eam, *quam Christus Apostolis tradidit*. Apostolicam vocat, *quam Apostoli ex instinctu Sp. sancti tradiderunt*. Ecclesiasticam dicit *antiquam consuetudinem, vel à prelatis vel à populis inchoatam, & paulatim tacito populorum consensu vim legis obtinentē*, id est, vt vno verbo dicam, ad Ecclesiam pertinentē. Primi generis exempla ponit *formalia & materialia Sacramentorum*. Secundi generis exempla ponit *ie-*

iunium quadrageſima, & *ieiunium quatuor temporum.* In tertio genere exempla nulla adducit. Nos diſtributionem ipſam priùs examinabimus, deinde ad exempla progrediemur. Differentiæ hæ neque accidentaliter, neque eſſentialiter rem diſtinguunt. Simul enim coincidunt. Quicquid enim Apoſtoli ex diuina inſpiratione fecerunt, hoc eſt diuinum. Apoſtolicum igitur & diuinum nō differunt, tanquam oppoſitæ ſpecies; ſed tanquam genus & ſpecies. Omne enim Apoſtolicum eſt diuinum, ſed non omne diuinum eſt Apoſtolicum. Porrò Apoſtolicum & Eccleſiaſticum ferè differunt eodem modo. Omne n. Apoſtolicum pertinet ad Eccleſiam, & eſt Eccleſiaſticum, ſed non omne Eccleſiaſticum eſt Apoſtolicum. Dum igitur Traditiones in Diuinas, Eccleſiaſticas, & Apoſtolicas diſtinguis, perinde facis, ac ſi animal diſtribueres in ſentiens, brutum, & hinniens. Hæc de diſtributione. Nunc ad exempla reſpondebimus. Dicis *formalia & materialia Sacramentorum non eſſe ex Verbo ſcripto, ſed ex tacita traditione.* At hoc eſt falſum, quod vt intelligatur, repetam rem illam paulò altiùs. Sacramentum citra omnem controuerſiam eſt ex eorum numero, quæ ſunt πρός τι. Illorum fundamentum eſt materia, Relatio fundamenti ad terminum eſt forma. Fundamentum autem omnium ſacramentorum eſt ritus à Deo inſtitutus. In baptiſmo, Aſperſio aquæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. In Cœna, Manducatio panis & vini, cum annunciatione mortis Domini. Vtrumq; in Dei verbo expreſſum eſt. Illud Matth. 26.26. Hoc Matth. 28.19. Proinde falſum eſt, quod dicis, Sacra-

ſtolica Traditione fluxiſſe, Sed neque de ipſa ieiunij ſpecie quicquã ab Apoſt. ſtatutũ eſt. Euſeb. h. l. 5. c. 26. οἱ μὲν γὰρ, inquit, οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας νυκτερινάς τε ἡμερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν, &c. Idẽ docet Socrates lib. 5. c. 22. οἱ μὲν γὰρ ἐν ῥώμῃ τρεῖς πρὸ τοῦ πάσχα ἑβδομάδας, πλὴν σαββάτου καὶ κυριακῆς, συνημμένας νηστεύουσιν. οἱ δὲ ἐν ἰλλυριοῖς καὶ ὅλῃ τῇ ἑλλάδι καὶ οἱ ἐν ἀλεξανδρείᾳ πρὸ ἑβδομάδων ἓξ τὴν πρὸ τοῦ πάσχα νηστείαν νηστεύουσι, τεσσαρακοστὴν αὐτὴν ὀνομάζοντες, ἄλλοι πρὸ ἑπτὰ τῆς ἑορτῆς ἑβδομάδων τῆς νηστείας ἀρχόμενοι, καὶ τρεῖς μόνας πενθημέρους, ἐκ διαλειμμάτων νηστεύοντες, οὐδὲν ἧττον καὶ αὐτοὶ τεσσαρακοστὴν τὸν χρόνον τοῦτον καλοῦσιν. & ἕτεροι δὲ ἄχρις ἐνάτης ὥρας νηστεύοντες, διάφορον ἔχουσι τὴν ἑστίασιν. Hoc ſufficit ad vanitatẽ oſtendendã, qua Bellar. aſſerit, illud 40. dierũ ieiuniũ eſſe ex Apoſtolica traditione. Sed neque quatuor temporum ieiunium eſt ex Apoſtolica traditione. Apoſtolos enim hoc reliquiſſe cuiuſlibet iudicio docet Socrates lib. 5. cap. 22. Origenes homil. 10. in Leuit. Auguſt. ad Caſulan. epiſt. 86. Deinde Gratianus docet *veterem Eccleſiam tantùm tribus temporibus ieiunaſſe*, Diſtinct. 76. Idem docet Calixtus epiſt. 1. Et Bellarminus lib. 4. cap. 3. de verbo Dei. Vnde ſatis apparet & hoc quatuor temporum ieiunium non eſſe ex Apoſtolica Traditione profectum. Quod enim Apoſtolorum ætate liberum fuit, neque ab illis præceptum, & ab alijs, qui non fuerunt Apoſtoli, inſtitutum eſt, hoc non eſt ex Apoſtolica traditione. Plura de ieiunijs dicemus, cùm ad controuerſiam de ieiunijs peruenerimus. Tantùm nunc concludo, Diſtributionem Bellarmini neque logicam, neque exempla vera eſſe. Deinde partitur Traditiones ſecũdum materiam, &

distribuit eas in *traditiones de moribus & de fide.* Sed si loquitur de traditione non scripta, tum errat. Nulla enim est traditio de fide ad salutem necessaria, quę non est scripta. Ioh. 20.31. *Hæc scripta sunt, vt credatis, Iesum esse Christum filium Dei, & vt credentes habeatis vitam æternam.* Cyrill. lib. 12. cap. 68. in Iohannem. *Non igitur omnia quæ Dominus fecit, scripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quàm ad dogmata putarunt sufficere: vt recta fide & operibus, ac virtute rutilantes ad regnum cœlorum perueniamus.* Dum igitur Bellarminus contrarium pro fidei principio ponit, sumit illud quod est in principio. Traditionis de fide exemplum statuit, *quòd Beata Maria fuerit semper virgo.* At contrarium docet Basilius homil. de Natiuitate Domini. *Vsque ad dispensationis,* inquit, *mysterium necessaria erat virginitas; quod verò deinceps secutum est, nullam curiositatem rationi mysterij exhibet.* Traditionis de Moribus exemplum dicit esse, *quod certis diebus ieiunia & festa celebrentur,* &c. Sed neque hoc patrum memoria pro traditione habitum est. Socrates enim lib. 5. cap. 21. & Sozomenus lib. 7. c. 19. dicunt Apostolos *cuilibet concessisse liberam potestatem.* Si tamen quis pertinaciùs vrserit, ille sciat Montanum esse *primum, qui ieiuniorum leges imposuerit,* vt docet Eusebius lib. 5. cap. 18. Posteà dicit, *quæ rursus aut sunt perpetuæ, aut temporales: & vel vniuersales, vel particulares: vel necessariæ, vel liberæ.* Si hoc refert ad traditiones, de fide & morib. simul, tum rursus errat. Omnes enim traditiones de fide, ad salutem necessariæ sunt perpetuæ, vniuersales, & necessariæ, neque vlla dari potest, quæ sit temporalis,

particularis

particularis & libera. Si verò has posteriores tres partitiones tantùm de ritibus intelligit, tum sunt veræ. Atque hæc de partitionibus.

CAPVT III.
Orthodoxa sententia de Traditionum varietate proponitur.

PApisticam sententiam de Traditionum varietate refutauimus capite superiore, sequitur vt orthodoxæ Ecclesiæ sententiam explicemus. Illa est huiusmodi, Traditiones omnes esse vel diuinas, vel humanas. Nam cùm omnes Traditiones, quarum in Ecclesiasticis scriptoribus mentio fit, vel à Deo, vel ab homine profectæ sint, quemadmodum cap. primo ostendimus, sequitur eas omnes vel diuinas, vel humanas esse. Diuinæ sunt vel immediatè à Deo profectæ, vel mediatè. Immediatè, vt S. Cœna, &c. Et hæ omnes sunt literis consignatæ. Nulla enim est immediatè à Deo profecta, quæ non sit literis consignata. Quæ verò mediatè à Deo per Apostolos constitutæ sunt, illæ vel pertinent ad fidem, & mores, vel ad decorum. Fidem voco ipsam doctrinam, mores dico vitæ honestatem. Hæc omnia sunt literis consignata & immutabilia. Vtrumque certius & notius, quàm vt vlla probatione opus sit. Quæ ad decorum pertinent, possunt subdiuidi, vel in essentialia decori, vel in accidentalia. Essentiale voco illud morale, quod in decoro est, accidentalia voco externas circumstantias. Illud est literis consignatum, & immutabile. 1. Cor. 14. 40. *Omnia decenter & ordine fiant.* Horum quædam sunt literis consi-

consuetudinem suam consuetudini alterius præponere conatur? non enim mihi de libro Dei hæc recitaturus est, aut vniuersa quacunque dilatatur, Ecclesia plena voce certabit, aut ostendet eum contra fidem facere, se autem secundum fidem moresq; hinc optimos, aut se violare, aut se custodire conuincet. Violant sanè quietem & pacem suam de superflua quæstione rixando. Mallem tamen in rebus eiusmodi, vt & ille in huius, & hic in illius patria, ab eo quod cæteri faciunt, non abhorreret. Aliud exemplum habemus in Paulo, ille *Timotheum circumcidit.* Acto. 16.3. *Titum non voluit circumcidere,* ad Gal. 2.3. Quatenus verò non faciunt ad ædificationem, possunt salua consciẽtia omitti, & si fortè p occasionẽ impediũt ędificationẽ, debẽt omnino & necessariò omitti. Pręter has Traditiones, est & alia humana Traditio quæ pugnat cum Dei verbo, & cum bona conscientia obseruari non potest. Hæc prorsus abroganda est. Atque hæc est orthodoxæ Apostolicæ ecclesiæ de Traditionum varietate sententia.

CAPVT IV.

De Statu controuersiæ.

QVotuplex sit secundum orthodoxos Traditio, explicuimus cap. sup. Nunc ipsã controuersiã aggrediemur. Ac primùm ostendemus quis sit huius controuersiæ status. Hunc Bellarminus ita definit, vt planè appareat eum repugnante conscientia de hac controuersia scripsisse. Dicit n. hunc esse controuersiæ statum, *oĩa ad salutẽ necessaria Dei verbo expressè contineri,* & huius sententiæ affirmatiuam nobis tribuit, negatiuam verò sibi vendicat. Verùm Bellarmine, si propriè loqueris, & ita sentis, tum à

via

via aberras. Non enim dicimus omnia ad salutem necessaria expressè contineri in Dei verbo. Asserimus enim quædam expressè in Dei verbo contineri, quædam necessariò ex eo deduci. Exempli gratia, Baptismus puerorum, consubstantialitas patris & filij non expressis verbis in scriptura posita sunt, sed necessariò ex ea colliguntur. Atque hæc non tantùm est nostra sententia, sed & veteres idem nobiscũ hac in re sentiunt. Vid. Nazianz. lib. 5. de Theolog. Basil. de vera fide. August. de Baptismo cont. Donatist. lib. 2. cap. 14. Et lib. 4. 23. Idem docent omnes nostri doctores. Chēnit. in Exam. Concil. Trid. Part. 1. in 5. gen. Tradit. Caluinus lib. 1. instit. cap. 13. §. 5. Sadel. de verb. Dei scripto. cap. 5. Si igitur Bellarminus statum controuersiæ se ita habere putauit, valdè errat. Si verò sciuit rem aliter se habere, tum verum est quod dixi, eum mala consciẽtia scribere, & dum statum controuersiæ peruertit, eum hoc agere, vt imperitorum iudicia peruertat. Non igitur ille est status controuersiæ, quem posuit Bellarminus. Sed status hoc cardine vertitur, omniáne ad salutem necessaria verbo Dei scripto siue expressè, siue non expressè contineantur. Nos aimus & dicimus, omnia quæ ad salutem necessaria sunt, verbo Dei scripto contineri, idque in hunc modum, vt vel in eo expressa sint, vel ex eo necessariò deduci possint. Papistæ hoc negant, & dicunt omnia ad salutem necessaria non contineri verbo scripto, ita, vt illa omnia neque in verbo scripto expressè posita sint, neque ex eo necessariò deduci possint. Præter hanc controuersiam Bellarminus statuit & aliam,

nempè

nempè *omnes Apostolicas traditiones esse omnibus hominibus, semper, & omni tempore seruandas*. Quod miror homini literato excidisse. Nam *prohibitio sanguinis & suffocati*, Act. 15. 29. est traditio Apostolica, & iam ante multa secula desijt. Quod ipse Bellarminus negare non potest. Possem alia exempla adducere, sed hoc vnum est ita illustre, vt sit instar omnium. Quod autem ad rem attinet, dico Apostolicas traditiones alias esse de doctrina & moribus, de quibus non cōtendimus, anathema enim sit, qui eas negat obseruādas esse: alias περὶ τοῦ πρέποντος; Et in his dicimus duo esse, vnum essentiale, vtpote ipsam vtilitatem, vel ædificationem proximi: alterum accidentale, vtpote externas circumstantias: videlicet, personas, tempus, locum & materiam. Illud dicimus omnibus hominibus esse obseruandum, hoc esse à nobis referendū ad ædificationem proximi, quemadmodum antè ostendi. *Cùm tempore ieiunij quadragesimæ hospes quidam valdè fessus diuerteret ad Spyridonem, & Spyridon ei carnes iuberet apponi, recusauit hospes, & dixit, se Christianum esse*; respondit Spyridon ταύτῃ μᾶλλον οὐ παραιτητέον. Πάντα γὰρ καθαρὰ τοῖς καθαροῖς. Sozomenus lib. 1. cap. 11. Eodem modo Paulus circumcidit Timotheum, & Titum non circumcidit. Verùm totum hoc est superuacuum. Nam si prior controuersia decidi potest, tum hęc non est necessaria, & si prior non potest componi, tum hæc est superuacua. Bellarminus etiā tertiam controuersiam adiungit, nempè *esse rationem inueniendarum Apostolicarum Traditionum*. At hoc prorsus nihil facit ad rem. Cœna enim Domini est Apostolica Traditio. Nam in 1. ad Corinth. cap.

11. vers.

11.v.23. dicit *sibi à Domino traditum esse.* Quis autem negat esse rationem, qua possimus cognoscere hanc esse Apostolicam? Bellarmin. ergo hîc pugnat sine aduersario. Si tamen quis rem ipsam intuetur, ille videt hunc esse cardinem controuersiæ, videlicet sintne omnes ritus, ceremoniæ, doctrinæ, & omnes doctrinæ partes, quæcunque in papistica synagoga vsurpantur, æquè obseruanda, atque scriptum Dei verbum? Nam cùm de aliquo dogmate controuerso contendimus, vident papistæ, an illud ex sacris literis probare possint, si hoc facere non possunt, trãseunt ad Apocrypha, si illa non habẽt auxilium, pergunt ad versionem vulgatam, si neque illa auxilium afferre potest; pergunt ad papæ interpretationem. Verùm si neque illa auxilium habet, contendunt ad vltimum effugium, nempe ad Traditionem. Hoc modo purgatorium, cœlibatum sacerdotum, intercessionem sanctorum, adorationem mortuorum, eleuationem & adorationem Dei panacei, & multa alia defendunt. Vnde apparet hunc esse verę controuersię statum inter orthodoxos & papistas. Sintne omnia ista, quæ in papistica Synagoga vsurpantur æquè obseruanda, atque verbum Dei scriptum? hoc est, an consuetudo Romanę Ecclesiæ sit Christianorum dogmatum principium? Huius negatiuam orthodoxi sustinent. Et existimo Bellarminum non ita contemnere posteritatis iudicium, vt audeat affirmatiuam tueri. Et vt omnia in pauca contraham. Quæritur primùm an omnia ad salutem necessaria verbo scripto contineantur? Nos hoc contendimus, Papistæ negant. Quæritur secundò, an omnes traditio-

ditiones Apoſtolicæ ſint omni tempore & loco, ab omnibus hominibus obſeruandæ. Nos hoc κατὰ τὶ negamus. Papiſtæ ἁπλῶς affirmant. Quæritur tertiò, an omnes papiſtici ritus, ceremoniȩ & dogmata ſint æquè obſeruanda, atque verbum Dei ſcriptum, hoc eſt, num conſuetudo Romanæ Eccleſiæ ſit Chriſtianorum dogmatum principium? Nos negamus, Papiſtæ affirmant. Atque hæc de ſtatu controuerſiæ.

CAPVT V.

Bellarminus negat ſcripturam eſſe neceſſariam.

STatum huius controuerſiæ explicuimus capite ſuperiore, ſequitur vt ad Bellarmini argumenta reſpondeamus. Ille autem primo loco duo probanda recipit. Vnum, *Scripturam non eſſe neceſſariam.* Alterum, *Scripturam non continere ſufficientem doctrinam ad ſalutem.* Vtrumque aliquot argumentis probare conatur, & argumenta illa inter ſe miſcet. Nos verò ſeparabimus argumenta eius, & prius reſpondebimus ad illa, quibus contendit ſcripturam non eſſe neceſſariam. Deinde refutabimus & illa, quibus aſſerit, ſcripturam non eſſe ſufficientem. Primum argumentum quo probat ſcripturam non eſſe neceſſariam, eſt. Quia *Eccleſia longo tempore fuit abſque ſcriptura.*

Sine quo Eccleſia aliquo tēpore eſſe potuit, illud Eccleſiæ neceſſariū nōn eſt. Sed ſine ſcriptura Eccleſia aliquo tempore eſſe potuit. Ergo ſcriptura non eſt Eccleſiæ neceſſaria.

Bellar. præterita Maiore ꝓbat Minorē, & dicit *eccleſiam Iudaicā à tēpore creationis vſq; ad ætatē Moſis abſq; ſcript. cōſeruatā eſſe.* Hoc cōcedimus. Fatemur n. Deū

tempore

tẽpore Mosis fuisse primũ scriptorem libri Canonici. Deinde dicit *ecclesiam Christianam longo tempore fuisse absque scriptura.* Sed hoc falsum est. Tempore enim Christi erat vetus Testamentum, ex eo Christus & Apostoli suam doctrinam probabant, illud & in Synagogis Iudæorum, & in Ecclesijs Christianorum semper legebatur, Ioh. 5. *Scrutamini Scripturas.* Luc. 16. *Habent Mosen & Prophetas.* Act. 17. *Berhoënses scrutabantur scripturam.* Vnde apparet falsum esse quod inquit Bellarminus, Ecclesiam Christi longo tempore fuisse absque scriptura. Hæc de probationibus Bellarmini. Nunc ad Argumentum respondebimus, & dicimus in Maiore esse fallaciam à secũdum quid ad simpliciter. Et est perinde ac si dicam. Bellarmino infanti præter vbera materna nullus aliꝰ cibus erat necessarius. Ergo & nunc ei nullus aliũs cibus est necessarius. Item, Deus potest nos alere absque cibo & potu. Ergo cibus & potus ad vitam sustentandam non est necessarius, Vel, Deus potest nos absque institutione & industria doctos reddere. Ergo neque industria, neque institutio ad eruditionem assequendam sunt necessaria. Vel denique in hunc modum. Moses & Elias potuerunt vitam 40. dies absque cibo retinere. Ergo illis cibus & potus non fuit necessarius. Neque tamen affirmamus scripturam esse absolutè necessariam. Et si hoc Bellarminus vult, nulla est inter nos controuersia. Si autem existimat eam prorsus non esse necessariam, in graui versatur errore, quemadmodum deinde ostendemus.

Secundum Argumentum, *Quia gentes tempore Veteris*

teris Testamenti absque scriptura saluati sunt.

Sine quo gentes tempore veteris T. seruari potuerunt, illud non est necessariũ. Sed scriptura non vsæ sunt gentes, & proinde sine ea salvatæ sunt. Ergo scriptura non est necessaria.

Ad Maiorem nunc non respondebimus, sed simpliciter negamus Minorem. Act. n. 8, 27. *Æthiops legebat Esaiam*. Ptolomæus item Philadelphus rex Ægypti curauit scripturam in gręcam linguam conuerti. Vnde apparet Minorem falsam esse. Neque tamen negabo maiorem cognitionem fuisse in Israele, quàm in gentilismo.

Tertium argumentum. *Quia Christus non mandauit vt aliquid scriberetur.*

Quod Christus non præcepit, hoc non est necessariũ. Sed vt verbũ Dei scriberetur, non pręcepit Christus. Ergo scriptura non est necessaria.

Si Bellarminus Maiorem intelligit de manifesto præcepto, tum Maior nõ est vera. Multa enim Deus non manifestè, sed occultè præcipit, quæ tamẽ sunt necessaria, 2. Pet. 1, 21. *Non enim libidine hominis allata est olim prophetia, sed acti à Spiritu Sancto locuti sunt sancti Dei homines.* Cùm tamen de omnibus prophetis manifestum mandatũ non exstet. Sed hoc mandatum est interna illa Spiritus Inspiratio, de qua loquitur in 2. ad Timoth. cap. 3. Deinde & Minor est simpliciter falsa. Expressum enim mandatum est, Apoc. 1, 11. *Scribe quæ vidisti.* & Apoc. 14, 13. *Audiui vocem dicentem, scribe.* Si Bellarminus regerit in reliquis libris non esse expressum mandatum, Respondeo neque in omnibus libris V. T. esse expressum

mandatũ. Deinde si existimat reliquos libros nullo mandato neque manifesto, neque occulto scriptos esse, vehemẽter errat. Semper enim valet illa regula, *tota scriptura est diuinitùs inspirata*, hoc est, queadmodum Syrus interpres reddidit; *Scriptura est per spiritum scripta*. Cùm igitur neque maior, neque minor vera sint, sequitur conclusionem veram non esse.

Quartũ argumentũ. *Quia Iudæi vsi sunt traditionibus.* Iudæi vsi sunt traditionibus. Ergo Scriptura non est necessaria.

Antecedens probat Bellarminus ex testimoniis, quæ ordine expendemus. Primum est, Exod. 13, 8. *Annunciabis filio tuo in die illo*, dicens, *hoc est, quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto.* At hoc loco loquitur Moses de Pascha, quod est memoriale liberationis ex Ægypto. Hoc verò totum scriptum est. Secundum, Deut. 32, 7. *Interroga patrem tuum, & nunciabit tibi, quando excelsus distribuit gentibus hæreditates.* At hoc loco loquitur primùm de *diuisione regionum & patriarum*, vt inquit Vatablus. Illa verò diuisio est scripta, Genes. 11, 8. Deinde de *hæreditate data Israeli* vt idem Vatablus docet. Sed & hæc historia scripta est. Tertium, Iud. 6, 13. *Vbinam sunt omnia mirabilia, quæ narrauerunt nobis patres nostri, dicendo; nonne de Ægypto eduxit nos Iehoua?* At hoc loco loquitur de liberatione ex Ægypto: Ea verò tota scripta est. Quartum, Iob. 8, 8. *Interroga ætatem priorem, quia ab heri sumus, & nescimus, cùm velut vmbra sint dies nostri.* At hoc loco Bildad nihil aliud docet, quàm ipsam experientiam testari, vitam nostrã esse breuem, & tanquam vmbram. Id verò non est traditum

ditum à patribus, sed ab ipso Deo ita constitutum. Quintum, Psalm. 44, 1. *Patres nostri narrauerunt nobis opus, quod operatus est in diebus illorum: Tu tua manu gentes expulisti &c.* At hoc loco loquitur de exstirpatione Chananæorum. Illa verò tota scripta est. Sextum, Psal. 78, 3. *Quæ audiuimus & cognouimus* &c. At hoc loco loquitur de promulgatione legis, de fœdere inito cum Iacob, de liberatione ex Egypto, de donatione terræ Chanaan, & similibus. Ea verò omnia scripta sunt. Dicere autem, m..i

Iudæi vsi sunt traditionibus scriptis. Ergo Scriptura non est necessaria, est insanire. Scriptura enim nihil aliud est, quàm traditio scripta.

Deinde Iudæi habebãt duplices traditiones. Vnas scriptas. Alteras non scriptas. Scriptæ Traditiones sunt ipsa scriptura. Exempla antè ex Bellarmino posui. Non scriptæ sunt illæ, quæ ab hominibus posteà inventæ sunt. Matth. 15, 2. *Discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum. Non enim lauant manus, cùm panem comedunt*, & similes. Illæ sunt norma & regula omnium dogmatum in Iudaica religione, Esa. 8, 20. *Ad legem & testimonium*, Act. 26, 22. *Nec quicquam dicens extra ea, quæ Prophetæ & Moses prædixerunt*. Hæ verò non sunt regula, neque norma dogmatum. Quandoque enim pugnant cum scriptura, Matth. 15, 3. *Vos transgredimini præceptum domini per traditionem*. Ezech. 20, 18. *in præceptis patrum vestrorum ne incedatis*. Et ob eandem causam harũ regula & norma est verbum scriptum. Quatenus enim cum eo congruunt, sunt tollerandæ, quatenus verò ab eo dissentiunt, sunt abijciendæ. Siue igitur traditiones

 in prima

in prima significatione accipis, siue in secũda, semper sequetur scripturam esse necessariam. Nam si de scriptis traditionibus accipis, tum scriptura est necessaria. Hæc enim nihil aliud est, quàm scripta traditio. Si verò de non scriptis accipis, tum etiam scriptura est necessaria. Illæ enim ex scriptura dijudicandæ sunt. Manifestum igitur ipsam scripturam esse necessariam. Atque hæc sunt Bellarmini argumenta, quibus voluit probare, scripturam non esse necessariam.

CAPVT VI.

Scripturam esse necessariam.

BEllarmini argumenta, quibus voluit probare Scripturam non esse necessariam, refutauimus capite superiore. Sequitur vt ostendamus eam esse necessariam. Priusquam autem hoc faciemus, operæ pretium erit explicare, de qua necessitate hoc intelligamus. Non igitur hoc intelligimus de absoluta necessitate, sed de ea necessitate, quam vocant ex hypothesi. Posito enim eo, quòd Deus verbũ suum voluit scribi, necessariò scriptum est. Hoc ita esse vno atque altero argumento ostendemus. Primum argumentum. *Quia puritas Religionis absque scriptura conseruari non potuit.*

Sine quo Religionis puritas conseruari non potest, illud est necessarium. Sed sine scriptura puritas religionis conseruari non potest. Ergo Scriptura est necessaria.

Maiorem libenter dabit Bellarminus, & ne quis frustrà contradicat, loquor in toto hoc capite de neces-

necesſitate hypothetica. Minorem probo. Adam tanquam Epiſcopus in ſua familia docuit ſuos filios verum Dei cultum. Eius poſteri non tantùm ex Cain, ſed etiam ex Set, corruperunt religionem, quam deinceps Enochus redintegravit. Geneſ. 4, 26. *Ille cœpit inuocare nomen Domini.* Sequitur ergo Enochum collapſam Religionem reſtituiſſe. Hinc colligi poteſt, trecenteſimo anno à condito orbe cultum Dei, qui per inuocationem ſynecdochicῶs intelligitur, ferè planè interijſſe. Eò enim impietatis etiam Adam adhuc viuente progreſsi ſunt nepotes Adæ, vt Deum inuocare deſierint. Cultum igitur Dei collapſum reſtituit Enoch. Ille rurſus tempore Noë penè corruptus fuit, Geneſ. 6, 12. *omnis caro corrupit viam ſuam.* Noë reſtituit cultum Dei. Hunc eius poſteri ferè eadem ætate, qua diluuium contigit, rurſus corruperunt. Nimrod enim fuiſſe Idololatram teſtatur Beroſus lib. 4. Sed & poſteri Sem cultum Dei corruperunt Noë adhuc viuente. *Nahor enim & Thare fuerunt Idololatræ*, Num. 24, 2. Poſt Nachor Abraham reſtituit cultum diuinum. Eius poſteri poſt paucos annos rurſus corruperunt cultum Dei, & facti ſunt Idololatræ. Ezech. 20, 8. Idololatriam Ægypticam abrogauit Moſes, & reſtituit verum Dei cultum. Sed penè eodem tempore relapſi ſunt ad Idololatriam, Exod. 32, 4. Ex his apparet verum Dei cultum non potuiſſe conſeruari, niſi ſubinde ſanctos homines excitaſſet, qui cultum collapſum inſtauraſſent. Hoc autem cùm tam crebrò facere non vellet, ipſe legem, ſecundùm quam coli voluit, cœpit ſcribere. Exod. 31, 18. Et præcepit

Mosi vt idem scriberet. Hinc manifestum est, Scripturam veteris Testamenti esse necessariã. Sed quod de Scriptura Veteris Testamenti dixi: idem de scriptura N. T. ita esse ostendam. Nam cùm Apostoli viua tantùm voce docerēt, subingresi sunt pseudoapostoli, qui falsam doctrinam seminabant. Ob hanc causam Apostoli conuenerunt Ierosolymæ, vt ei rei remedium inuenirent, atque istic simul congregati cœperunt scribere, idq; auctore Spiritu Sancto. Dicunt enim *visum est Spiritui S. & nobis*. Act. 15, 24. Vnde apparet & in N. T. verum Dei cultū sine scriptura non potuisse cōseruari. Sequitur ergo Scripturam novi Testamenti esse necessariam. Secundum argumentum, quia Deus præcepit scribere.

Quod Deus præcepit, hoc est necessarium. Sed Deus præcepit verbū suum in V. & in N. Testamento scribi. Ergo scriptura est necessaria.

Maiorem non negabit Bellarminus. Minorem probo. Fidelis legatus non aliter explicat mandatum sui Domini, quàm Dominus præcepit, & mãdauit. Sed Prophetæ & Apostoli fuerunt fideles legati. Ergo Apostoli & Prophetæ non aliter explicuerūt Domini Iesu mandatū, quàm ipse præceperat. Hoc ita manifestum est, vt non sperem, Bellarminum quicquam ex hoc negaturum esse. Subiungo igitur, Apostoli non aliter explicuerunt mandatū Domini Iesu, quàm Dominus mandauit & præcepit. Sed illi explicuerunt mandatum suum viua voce & scriptis litteris. Ergo vtrumque est ex Dei mãdato. Deinde manifestū mandatū exstat in sacris literis. Apo. 1, 11. *Scribe quæ vidisti*. Apo. 14, 13. *Audiui vocem dicentem*,

scribe.

scribe. Præterea Act. 15. ex decreto Spiritus Sancti primum scriptũ Novi Testamenti scribitur. Matth. 28. vers. 19. Dominus iussit *eos docere omnes gentes,* sed hoc facere viva voce non potuerũt. Etsi n. plurimas gentes adierunt, omnes tamen adire non potuerũt: neque omni tempore potuerũt. Omnes enim Apostoli ante mille quingentos annos mortui sunt. Necessariò igitur scripserunt, vt absentes & posteros scriptis docerent. Huc accedit *omnem scripturam esse diuinitus inspiratam,* hoc est *per spiritum scriptam,* 2. Tim. 3, 21. Cum hoc congruit illud Augustini lib. 1. de Consensu Euangelistarum cap. vlt. *Quicquid corpus operante manu facit, hoc caput fecisse censetur.* Sed Apostoli sunt membra Christi. Ergo quod illi scripserunt, hoc caput scripsit. Cùm igitur ipse Christus scripserit N. T. per suos apostolos, quis negabit illud esse necessariũ? Tertium. Quia nobis Scriptura necessariò servanda.

Quod autem necessariò servare debemus, hoc est necessarium: Sed Scriptura nobis necessariò servanda est. Ergo scriptura est necessaria.

Maiorem fatebitur Bellarminus, Minorem probo, 2. Thess. 2. *Tenete traditiones siue per sermonem, siue per Epistolam.* Iohan. 22. *Hæc scripta sunt vt credatis, & vt credentes vitam æternam habeatis.*

Quartum Argumentum. Quia sine scriptura verum Dei cultum à falsò distinguere non possumus.

Sine quo verum Dei cultum à falsò distinguere non possumus, illud est necessarium: Sed sine Scriptura verum Dei cultũ à falsò distinguere non possumus. Ergo Scriptura est necessaria.

Maiorem non negabit Bellarminus. Minorem probo, Es. 8, 20. *Ad legem & Testimonium*. Iosaphat collapsum Dei cultum instaurat ad normam libri legis, 2. Paral. 17. Ezechias item collapsum Dei cultum instaurat ad normam libri legis. 2. Paral. 31. Idem fecit Iosias, 2. Reg. 23, Idem fecit Christus. Idem fecerunt Apostoli, Act. 26, 22. Si igitur volumus feliciter errores abrogare, eodem modo nobis faciendū est. Cùm igitur vera religio absque verbo scripto conseruari non potuerit, & cùm verbū ex mandato Dei scriptum sit, & necessariò à nobis obseruari debeat, & cùm verus Dei cultus à falso non possit distingui, nisi ex verbo scripto, manifestum est, Scripturam esse necessariam.

Capvt VII.

Bellarminus probare conatur scripturam non esse sufficientem.

Scripturam esse necessariam probavimus capite superiore. Sequitur, vt Bellarmini argumenta excutiamus, quibus negat integram & sufficientem salutis doctrinam contineri in scriptura. Primùm eius argumentum est huiusmodi. *Quia neque totus canon sufficiens est, neque singuli libri sufficientes sunt*. Quòd singuli libri sufficientes nō sunt, hoc fatemur. Quòd verò dicit neque totum canonem sufficientem esse, hoc negamus. Ille hoc probat, *quia multi libri, qui fuerunt in canone, perierunt*.

Ille canon, ex quo aliqui libri perierūt, non continet integram & sufficientem salutis doctrinam. Sed ex isto Canone, quem nos nunc habemus,

bemus, perierunt multi libri. Ergo ille canon non continet sufficientem salutis doctrinam.

Nos primùm negamus Maiorem. Potest enim eadem doctrina vel in diversis libris scripta esse, vel potuit etiam in aliis libris iterari. Maior igitur vera non est, nisi formetur in hunc modum. Ille canon ex quo aliqui libri perierunt, non cōtinet integram & perfectam salutis doctrinam, sc. si doctrina salutis, quæ in libris perditis comprehensa erat, non exstat in aliis libris, vel ijsdē verbis, vel diversis verbis, vel deniq; si ista doctrina non est in aliis libris repetita. Et ne videamur hanc rem quasi incertam prętermittere, ostendemus doctrinā salutis in V. Testamento, quod nunc exstat, perfectè contineri. Ac primùm extra controuersiam pono exstare nunc eosdem libros V. T. & prorsus eodem modo, atque tempore Christi exstabant, & qui libri nūc perditi sunt, etiam tum perditi erant. Sed tempore Christi perfecta salutis doctrina exstabat in Canone Hebræo, Luc. 16, 29. *Habent Mosen & Prophetas; illos audiant.* quasi dicat, Si non volunt in eum locum venire, audiant Mosen & Prophetas. Vnde comprobauit Mosen & Prophetas habere perfectam doctrinam salutis. Docet enim quomodo possimus condemnationem effugere. Et ne sit necesse hoc multis argumentis probare, Apostolus disertè dicit, Act. 26, 22. *se nihil dicere extra ea, quæ Moses & Prophetæ futura prædixerant.* At ille annunciauit perfectam salutis doctrinā. Sequitur ergò in Mose & Prophetis esse perfectam salutis doctrinam. Deinde controuersia est de libris perditis. Sed sunt magni viri qui iudicant nullos

omnino libros canonicos perijsse: & inter eos vir doctissimus, & sacrarum scripturarum interpres fidelissimus Franciscus Iunius; hoc docet in Commentario ad Epistolam Iudæ. Verùm etiamsi statuamus aliquos libros veteris Testamenti perijsse, tamę ex antedictis argumentis apparet, perfectam salutis doctrinam in superstitibus libris Veteris Testamenti exstare.

Secundum argumentum: *Quia multa in Veteri Testamento non exstant, quæ tamē sunt ad salutē necessaria.* In quo multa desunt, quæ sunt ad salutem necessaria; hoc non habet perfectam doctrinam salutis. Sed in V. Testamento, multa desunt, quę sunt ad salutem necessaria. Ergo Vetus Testamentū non habet perfectam doctrinā salutis.

Minorem probat, primùm, *Quia in V. Testamento non traditur quo modo fœminæ purgatæ fuerint à peccato originali. Non enim circumcidebantur, vt masculi, qui per circumcisionem liberabantur à peccato originali.* Si putat Bellarminus masculos liberatos esse à peccato originali per circumcisionē opere operato, vt aiunt, tum errat; quemadmodum suo loco ostendemus. Quod verò ad femellas attinet, illæ non prorsus erāt incircumcisæ. Circumcidebātur enim in viris. Gen. 34, 14. *Non possumus sororem nostram dare homini incircumciso.* Ergo non iudicarūt eam planē incircumcisam esse. Opponunt enim eam incircumciso. Deinde femellæ liberabātur à peccato originali per satisfactionem futuri Messiæ. Magister sententiarum lib. 4. Distinct. 1. cap. 4. dicit *mulieres adultas per fidem suam, & operationem bonam iustificatas esse, paruulas per*

fidem

fidem parentum. Quod dicit adultas per fidem propriam iustificatas esse, accipimus. Quod verò dicit paruulas per fidem parentum iustificatas esse, in Dei verbo non est. Rectissimum est dicere vtrasque per satisfactionem futuri Messiæ iustificatas esse. Et hoc est expressum in sac. litteris. Es. 53. *Propter scelus populi mei percussi eum.* At non tantùm adulti, sed & infantes, neque tantùm masculi, sed & femellæ ad populum Dei pertinebant. Ergo quicunque in Veteri Testamento seruati sunt, illi propter passionē Christi seruati sunt. Secundò dicit *non exstare in V. T. quomodo infantes, qui ante octauum diem moriebantur, à peccato originali liberabantur.* Sed modum istum docet Thomas, 3. 70. 4. 3. *Si tamen aliqui incircumcisi mortui sunt, eadem ratio est de his, & de his qui moriebatur ante circumcisionis institutionem. Quod etiam intelligendum est de pueris, qui moriebantur ante octauum diem tempore legis. Hos verò sola fidē Christi futuri iustificatos esse* docuit argumētō præcedēte. Ergo statuit istos infantes p fidē in Christū iustificatos esse. Idē docet Gregor. de cōsecrat. Dist. 4. c. Quod apud. Sed ex hac Thomę responsione sumemus illud, quod verū est. Infantes igitur, cùm non habeant fidem, rectiùs dicuntur per Christi satisfactionem iustificati esse, vt antè de mulieribus ostendimus. Quomodo verò illa futura iustificatio fuerit illis applicata, docebimus suo loco. Tertiò, dicit *non extare in Veteri Testamento, quomodò Proselyti iustificati fuerint.* Sed hoc est falsum. Proselyti enim eodē modo iustificabantur, atque Iudæi. Nam quod ad *pascha, sacrificia, & oblationes attinet, eadem lex erat Iudæis & proselytis*, Num. 9, 14. & 15, 15. 29. 30. & 35,

& 35, 15. Vnde ſequitur etiam ad ea, quæ per ſacrificia ſignificabantur, eandem vtriſque legem fuiſſe. Et hoc videntur ipſę gentes non ignoraſſe, Num. 25, 10. *Moriatur anima mea morte Iuſtorum, & ſit nouiſſimum meum ſicut ipſe.* Vnde apparet Bileam exiſtimaſſe ſe eodem modo ſaluandum eſſe (ſi tamen ſalvandus erat) quo Iudæi ſaluabantur. Cùm igitur in veteri T. ſcriptū ſit, quomodo mulieres & infantes, ante octauū diem mortui, item quomodo proſelyti iuſtificati fuerint, manifeſtum eſt hanc obiectionem falſam eſſe. Tertium argumentum, *quia ex ſcriptura non conſtat, quinam libri ſint ſacra ſcriptura.*

Ex quo non conſtat, quinam libri ſint ſacra Scriptura, illud non continet perfectā doctrinam ſalutis. Sed ex verbo ſcripto non conſtat, quinam libri ſint ſac. Scriptura. Ergo verbum ſcriptum non cōtinet perfectam ſalutis doctrinā.

Nos negamus Minorem. Scriptura enim vt reliqua omnia principia per ſe nota eſt. Deinde Scriptura ipſa clamat ſe per ſe notam eſſe, 2. Pet. 1, 19. *Scriptura eſt lucerna lucens in obſcuro loco.* Sed quicquid in obſcuro loco lucet, hoc per ſe notum eſt: Ergo Scriptura per ſe nota eſt. Pſal. 119: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Sed lucerna oſtendens pedibus noſtris viam per ſe nota eſt. Manifeſtum igitur ſcripturam per ſe notam eſſe. Hac ratione reiectum eſt Euangelium Bartholomæi, quia idipſum ſignificabat, ſe nōn eſſe purum Euangelium. Idem dico de Euangelio Thomæ. Quod verò ad *Epiſtolam ad Laodicenſes* attinet, talis nunquam ſcripta fuit. Et cùm Bellarminus hæc ſcriberet, credibile eſt, eum

Pauli

Pauli locum non inſpexiſſe. Dicit enim Paulus: *Et eam quæ ſcripta eſt ex Laodicæa, vt vos quoq; legatis*, Col. 4, 16. h. e. non dicit legite eam, quam ego ad Laodicenſes ſcripſi, ſed quę ex Laodicæa ſcripta eſt. Quam multi putant fuiſſe ipſorum Laodicenſium. Chryſoſtomus & Oecumenius ad dictum locum. Quod autem Bellarminus prætendit: Scripturam non eſſe omnibus æquè notam, ergo non eſſe per ſe notam; ridiculum eſt. Principia enim alia ſunt naturalia, alia Spiritualia. Naturalia principia omnibus naturalibus hominib. per ſe æquè nota ſunt. Principia verò ſpiritualia tantùm ſpiritualibus per ſe nota ſunt. Neque refert, quod Bellarminus regerit, hæc principia non eſſe omnib. ſpiritualib. æquè nota. omnes enim homines non ſunt æquè ſpirituales. Non enim accipiunt ſpiritum eadem menſura omnes, quid mirum igitur, Si in diſcernendo diſcrepant. Sanè non negabit Bellarminus Origenem, Euſebium, Cyprianum, Athanaſium, Melitonem, Hieronymum, patres Laodicenſes, Nazianzenum, Epiphanium, Cyrillum, & Auguſtinum habuiſſe eundem Spiritum ſanctum. Et tamen hi omnes non idem ſtatuunt de omnibus libris canonicis. Proinde etiam Lutherus & Caluinus potuerũt habere eundẽ Spiritum Chriſti. Et tamen potuerunt de *Epiſtola Iacobi* contrarium ſentire.

Quartum argumentum. *Quia ex nulla alia re poſſumus cognoſcere, Quinam libri ſint Canonici, quàm ex traditione.*

Ex qua ſola & vnica re cognoſcimus quinam libri ſint Canonici, abſque illa ſcriptura non eſt ſufficiens.

ficiens. Sed traditio est sola & vnica illa res, ex qua cognoscimus, quinam libri sint canonici. Ergo scriptura absq; traditiõe nõ est sufficiẽs.

Minorem, quam negamus, probat Bellarminus aliquot testimoniis patrum, quæ ordine expendemus. Ac primùm dicit hoc verum esse, *Quia Serapion apud Eusebium lib. 6. cap. 10. hoc dicit.*

Quicquid dicit Serapion, hoc verum est. Sed Serapion dicit ex nulla alia re posse cognosci, quinam libri sint Canonici, quàm ex traditione. Ergo ex sola & vnica traditione cognoscitur, Quinam libri sint Canonici.

Quoniam Serapionis nihil exstat, ideo non possumus de Maiore quicquam dicere. Eam igitur in dubio relinquentes respondemus ad Minorem, & dicimus eam falsam esse. Serapion enim ne quidem Traditionis meminit. Dicit n. γινώσκοντες ὅτι τὰ τοιαῦτα οὐ παρελάβομεν. Hoc Ruffinus vertit, *scientes quòd talia nobis non sunt tradita*. Deinde Serapion dicit in ipsis libris fuisse, per quod reprobari potuerunt. Ac primùm dicit se *quædam falsa in eo* (loquitur de Euangelio Petri) *scripta refutasse*. Deinde dicit in eo libro fuisse quædam secundum recti rationem, *quædam aliter*. Vnde apparet Serapionem Euangelium Petri reprobasse propter falsa quædam, quibus aspersum erat. Hinc sic colligo,

Per quæ Serapion Euangelium Petri à reliquis Canonicis distinxit, per ea ipsa & nos malos libros à Canonicis distinguere debemus. Sed Serapion distinxit Euangelium Petri à Canonicis libris, per falsa quædam & mendacia, quę

in eo posita erant. Ergo & nos ex ipsis libris petere debemus, per quod illos ab Apostolicis distinguere debemus.

Secunda probatio Minoris. Quia Clemens dicit apud Eusebium lib. 6. cap. 11, *Se secundum traditionem sibi à senioribus commendatam docere, quæ nam sint vera Euangelia.*

Secundum quod Clemens docet quænam sint vera Euangelia, per illud solum cognosci possunt: Sed traditio est illud, secundum quod Clemens docet quænam sint vera Euangelia. Ergo per solam & vnicam traditionē cognoscimus, quænam sint vera Euangelia.

Respondeo, Maiorem nō esse veram. Potest enim fieri, vt Clemens vnum atque alterum argumentum allegarit, quo hoc probari potuit, reliqua prætermiserit. Et ipse Bellarminus lib. 1. cap. 2. plura argumenta protulit. Deinde & Minor falsa est. Non n. dicit Clemens se per Traditionem accepisse, quænam sint vera Euangelia, *sed quo ordine sint ponenda.* Et vt hoc meliùs videas Bellarmine, subiungam eius verba. *Exponit prætereà idem Clemens in ipsis libellis de ordine Euangeliorum, traditionē sibi à senioribus presbyteris traditam. Et dicit priora esse illa Euangelia, quæ de generationibus continent, &c.*

Tertia probatio Minoris. *Quia Origenes apud Eusebium lib. 6. cap. 18. Ex Traditione didicit, quinam libri sint Canonici.*

Illud ex quo Origines didicit, quinam libri sint Canonici, est solum, & vnicum, ex quo hoc discere possimus. Sed traditio est illud, ex quo Origenes

Origenes hoc didicit. Ergo ex sola & unica traditione discere debemus, quinam libri sint Canonici.

Respondeo Maiorem non esse veram. Possunt n. plura argumenta esse, ex quibus hoc discere possimus, quàm illa sint, ex quibus hoc Origines didicerit. Quod verò ad Minorem attinet, fatemur, Originem dicere, *se ex traditione accepisse, quinam libri sint Canonici.* At hæc Traditio nihil aliud est, quàm Ecclesiæ Testimonium. Hoc verò nos non improbamus. Ludit igitur Bellarminus puerili quadã æquiuocatione, qua sibi valdè placet, & plus quàm iuueniliter exsultat. Sed explicata æquiuocatione, ista in Brentium & Chemnitium insultatio corruet. Traditio in hac disputatione sonat dogma seu ritum, seu doctrinam ab aliquo traditam. Et nos non improbamus omnem traditionem, sed tantùm eam, quæ pugnat cum Dei verbo. Traditio hic idem est, quod doctrina cõtra Dei verbum ab homine tradita. Bellarminus verò æquiuocè per traditionem significat *Historiam & Testimonium veteris Ecclesiæ.* Equidem testimonium veteris Ecclesiæ cum summa veneratione amplectimur, & diligenter exquirimus, atque expẽdimus. Diligenter etiam indagamus, quidnam veteres non tantùm de libris Canonicis; sed quid de omnibus & singulis rebus testentur. Non ita tamen, vt præter veterum Testimonium nihil amplius desideremus. Nam non quicquid singuli patres testantur, hoc ideò verum est, quòd illi ita testantur, sæpè enim contrariũ testantur, imò vnus & idem diuersis locis sępè contrariũ testatur. Sed de his aliàs.

Nunc

Nunc dicimus, nos minimè repudiare veteris Ecclesiæ testimonium. Sed tantùm repudiare doctrinas contra Dei verbum ab hominib. inventas. Dum igitur Bellarminus dogmata contra Dei verbum ab hominib. excogitata defendit sub nomine testimonij veteris Ecclesię, idem facit quod ille, qui de allijs interrogatus, respondebat de cepis. Præterea nos hanc Traditionem de qua loquitur Origenes, recipimus. Agnoscimus enim eos libros pro Canonicis, quos ille ponit. Sed non propterea quòd Origenes ita testatur, verùm propter longè aliam causam, quemadmodum deinde ostendemus. Nam si Origenes hoc non testatus esset, tamen isti libri fuissent canonici: & fuerunt Canonici priusquam Origenes hoc testaretur. Pręterea Origenes ex traditione docet, V.T. tantū 22. libros esse. οὐκ ἀγνοητέον, inquit, δ' εἶναι τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, ὡς ἑβραῖοι παραδιδόασιν, δύο καὶ εἴκοσιν. apud Euseb. lib. 6. cap. 25. Idem Machabæicos dicit ἔξω τούτων εἶναι. Iudith verò, Baruch, Tobiam, Sapientiam, & Ecclesiasticum ne nomine quidem dignatur. Ergo hi non sunt in Canone. Desinant igitur papistæ traditionem contra nos iactare, aut corrigāt suum Canonem ad normam huius traditionis. Idem Origenes Epistolam Iudę & Iacobi extra Canonem relinquit. Si igitur hæc traditio vera est; non debet Bellarminus Luthero succensere, quòd epistolam Iacobi cum Pauli epistolis eandem auctoritatem habere negat. Idem dicit secundam Petri Epistolam ἀμφιβάλλεσθαι. Et dicit duas posteriores epistolas Iohannis οὐ πάντη γνησίους εἶναι. Si igitur hæc Traditio vera est, malè faciunt papistæ, quòd his tribus cum Epi-

stolis Pauli eandem auctoritatem tribuunt. Aut igitur hoc mutent, & non irascantur Musculo, Heshusio, & aliis, qui inter eas distinguunt, aut desinant traditiones contra nos iactare. Postremò ipse Origenes non voluit, vt aliquid crederemus *extra*, vel *contra* Scripturam. Libr. enim 10. in 16. cap. ad Roman. *Vide*, inquit, *quàm proximi periculis fiant hi, qui exerceri in diuinis litteris negligunt, ex quibus solis huiusmodi examinationis cognoscenda discretio est*. Idem Homil. 1. in Ieremiam. *Necesse est nobis scripturas sanctas in Testimonium vocare. Sensus enim nostri & enarrationes sine ijs testibus non habent fidem.* Idē in Epist. ad Rom. in cap. 3. *Paulus doctoribus Ecclesiæ exemplum prabet, vt ea quæ loquuntur ad populum, non proprijs præsumpta sententijs, sed diuinis munita, testimonijs proferāt. Nam si ipse tantus ac talis Apostolus auctoritatem scriptorum suorum sufficere posse non credit, nisi doceat in lege & Prophetis scripta esse, quæ docet; quantò magis nos minimi obseruare debemus, vt non nostras, cùm docemus, sed sancti Spiritus sententias proferamus.* Cùm igitur hæ probationes Minoris aut sint falsæ, aut contra Bellarminum ipsum concludant, manifestum est, scripturam sufficientem esse.

Quintum argumentum. Quia Basilius lib. de Spir. sancto cap. 27. dicit *neglectis traditionibus scripturam magnum detrimentum pati.*

Quicquid dicit Basilius, hoc est verum. Sed Basilius dicit scripturam magnum detrimentum pati, si traditiones negligantur. Ergo scriptura sine traditionibus non est sufficiens.

Nos negamus Maiorem. Nam in Concione de natiui-

natiuitate Domini dicit, *Zachariam inter altare & Templum ideo occisum esse, quòd dixerat Mariam post natiuitatem Domini esse, & manere virginem*, & hoc dicit *ex traditione* ad se delatum esse. At Hieronymus in 23. cap. Matthæi dicit *hoc ex Apocryphorum somnijs haustum esse*. Et addit, *Quia hoc de scriptura non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Si hoc modo quælibet traditio debet examinari, manifestũ est, nos non errare, qui recipimus omnes traditiones, quæ de scriptura habent auctoritatem, & reijcimus eas, quę de scriptura non habent auctoritatem. Deinde negamus & Minorem. Hic n. totus liber non est eiusdem auctoris, habet enim in medio styli quandam diuersitatem, teste Erasmo in præfat. Version. Basil. Deinde ipse Basilius in genuinis suis libris hanc doctrinam destruit. Ille enim in lib. de Confess. fidei dicit *manifestum infidelitatis crimen, vel reijcere aliquid, quod scriptum est, vel addere aliquid, quod non est scriptum.* Idem ibidem. *Cùm Dominus noster Iesus Christus dicat, Oues meæ vocem meam audiunt, alienum autem non audiunt, sed fugiunt ab eo, quoniam non norunt vocem alienorum; & apostolus per humanum exemplum vehementer prohibeat aliquid diuinis scripturis vel addere, vel demere: cùm dicit, Hominis tamen testamentum corroboratum nemo reprobat, aut aliquid ei superstruit, omnem igitur vocem & sententiam à domini doctrina alienam semper fugiendam esse cognouimus.* Postremò in citato loco Basilij numerantur inter cæteras, *terna immersio*, & *stando precandum esse inter Pascha* & *Pentecosten*, tanquam Traditiones, sine quibus Euangelium detrimentũ pateretur. At eas non seruant

 papistæ,

papistæ. Ergo frustrà nobis obijciũt Basilium. Cùm igitur de hoc libro dubitetur an totus sit Basilij, ac ipse alijs locis contrarium doceat, & ipsi papistę non obseruent illas traditiones, quæ isto loco apud Basilium enumerãtur: Manifestum est hoc argumento nihil concludi, ac proinde scripturam continere sufficientem doctrinam ad salutem.

Sextum argumentum. *Quia Augustinus inquit cap. 5. contra epistolam fundamenti. Ego non crederem Euangelio, nisi me Ecclesiæ commoueret auctoritas.*

Quod Augustinum permouit ad Euangelio credendum, sine illo Euangelium est imperfectũ.
Sed Ecclesiæ auctoritas commouit Augustinum ad Euangelio credendum. Ergo Euangeliũ est sine Ecclesiæ auctoritate imperfectũ.

Respondemus Maiorem esse falsam. Nam Ioh. 4, 41. *Mulier Samaritana* commouit suos populares, vt crederent Christo. Et tamen Christus erat sufficiens seruator absq; muliere ista. Planè eodẽ modo Ecclesia commouit Augustinum, vt crederet Euangelio. Nihilominus tamen Euangelium erat sufficiens doctrina ad salutem. Deinde vt Samaritani primùm credebant Christo per mulierẽ: ita deinde credebant illi per se. Dicunt enim vers. 42. *Non amplius credimus propter sermonẽ tuum, ipsi vidimus & audiuimus eum esse seruatorem mundi.* Eodem modo Augustinus credidit Euangelio per Ecclesiam. Deinde credebat Euangelio per se. Dicit enim cap. 14. eiusdem libri. *Nos cùm credimus, & fide valentiores facti sumus, id quod credimus intelligere, non iam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram illuminante & for-*

& formante. Idem Augustin. in eodem libro dicit. *Si Manichæi pro se proferre possint constantẽ doctrinæ veritatem, se velle & Ecclesia nomen, ac gentium, & populorum deserere, atque ad illos redire.* Vnde manifestũ est Augustinum primùm per aliud, sed jam confirmatum credidisse Euangelio per se. Neque sanè negamus Ecclesiæ integros & sanctos mores magnum afferre adiumentum ad fidem Euangelio conciliandum. Nam & priuatæ personæ integritas plurimùm facit ad infideles lucrifaciendos, 1. Pet. 3; 1. *Vxores subiectæ sint proprijs viris: vt etiam si qui non obediũt sermoni, per vxorum conuersationem absque sermone lucrifiant.* Quid mirum igitur si sanctæ Ecclesiæ testimonio fuerit commotus Augustinus? Postremò hoc intelligendum est de Primitiua Ecclesia, cùm adhuc penè eadem esset doctrina & mores, qui fuerãt tempore Apostolorum. Nam si Augustinus nunc viueret, diceret cum Driedone lib. 4. cap. 4. *Ego huius Ecclesia homines non agnoscerem esse Ecclesiam Christianam, nisi doceret me quatuor Euangeliorum auctoritas.* Quam ob causam nunc non creditur Euangelio propter Ecclesiam, sed creditur Ecclesiæ propter Euangeliũ. Vnde rectissimè dicitur; Euangelium esse Ecclesiæ notam. Ex his apparet, Maiorem veram non esse: & ob eam causam neque conclusionem, ac proinde manere immotum, scripturam continere sufficientem doctrinam salutis.

His positis Bellarminus insultat Chemnitio, & Brentio, quòd cogantur fateri hanc traditionem Ecclesiæ esse vtilem, & probam. Sed hic ego pudorem desidero. Hęc enim Ecclesię traditio, quà cognosci-

mus quinam libri sint Canonici, nihil aliud est, quàm Ecclesiæ testimonium de libris Canonicis. At hoc omnes nostri doctores fatentur esse argumentum à posteriori, quo probetur quinam libri sint in Canone. Caluin. Instit. lib. 1. cap. 8. § 12. Musculus in locis. Vrsinus in Proleg. in Catechism. & in locis. Bucerus in præfat. Epistol. ad Roman. Melancht. in locis: & alij innumeri doctores. Sed hîc notandum est Bellarmine, hoc totum argumentum esse à posteriori tantùm, & non à priori. Nam testimonium Dionysij de Ecclipsi, quæ contigit tempore Christi, nō est sola & vnica caussa, ob quam illa fuerit totalis Ecclipsis: imò ne caussa quidē est. Quis enim vnquam testimonium de aliqua re iam facta, eius caussam, loquor de caussa propriè sic dicta, esse affirmauerit? Planè eodem modo testimoniū Ecclesię de scriptura, nec scripturæ, nec eius certitudinis causa est, tantum abest, vt sit eius vnica causa. Iam enim verbū Dei fuit, priusquam Ecclesia de illo vnquam testata sit. Est enim perinde, ac si aurifaber testetur, purum aurum esse purum aurum. Sed númne aurū propter aurifabri testimonium est purum? nemo, ne ebrius quidem, hoc somniabit. Eodē modo númne verbum Dei à Prophetis & Apostolis scriptum, propter Ecclesię iudicium est verbum Dei? non opinor. Nam quemadmodum aurum purum est aurum purum, etiamsi omnes aurifabri hoc negarent: ita etiam verbum Dei est verbum Dei, etiamsi omnes homines id negarent. Deinde Bellarmine tota hæc disputatio nihil facit ad rem. Per traditionem enim intelligimus doctrinam traditam, non testimonium de ali-

de aliqua doctrina. Ludis igitur in hac æquiuocatione. Doctrinam traditam non omnem reijcimus, neque omnem recipimus; sed eam siue doctrinam traditam, siue traditionē recipimus, quę vel in verbo Dei expressa est, vel quæ necessariò ex eo colligi potest, vel denique quæ cum eo non pugnat. Exempli gratia: Mulieres accedere ad sacram Synaxin, totidem verbis in scriptura traditū non est: tamen quoniam ex ea deduci potest, libenter recipimus. Ita procumbere in genua inter orandum, neq; expressè in Scriptura traditum est, neq; necessariò ex ea colligi potest, tamen recipimus, quia non pugnat cùm scriptura. Verùm hæ non sunt apud nos eodē loco: Illæ enim sunt necessariæ, hæ liberæ. Primùm igitur facis nobis iniuriam, quòd dicis nos omnes traditiones reijcere. Deinde sophisticaris. Manifestè enim traditio in hac disputatione significat doctrinā traditam, vt iam dixi. In tuo argumento significat non doctrinam, sed testimonium de doctrina, vel alia aliqua re. Exempli gratia. Vetus & Nouum Testamentum est doctrina. De hac autem veterum testimonium est tibi traditio. At ita non loquimur, quando dicimus purgatorium esse traditionē. Non enim tum intelligimus testimonium de purgatorio, sed doctrinam ipsam. Verùm Bellarmine, dum concedo esse aliquas traditiones seruandas, non tamen volo scriptura non comprehendi sufficientem doctrinam salutis. Illæ enim traditiones quę necessarię sunt, vel sunt in scriptura expressæ, vel ex ea deduci possunt, & proinde sunt ipsa Scriptura. Reliquæ verò, quæ non sunt Scriptura expressæ, neque ex ea

deduci possunt, illæ etsi propter decorum seruandę sunt; cùm non pugnant cum scriptura: non tamen sunt necessariæ ad salutem. Ex his apparet non fuisse necesse probare, potuisse etiam alias traditiones ad nos peruenire, si hæc ad nos peruenit. Illud enim vltrò cōcedimus; quemadmodum iam dixi. Sed illę, si non sunt satis litteris expressæ, neque ex ijs deduci possunt, non sunt necessariæ ad salutem: neque verbum Dei propter eas desinit sufficiēs esse. Postremò conatur Bellarminus nos ad absurdum deducere: & dicit in hunc modum: *Hæc traditio vel est verbum Dei, vel non est. Si est verbum Dei, tum verbum scriptum non est sufficiens, sed præter illud est etiam verbum nō scriptum necessarium. Si non est verbum Dei, tum fides nostra nititur eo, quod non est verbum Dei. Sed hoc est inconueniens. Fides enim est ex auditu, auditus per verbum Dei*, ad Rom. 10. Sed nos iam antè ostendimus aliud esse verbum Dei, & aliud esse testimoniū de verbo Dei. Libri prophetici, & Apostolici sunt verbum Dei. Hæc traditio est testimonium humanū de iis libris. Testimonium autem alicuius rei non est res ipsa, cuius testimonium est. Sed instat Bellarminus, & dicit, nostram fidem tamen niti hoc humano testimonio. Respondeo esse equiuocationem in verbo fidei. Fides enim, quam Apostolus dicit ex auditu esse, est fides iustificans: hæc autem fides, qua propter testimonium veteris Ecclesiæ credimus, librum Mosis & Prophetarum, Euangelia item quatuor, Actus Apostolorū, Epistolas, & Reuelationē esse verbum Dei, non est fides iustificans, sed tantùm historicus quidam assensus, Theologi vocant

fidem

fidem historicam. Nam & hanc fidem habent diaboli. Credunt enim hos libros esse verbum Dei, & tamen non habent fidem iustificantem vno verbo. Fides nostra iustificans nititur verbo Dei, fides autem historica, præter verbum Dei, nititur etiam Ecclesiæ testimonio; imò nititur etiam eo testimonio, quod prorsus humanum est. Hoc autem non est absurdum Bellarmine.

Septimum argumentum. *Quia absque traditione non possumus scripturam intelligere.*

Sine quo scripturam non possumus intelligere, absque eo Scriptura non est sufficiens. Sed sine traditione non possumus scripturã intelligere. Ergo sine traditione scriptura non est sufficiẽs.

Maior non est vera. Nam sine grammatica non possumus Rhetoricam intelligere, neque sine eadẽ possumus Dialecticam intelligere. Et tamen Rhetorica est ars sufficiens, & Dialectica est ars sufficiẽs. Non igitur sequitur, verbũ Dei non esse sufficiens, etiamsi concederetur, illud absque traditione intelligi non posse. In Minore est fallacia æquiuocationis. Traditio enim cùm Scripturæ opponitur, significat doctrinam, quæ neq; in Scriptura expressa est, neque ex ea deduci potest: eaque duplex. Vna quę cum Scriptura non pugnat, vt conuersio adorantis ad orientem. Altera, quæ cum scriptura pugnat, vt inuocatio mortuorum. Et si de hac traditione intelligit Minorem, tum illa falsa est. Hæc enim prorsus nihil confert ad Scripturam rectè intelligendam. Deinde Traditio significat illud, quod in Scriptura quidem non expressum est, sed tamen necessariò ex

ea colligi poteſt. Atque hæc non eſt diuerſa à Scriptura, ſed eſt ipſa Scriptura. Atq; huc pertinet illud Nazianzeni de Theolog. or. 5. *Quædam ſunt in Scriptura, & non dicuntur de Scriptura.* Et Baſil. lib. de Spiritu S. cap. 27. *Non igitur ſyllabam & ab ipſo Domini ore progreſſam reijcere aut expungere cuiquam fas eſt*: & *æquipollentem ipſi aſſumi nihil vetat.* Hæc autem Traditio nihil aliud eſt, quàm Explicatio veræ Eccleſiæ, aut Teſtimonium de veteris Eccleſiæ explicatione. Sed quando traditio ita accipitur, tum non pugnat cum noſtra ſententia, & eam eſſe neceſſariam non negamus. Nam libenter & diligenter inquirimus veterum interpretationes, neque negamus nos magnam vtilitatem ex ijs aſſequi. Verùm non volumus eam cum verbo Dei eſſe in eadem auctoritate. Verbo enim Dei per ſe credimus, traditionibus his, id eſt, veterum Interpretationibus per verbum Dei. Nam quando illæ cum verbo Dei congruunt, recipimus eas; quando verò cum eo non congruunt, reijcimus eas. Rectè Origenes Homil. 25. in Matth. *Templum gloriæ Dei eſt omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata, aurum autem poſitus ſenſus in ea. Debemus ergo ad teſtimonium omnium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre ſenſum Scripturæ, quaſi confirmantem quem exponimus ſenſum. Sicut enim omne aurum, quod fuerit extra templum, non eſt ſanctificatum: Sic omnis ſenſus, qui fuerit extra diuinam ſcripturam (quamuis videatur quibuſdam admirabilis) non eſt ſanctus, quia non continetur à ſenſu Scripturæ, quæ ſolet eum ſolum ſenſum ſanctificare, quem habet in ſe, ſicut templum propriũ aurum. Non ergo debemus ad confirmandam doctrinam no-*

ſtram

stram nostros proprios intellectus mirari, & quasi testimonia assumere, quos vnusquisque nostrum intelligit, & secundum veritatem æstimat esse; nisi ostenderit eos sanctos esse ex eo, quod in Scripturis cōtinetur diuinis, quasi in templis quibusdam Dei. Deinde in Minore est fallacia à secundum quid ad simpliciter. Absque veteris enim Ecclesiæ interpretatione, multa difficulter, ac ne vix quidem intelligimus. Ergo absque veterum Interpretatione nihil prorsus intelligimus. Non sequitur. Aut si Bellarminus putat nos absque veterum interpretatione nihil prorsus in Dei verbo intelligere, tum negamus Minorem. Multi enim sunt, qui veteres interpretes nunquam legunt, & tamen scripturam mediocriter intelligunt. Hoc etsi ad hoc argumentum sufficeret: tamē quoniam Bellarmino libuit Minorem probare aliquot exemplis, ea examinabimus, deinde progrediemur. Primum exemplum est *æqualitas diuinarum personarum*. Hæc doctrina, Bellarmine, aut est sacris literis expressa, vel ex ijs deduci potest: aut non est sac. literis expressa, neque ex eis deduci potest. Si est: Tum nihil facit ad rem. Iam antè enim ostendi non tantùm verbum Dei esse, quod in scriptura expressum est: sed illud etiam verbum Dei esse, quod necessariò ex ea colligi potest. Si non est, tum contradicis tibi ipsi. Dicis enim hoc quidem *deduci ex sac. literis, sed non ita facilè.* Verùm siue facilè, siue non facile deducatur, deducitur tamen. Est igitur dogma non ἄγραφον sed ἔγγραφον, & ita iudicauit antiquitas. Tertull. contra Praxeam. Epiph. hæres. 60. Ambros. de fide contra Arrianos cap. 4. & cap. 5. August. contra Maxim. lib.

3. cap. 14.

3.cap.14. Secundum exemplum est *processio Spiritus Sancti à Patre & Filio.* Sed & hoc dogma vel est sacris literis expressum, aut ex iis deduci potest: vel nō est, neque ex ijs deduci potest. Si prius, tum nihil ad rem. Nam, vt antè dixi, non tantùm verbū Dei est, quod in scriptura expressum est, sed & illud, quod ex ea necessariò colligi potest. Si posterius, tum contradicis tibi ipsi. Dicis enim *illud posse quidem ex scriptura colligi, sed non facilè.* Colligitur igitur ex ea, ac proinde est dogma ἔγγραφον, nō ἄγραφον, & ita iudicauit antiquitas. August. Tractat. 99. in Iohannem. Tertium exemplum est: Peccatum originale. Quod miror homini docto excidisse. Psal. 51, 7. *Ecce in iniquitate genitus sum. Et in peccatis concepit me mater mea.* Rom. 5, 12. *Per vnum hominem peccatum in mundum introijt, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors transijt, in quo omnes peccauerunt.* Nisi igitur quis data opera vult cœcutire, facilè videt, peccatum originale esse in scriptura expressum. Quartum exemplum est, *descensus Christi ad inferos.* Hoc equidē neq; in Scriptura est, neque ex ea necessariò deduci potest. Sed nihil etiam facit ad Scripturam illustrandā. Nulla enim pars veteris & noui Testamenti est, quę sine hoc dogmate intelligi non potest. Idem de reliquis traditionibus, quæ neq; in Scriptura expressę sunt, neque ex ea deduci possunt, sentiendum est. Cùm igitur tria priora dogmata sint ipsa Scriptura, & hoc posterius nihil conferat ad Scripturam intelligendam: manifestum est scripturam sine traditionibus esse sufficientem.

Octauum argumentum. *Quia ex scriptura discernon*

non possumus Mariam esse semper virginem.

Ex quo non possumus discere Mariam esse semper virginem, illud non continet sufficientem doctrinam salutis. Sed ex Scriptura non possumus discere, Mariam esse semper virginem. Ergo scriptura non continet sufficientem salutis doctrinam.

Maior non est vera. Satis enim est ad salutem, si credimus, Mariam virginẽ fuisse, donec peperisset. Quid postea ei contigerit, nullam curiositatem mysterij rationi exhibet. Intereà tamen libenter credimus, eam nunquam desijsse virginem esse. Rectè Basilius in concione de Sanctâ Christi natiuitate. *Et affectu,* inquit, *& amore, & omni ad cohabitantes pertinente studio, vxorẽ suam esse putãs,* loquitur de Iosepho *à nuptialibus operib. abstinuit. Non enim cognouit ipsam,* inquit, *donec peperisset filium suum primogenitum. Hoc porrò iam suspicionem præbet, quasi postea, quam puræ generationi domini, per spiritum sanctum perfectæ inseruierat, debita nuptiis opera Maria non abnegarit, etiamsi hoc pietatis rationem nihil vitiet: nam vsque ad dispensationis ministerium necessaria erat virginitas. Quid verò deinceps consecutum est, nullam curiositatem rationi mysterij exhibet.* Deinde & Minorem negamus. Illam autem distinguimus in duo tempora: Vnum, ante partum. Alterum, post partum. Ante partũ Mariam fuisse semper virginẽ, expresse docet sac. Scriptura. Esa. 7, 14. *Ecce virgo erit prægnans, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emanuel.* Luc. 1, 34. *Quomodo erit istud, quandoquidem virum non cognoui.* vers. 35. *Et respondens angelus dixit ei, Spir. sanctus superueniet in te, &*

virtus

virtus altißimi inumbrabit te, propterea id etiam quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Matth. 1. 20. *Nam quod in ea genitum est, ex Spiritu Sancto est:* Matt. 1, 25. *& nõ cognouit eam, donec peperisset filium illũ suum primogenitum.* Mariam igitur fuisse virginem cùm pareret, disertè testantur sac. literæ. Et hoc credere est ad salutem necessarium. An verò post partum manserit virgo, hoc credere non est ad salutem necessarium. Nam, vt inquit Basilius concione de Natiuitate Domini. *Hoc pietatis rationem non vitiat. Nam vsque ad dispensationis ministerium necessaria erat virginitas. Quod verò deinde sequutum est, nullam curiositatẽ mysterij rationi exhibet. Tamen vt ne eorum, qui Christum amant, aures suscipiant, quòd Deipara aliquando virgo esse desiit, illa testimonia sufficientia putâmus. Ad hoc quidem, Non cognouit eam donec peperisset filium suum: quod particula* donec *in multis quidẽ locis quandam temporis determinationem significare videtur. Reuera autem indefinitum indicat. Quale est illud, Ecce ego sum vobiscum vsque ad consummationem seculi.* Similia docet Ambrosius ex sac. Scripturis lib. 10. Epistolarum. Epist. 81. Vnde Sequitur, Si Ambrosius & Basilius loca Scripturę rectè adducunt, hoc etiam non ἄγραφον esse, sed ἔγγραφον.

Nonum argumentum. *Quia ex Scriptura probare non possumus pascha celebrandum esse die dominico.*

Ex quo probare non possumus Pascha celebrandum esse die Dominico, illud non continet sufficientem doctrinã salutis. Sed ex Scriptura non possumus probare Pascha celebrandum esse die Dominico. Ergo Scriptura non continet

tinet ſufficientem doctrinam ſalutis.

Nos negamus maiorem. Diſtinctio enim dierum nihil facit ad ſalutem. Rom. 14, 6. *Qui curat diem, domino curat: & qui non curat diem, Domino nõ curat.* Gal. 4, 10. *Dies obſeruatis & menſes?* Colloſ. 2, 16. *Ne igitur vos damnet reſpectu diei feſti, aut nouilunij, aut ſabbathorum.* Socrates lib. 5. cap. 22. docet *neque Chriſto, neque Apoſtolis fuiße propoſitum de diebus leges ferre.* Idem docet Auguſt. de doct. Chriſtian. lib. 4. cap. 20. Euſeb. lib. 5. cap. 24. 25. & 26. docet veteres non eodẽ tempore obſeruaſſe paſcha. Hoc confirmat Socrates lib. 5. cap. 22. Quòd autem Papa orientales propterea excommunicauerit, arguit Victoris arrogantiam & ſuperbiam. Irenæus enim cum cæteris Galliæ Epiſcopis ſcribebant, *eum non rectè facere, quòd abſcinderet à corporis vnitate tot ac tantas Eccleſias Dei, quæ morem ſibi antiquitus traditum cuſtodirent*; Euſeb. lib. 5. cap. 26. Euſebius dicit *eum pertinacius egiſſe.* Ibidem. Epiſcopi ſcribebant ei, *& iubebant, vt vnitati ſtuderet.* Prætereà eo tempore liberum fuit, vt diuerſis diebus paſcha celebraretur. Polycarpus enim ſeruabat morem, *quem Iohannes tradiderat*; & Anicetus ſeruabat ritum, quem *à ſuperioribus acceperat.* Intereà tamẽ inter *ſe concordiam cuſtodiebant.* Euſeb. lib. 5, 26. Vnde apparet certi alicuius diei obſeruationem non eſſe ad ſalutem neceſſariam.

Nam quod vtriq; parti liberum relinquitur, hoc non eſt ad ſalutem neceſſariũ. Sed paſcha hoc vel illo die ſeruare, vtrique parti liberum relinquitur. Ergo Paſcha hoc vel illo die obſeruare, non eſt ad ſalutem neceſſarium.

Poſtremò

Postremò ex hoc loco discimus, nihil esse fallaciùs traditione hac, de qua contendunt papistæ. Nam orientales dicebant Apostolos tradidisse, vt 14. die celebraretur. Occidentales item dicebant, se illud die dominico ex *traditione Apostolica* celebrare. Sed hæc duo simul vera esse non possunt. Errant igitur, vel qui hoc Iohannem tradidisse dicebant, vel errant, qui hoc à Petro traditum esse asseuerabant. Sed vtrosque errasse docet Socrates lib. 5, cap. 22. Dicit enim, *hoc non ex traditione, sed ex consuetudine natum esse.* Deinde & Minor non simpliciter vera est. Apostoli enim ferè conueniebant *prima sabbathi*, Ioh. 20. 1. Luc. 24, 1. Marc. 16. 2. Et nostrum Pascha est memoria & recordatio resurrectionis Domini. Ergo æquum iudicabant vt ista recordatio eodē die fieret, quo Dominus resurrexit, hoc est prima sabbathi. Videtur igitur hoc ipsum aliquo modo ex Scriptura colligi posse. Decimum argumentum. *Quia pædobaptismus non potest ex scriptura demonstrari.*

Ex quo pædobaptismus doceri non potest, illud non continet perfectam doctrinā salutis. Sed ex Scriptura pædobaptismus doceri non potest, Ergo Scriptura non continet perfectam doctrinam salutis.

Nos negamus Minorem. Sunt enim manifesta Scripturæ testimonia, ex quibus pædobaptismus doceri potest. Marc. 10, 14. *Sinite pueros ad me venire, & non prohibete eos, talium enim est regnum cælorum.*

Quicunq; communionis Christi participes sunt, illi etiam & signi communionis Christi participes

cipes sunt. Sed infantes sunt communionis Christi participes. Ergo & Baptismi, qui est eius signum, participes sunt.

Matth. 28, 19. *Docete & baptizate eos.*

Quod ad omnia Ecclesiæ membra pertinet, hoc etiam ad infantes pertinet. Sed Baptismus ad omnia Ecclesiæ membra pertinet. Ergo & ad infantes.

Act. 2, 38. *Baptizetur vnusquisque vestrum. Vobis enim & liberis vestris facta est promissio.*

Ad quos pertinet promissio, ad eos pertinet Baptismus. Sed ad liberos pertinet promissio. Ergo & ad pueros pertinet Baptismus.

Collos. 2, 11. Baptism⁹ successit circumcisioni. At infãtes sunt circumcisi. Ergo & infãtes baptizãdi.

Ex his & similibus apparet pædobaptismum esse dogma ἔγγραφον non ἄγραφον. Idem iudicauit antiquitas. August. contra Donatist. lib. 4. cap. 23. & 24. Cypr. lib. 3. Epist. 8.

Vndecimum argumentum, *Quia purgatorium non potest probari ex sac. literis.* Hoc verissimum est. Purgatoriũ enim ex sac. literis non tantùm non astruitur, sed cum ijs ex diametro pugnat, ideò abijciendum: vt suo loco docebimus.

Hîc tamen notandum, *purgatorium non posse ex sac. literis probari.* Quorsum igitur ista testimonia, quæ ex sac. literis ad purgatorij defensionem adducunt. Aut enim illa deprauant: aut falsum est, quod Bellarminus dicit, illud ex sac. literis probari non posse.

Duodecimum argumentum. *Quia nos ipsi docemus Scripturam perfectam esse. At hoc ex Scriptura probari &*

doceri non potest.

Qui aliquid necessariò credendum tradunt, quod ex Scriptura probari non potest, illi ipsi fatentur scripturam non continere sufficientē doctrinam salutis. Sed nos tradimus necessariò credendum esse, Scripturam esse perfectam, & hoc ex scriptura doceri non potest. Ergo nos ostendimus scripturam non continere perfectam doctrinam salutis.

Nos negamus minorem. Scriptura enim ipsa docet, se perfectam esse. Deut. 4, 2. *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, neque diminuetis quicquam ex eo.* Et cap. 12. vers. 32. *Quicquid ego præcipio vobis, custodietis vt faciatis: non addetis ad illud, neque diminuetis ex eo.*

Ad quod nihil addi, & de quo nihil detrahi debet, illud est perfectum. Sed ad verbum Dei scriptum nihil addi, neque de eo quicquam detrahi debet. Ergo verbum Dei scriptum est perfectum.

Bellarminus negat Minorem, & dicit, *illud non de verbo scripto, sed de verbo non scripto intelligendum esse.* Hoc enim dicit perfectum esse: illud non item. Sed hoc falsum est. Idem enim mandatum iteratur, Ios. 1.7. atque ibi *liber legis* disertè expressus est. Idē ferè iteratur, Deut. 27, 26. *Maledictus qui non statuerit verba legis istius, faciendo ea.* Sed regerit Bellarminus, hoc illud esse non scriptum. Verùm Paulus ad Gal. 3. vers. 10. disertè explicat de verbo scripto. Vnde apparet hoc dogma non esse ἄγραφον, sed ἔγγραφον.

Capvt

CAPVT VIII.

Argumentorum, quæ pro imperfectione verbi scripti ex scriptura petita sunt, refutatio.

PRimum argumentum. Ioh. 16, 12. *Adhuc multa habeo, quæ vobis dicam, sed non potestis omnia portare.* argumentum tale,

Quos Christus non omnia docuit ad salutem necessaria, illi non potuerunt omnia ad salutem necessaria scribere. Sed Apostoli sunt isti, quos Christus non docuit omnia ad salutem necessaria. Ergo Apostoli non potuerunt omnia ad salutem necessaria scribere.

Priusquam respondeam, dicã ex Augustino Homil. 96. in Iohan. *Hæreticos solere hoc argumento uti, & dicere suas immunditias, esse ea, quæ Christus ait, adhuc habeo multa dicere, sed non potestis omnia portare.* Et sanè nulla tam tetra hæresis est, quæ non ex hoc loco posset defendi. Sed nos negamus Minorem. Nam etiamsi Apostolos tum non docuit Christus omnia, non sequitur eum neque posteà docuisse, vers. enim 13. scriptum est. *Spiritus ille veritatis introducet vos in omnem veritatem.* Quos autem Spir. Sanctus introduxit in omnem veritatem, illi potuerũt omnia ad salutẽ necessaria scribere. Sed Apostoli sunt illi, quos Spir. sanctus introduxit in omnem veritatem. Ergo potuerunt omnia ad salutem necessaria scribere. Est igitur ignoratio Elenchi. Nam cùm Christi dicta non possent ferre, tum non potuerunt omnia ad salutem necessaria scribere. Verùm cùm à Spir. sancto in omnem veritatem introducti essent, tum potuerunt omnia ad salutem necessaria scribere. Deinde si

omnes termini essent veri, sequeretur eodē modo, Apostolos non potuisse omnia ad salutem necessaria viua voce tradere. Nam

Quod Christus non docuit, hoc illi non potuerunt, neque viua voce, neque scripto tradere. Sed Christus non docuit (loquor ex Hypothesi:) omnia ad salutem necessaria. Ergo Apostoli non potuerunt omnia viua voce tradere.

At hoc pugnat cum protestatione Pauli, Act. 20, 27. *Non enim subterfugi, quo minus annunciarem vobis omne Dei consilium.*

Qui enim omne Dei consilium annunciat, ille docet omnia ad salutem necessaria. Sed Apostoli annunciant omne Dei consilium. Ergo Apostoli docent omnia ad salutem necessaria.

Præterea. Si Christus non omnia docuit, hoc nihil iuuat traditiones papisticas. Non enim si Christus quædā reticuit, ideò traditiones papisticæ sunt illa, quæ ipse reticuit. Rectè Augustin. in Iohan. Hom. 96. *Quæ cùm ipse tacuerit. Quis nostrum dicet, ista, vel ista sunt? aut si dicere audeat, vnde probat? Quis enim est tam vanus, tam temerarius, qui cùm dixerit etiā vera, quibus voluerit, & quæ voluerit, sine vllo testimonio diuino affirmet ea esse, quæ tunc Dominus dicere noluit? Quis hoc nostrum faciet, & non maximā temeritatis culpam incurrat, in qua nec Prophetica, nec Apostolica excellit auctoritas?* Papistæ igitur cùm audeant dicere has vel illas traditiones esse ea, quę Christus reticuit, & quæ Apostoli non potuerunt ferre? Secundum Augustinum *vani* sunt & *temerarij*.

Secundum argumentum ex Ioh. 21, 25. *Sunt autem*

& alia

& alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos, qui scriberentur, libros. Argumentum tale,

Quod non continet omnia ista, quæ Christus fecit, illud non continet doctrinam ad salutem necessariam. Sed scriptura non continet omnia ista, quæ Christus fecit. Ergo Scriptura non continet omnia ad salutem necessaria.

Nos negamus Maiorem. Inter actiones enim & doctrinam fidei magna differentia est. Nam actiones non sunt doctrina fidei. Potuit igitur doctrina fidei integra scribi, & tamen oẽs actiones non scribi. Deinde per illa, quæ Christus fecit, intelliguntur miracula, quibus Christus suam doctrinam probauit. Ea verò scripta non sunt omnia. Quia *mundus non caperet*, Sed ex ijs ea scripta sunt, quæ sufficiunt ad fidem nostram confirmandam, Ioh. 20, 30. *Multa igitur alia signa edidit Iesus in conspectu suorum discipulorum, quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum filium Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius.* Prętereà totum argumentum nihil facit ad traditiones papisticas. Papisticæ enim traditiones non sunt illa miracula, quæ fecit Iesus. Sed illa, quæ non sunt scripta, sunt illa miracula quæ fecit Iesus. Ergo illa non scripta non sunt papisticæ traditiones. Nisi igitur probent ista miracula siue signa, quæ Iesus fecit, esse doctrinam fidei: & traditiones suas esse miracula illa non scripta, frustrà laborant.

Tertium argumentum ex Actor. cap. 1, 3. *Per dies quadraginta conspectus ab ijs, & dicens, quæ ad regnum*

Dei spectant. Hæc negat Bellarminus scripta esse.

Quod verò non continet ea, quæ pertinent ad regnum cœlorũ, hoc non continet perfectam doctrinam salutis. Sed Scriptura non continet ea, quæ ad regnũ Dei spectant. Ergo Scriptura non continet perfectam doctrinam salutis.

Nos negamus Minorem. Bellarminus probat eam, quia Scriptura non continet ea, quæ Christus per quadraginta dies apud discipulos suos dixit. Sed ea pertinebant ad regnum cœlorum, Act. 1, 3. Ergo scriptura non continet perfectam doctrinam salutis. Sed nos negamus Minorem, & ad eius probationem dicimus, Christum post resurrectionem docuisse se *verè resurrexisse.* Marc. 16, 14. & *ministerium instituisse,* Matth. 28, 19. *Docuisse quomodo debuerit pati & resurgere,* Luc. 24, 26. ibidem docuisse, *se reuera esse Christum,* vers. 39. Ioh. 20, 20. Ibidem docet *se debuisse pati, & resurgere à mortuis,* vers. 46. *& pœnitentiam debere, ac remissionem peccatorum in nomine suo prædicari,* vers. 47. ibidẽ docet *se velle Apostolos ex alto imbuere Spiritu sancto,* vers. 49. Hoc autem est docere quę ad regnum Dei pertinent. Nam Iesum esse Christum, & Iesum verè resurrexisse, & in suo nomine nos accipere Remissionem peccatorum, item debere pati & resurgere, & introire in gloriam suam. Hæc inquam, sunt ea ipsa, per quę regnum Dei adipiscimur. Ergo sunt ea ipsa, de quibus Lucas dixit, Act. 1, 3. Falsum igitur est, ea non esse scripta. Ac proinde falsum non omnia ad salutem necessaria esse scripta. Nam quæ pertinent ad regnũ Dei, sunt scripta. Sed quæ Christus dixit à resurrectione, illa pertinent ad regnum

Dei.

Dei. Ergo illa sunt scripta. Deinde si scripta non essent, nihil hoc iuuaret humanas traditiones. Dicere enim papisticas traditiones esse ea, quæ Christus post resurrectionem locutus est: est principium petere. Nam hoc incertū est; & ab aduersarijs probari non potest: & absurdum est. Papisticæ enim Traditiones multos impediunt, ne ad regnum cœlorum perueniant, quemadmodum suo loco ostendemus, tantum abest, vt illa sint, quæ Christus post resurrectionem dixit.

Quartum argumentum ex 1. ad Cor. 11, 2. *Laudo igitur vos fratres, quòd omnia mea meministis, & sicuti tradidi vobis, traditiones retinetis.* Argumentum tale.

Quod est laudabile, hoc omnes Christiani facere debent. Sed tenere traditiones Apostolicas, est laudabile. Ergo omnes Christiani debent Apostolicas traditiones tenere.

Nos concedimus totum argumentum, idque tamen cum hac distinctione, nempe alias traditiones esse perpetuas, alias temporales. Perpetuæ sunt semper obseruandæ, vt, 1. Corinth. 11. *administratio cœnæ:* temporales sunt eò vsq; obseruandæ, quo Apostoli voluerūt, vt, Act. 15. *prohibitio sanguinis, & suffocati.* Hac obseruata distinctione dicimus anathema esse, qui negant Apostolicas traditiones obseruādas esse. At inquit Bellarminus, *Si traditiones tenendæ sunt, tum Scriptura non continet perfectam doctrinam salutis.* Nam

Præter quod aliud tenendum est, illud non continet perfectam doctrinam salutis. Sed præter verbum scriptum, aliud, nempe traditiones tenendæ sunt. Ergo verbum scriptū non con-

tinet perfectam doctrinam salutis.

Respondemus, Maiorem esse falsam. Sunt enim quædam ornatus & ordinis gratia seruáda, quę non pertinent ad doctrinam: & illa pro tempore, loco, & personis possunt mutari. Non sequitur igitur, doctrinam non esse perfectam, etiamsi quædam ceremoniæ non scriptæ sint seruandæ. Deinde totus hic locus nihil facit ad rem. Quæstio enim inter nos est, num salutis doctrina sit perfectè scripta. Nos affirmamus, tu negas. Tu tuam sententiam probas, quia aliquæ ceremonię non sunt scriptę. Estne hoc egregiè disputare? Loqui autem Apostolum de ceremonijs ipse fateris. Nam dicis eum disputare de *modo orandi in Ecclesia*, hoc est, vt ego interpretor, de ritu, quem debemus in Ecclesia obseruare. Et si non fatereris, támen verum esset, Nam Apostolus ex ijs quædam explicat vers. 4. *Vir debet aperto capite orare, mulier verò capite operto*. Sed dicis hoc simul de doctrina & ceremonijs intelligendũ esse. Paulus enim dicit *omnia mea*. Sed neque sola doctrina, neq; ceremoniæ sunt ista. Respondeo, esse fallaciam figuræ dictionis. Non enim dicit, quòd *meministis omnia mea*: sed, quòd *memores estis*, siue *meministis mei per omnia*, vt rectè reddit vetus interpres. Est enim ellipsis κατὰ. Simile exemplum. 1. ad Corinth. 10, 33. καθὼς κἀγὼ πάντα πᾶσιν ἀρέσκω. hoc est, κατὰ πάντα. Hoc modo reddit Hieronymus. Quin & Syrus interpres ita explicat, *quòd in omni re memores estis mei*. Quinetiam græca phrasis videtur hoc postulare. ὅτι πάντα μου μέμνησθε: alioqui dicendum πάντα τὰ μου. Sed etiamsi daremus Apostolum loqui de doctrina.

Hoc

Hoc tamen non iuuaret causam tuam. Est n. ignoratio Elenchi. Disputas enim in hunc modum, Apostolus non scripsit perfectam salutis doctrinam ad Corinthios, Ergo ad alios non scripsit. Vel, Paulus tum non scripsit perfectam salutis doctrinam. Ergo nunquam scripsit. vel, Paulus non scripsit perfectam salutis doctrinam, Ergo reliqui Apostoli non scripserunt. Expende ipse hos paralogismos, & animadvertes fraudem. Deinde est petitio principij. Nam ideo, quòd Paulus non scripserit omnia ad salutem necessaria, dicere, traditiones papisticas esse id, quod Paulus tum viua voce tradidit, & non scripsit, quis sanus concedet? Necesse igitur est vt hoc oraculo diuino probes; nisi feceris, dicemus te petere illud, quod est in principio.

Quintum argumentum, ex 1. Cor. 11, 34. *Cætera cùm veniam, disponam.*

Qui adhuc quædam disponet, ille non scripsit omnia ad salutem necessaria. Sed Apostolus adhuc quædam disponet. Ergo Apostolus non scripsit omnia ad salutem necessaria.

Nos negamus Minorem. Est enim ignoratio Elenchi. Apostolus tum adhuc quædam dispositurus erat, Ergo deinde non scripsit omnia ad salutem necessaria. Item, Apostolus tum quædam dispositurus erat. Ergo Paulus & reliqui apostoli non scripserunt omnia ad salutẽ necessaria. Deinde est fallacia consequentis. Non enim sequitur. Apostolus non perfectum Ecclesiæ ordinem constituit, Ergo doctrinam salutis non perfectè tradidit. Et si quis de doctrina intelligit, nihil tamen proficit. Non enim sequitur.

quitur. Apostolus tum non omnia tradidit. Ergo deinde non omnia tradidit. Neque sequitur. Paulus non omnia tradidit. Ergo reliqui Apostoli non oĩa tradiderunt. Deinde est petitio principij, Quæ Apostolus disponere volebat, non sunt scripta. Ergo Missa, & similia sunt illa, &c. Nisi n. hoc immotis scripturæ testimonijs probent, semper dicemus illos petere principium. At dicit Bellarminus *nos contrarium non posse probare*. Quod miror homini logico excidisse. Ille suscepit defendere, Missam, & quinque aliorum Sacramentorum formas esse illud, quod Apostolus tum nondum tradiderat, & quod volebat disponere. Hoc verò cùm non posit probare, mutat statum disputationis, & dicit nos non posse contrarium defendere. Quid hoc aliud est, quàm fateri causæ infirmitatẽ, & ne imperitus lector hoc animaduertat, vrget, vt nos contrariũ probemus. Verùm Bellarmine, nos tuam responsionem ita accipimus, & disputamus in hunc modum,

Cùm Apostolus hanc Epistolam scriberet, tum Corinthij erant *ditati omni notitia*. 1. Cor. 1, 5. hoc est. Secundum Ambrosium, *Spiritualem doctrinæ scientiam assecuti erant*. Secundum Hieronymum: *ditati erant scientia Veteris & Noui Testamenti*. Sed nondum didicerant à Paulo Missam, neque reliquorum (Baptismum & sacram Cœnam excipio) Sacramentorũ formas. Ergo Missa, & reliqua non pertinent ad notitiam Christianis necessariam.

Maior est in textu. Minor est Bellarmini. Deinde, Cùm Apostolus hanc Epistolam scriberet, tum

tradiderat Corinthijs illud Euangelium, per *quod seruandi erant*. 1. Corint. 15. 2. hoc est, vt Hieronymus explicat, *per quod salutē sperabant*. Sed non tradidit Missam, & reliquorū (Cœnam & Baptismū rursus excipio,) Sacramentorū formas. Ergo per illa non erant saluandi, neque Corinthij per illa salutem sperabant.

Hinc sequitur, vel falsum esse, quod Apostolus dicit, se doctrinam salutis illis tradidisse, vel falsum esse, quod Bellarminus dicit, Missam & reliqua illa esse ad salutem necessaria. Sed sit Apostolus verax. Est enim fidus Apostolus ipsius, qui mentiri non potest. Bellarminus quis sit, ex opposito colligat. Cùm intellexerimus abs te, hoc non sufficere ad contrarium defendendum, tum addemus aliam responsionē. Postremò Apostolus dicit, cap. 15. vers. 2. se illis tradidisse *Euangelium, per quod saluandi erant*. Si igitur secundū Bellarmini sententiam perfectam salutis doctrinam non tradidit, tum illa doctrina, per quam saluādi sumus, non est perfecta salutis doctrina, sed hoc est absurdum. Aut si adhuc aliud est necessarium, præter illud, quod Apostolus tradidit: tum sequitur præter illam doctrinam, per quam saluamur, adhuc aliam esse doctrinam ad salutem necessariam. Sed hoc est æquè absurdum. Siue igitur de doctrina, siue de ceremonijs, siue de vtrisque hic locus intelligitur, nihil iuuat causam Bellarmini.

Sextum argumentum est ex 2. Thess. 2, 15. *Tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per Epistolam*.

Quod debemus seruare, hoc est. Sed traditiones

debe-

debemus ſeruare, Ergo traditiones ſunt.

Concedimus totum argumentum : Et iam antè diximus eſſe quaſdam traditiones eaſque ſeruandas. Verùm Bellarminus dicit has traditiones eſſe non ſcriptas, & eſſe à verbo ſcripto diuerſas. Reſpondeo, hoc ex textu colligi non poſſe. Deinde traditiones, de quibus loquitur Apoſtolus, vel ſunt de doctrina, vel de ritibus. Deinde vel cum doctrina ſcripta conueniunt, vel ab ea diſcrepant. Si ab ea diſcrepant, ſemper ſeruanda eſt regula. *Si vel Angelus de Cœlo aliud Euangelium docuerit, anathema eſto*, Galat. 1, 9. & ob eam cauſam nobis abijciendæ : Si verò cum ſcriptura conueniunt, tum illarum regula eſt Scriptura, & quatenus cum verbo ſcripto conveniunt, eatenus recipiendæ: quatenus verò ab eo diſcrepāt, eatenus abijciendæ. His poſitis reſpondemus Traditionem, de qua loquitur Apoſtolus, eſſe eandem cum verbo ſcripto. Reſpondet Bellarminus, hoc ineptum eſſe, *Quia particula diſiunctiua* εἴτε *ſemper ſignificat diſiunctionem, quæ non niſi in diſparatis locum habet*. Sed hoc falſum eſt. Nam in 1. Cor. 13, 8. εἴτε accipitur copulatiuè εἴτε δὲ προφητεῖαι καταργηθήσονται. εἴτε γλῶσσαι παύσονται. &c. Et 1. Cor. 15, 11. εἴτε οὖν ἐγὼ, εἴτε ἐκεῖνοι, οὕτω κηρύσσομεν, Col. 1. 20. εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Hinc apparet εἴτε non ſemper ſignificare diſiunctionē, ac proinde Bellarmini exceptionem nullius momenti eſſe. Sed addit Bellarminus & aliam rationem. Nempe ſi hoc loco Traditio ſignificat eandē doctrinā, quæ ſcripta eſt, tum ſequitur totum Euangelium cōtineri epiſtola prima. Sed totum Euangelium non cōtinetur Epiſtola prima, Ergo Traditio hoc loco non ſignificat

ficat eandem doctrinam, quæ ſcripta eſt. Ad hoc reſpondemus negando conſequentiam. Nam non ſequitur, totam doctrinam Euangelij, & omnes eius partes contineri epiſtola prima. Neque hoc ex 1. Epiſt. cap. 1. aut 2. colligi poteſt. In primo enim capite non docet, quòd totum Euangelium, ſecundũ omnes eius partes ijs tradiderit; ſed narrat ſuum Euangeliũ, i. annunciationẽ Euangelij *non conſtitiſſe locutione, ſed virtute & ſpiritu.* In ſecundo verò cap. docet, quòd *cupierit illis non tantùm Euangelium, ſed & vitam impartiri*; & in toto capite nullum verbum eſt, quo oſtendat ſe illis totum Euangelium ſecundum omnes partes tradidiſſe. Falſa eſt igitur hæc ratio, & falſum, quod ex ea colligitur. Hæc ad rationes Bellarmini. Nunc oſtendemus hunc locum, ſiue intelligatur de doctrina, ſiue intelligatur de ritibus, non iuuare cauſſam papiſticam. Nam ſi dicunt verbum ſcriptum non continere omnem ſalutis doctrinam quòd illi opponatur traditio per ſermonẽ: reſpondeo neque verbum traditum continere omnem ſalutis doctrinam, quia ei opponitur traditio per epiſtolam. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo & illud. Deinde dicere; oĩa ad ſalutem neceſſaria, non ſunt ſcripta, Ergo Traditiones Papiſticæ ſunt illud, quod in doctrina ad ſalutem neceſſaria non ſcriptum eſt, eſt principium petere. Et niſi Bellarminus Apoſtolicis aut propheticis teſtimonijs hoc probare poteſt, fruſtrà laborat. Deinde Traditiones non ſcriptæ, vt Papiſtæ docent, *ſunt tacitæ, & ſilentio tegendæ*; hæ verò, de quibus Paulus loquitur, non ſunt tacitæ, neque ſilentio tectæ, ſed toti Eccleſiæ, tam Laicis,
quàm

quam præſbyteris cognitæ, & propoſitæ. Præterea Niceph. lib. 2. cap. 34. *Quæ Paulus,* inquit, *præſens oratione ſua dilucidè docuerat: eadem per compendium abſens in memoriam reuocans, epiſtolas dedit. Ita verò ea quoque quæ ſecretioris myſterij, magiſque abſtruſa anteà ſilentio prætererat, poſtea per ſacra ſcripta ſua, aut grandioris ſapientiæ verbis, aut accuratè & dilucidè declarauit, aut ſaltem parabolarum more per ænigmata adumbrauit.* His præteritis, adducit Bellarminus rationem aliam, qua probat, non omnem doctrinam ſalutis ſcriptã eſſe. Inquit enim *Apoſtolum tradidiſſe viua voce, quo tempore eſſet venturus Antichriſtus.* Sed hoc ſcriptum non eſt, Ergo omnia ad ſalutẽ neceſſaria non ſunt ſcripta. Reſpondeo hoc ad ſalutem non eſſe neceſſarium. Nemo enim hoc tempore illud nouit, & tamẽ multi ſaluantur. Deinde hoc non eſt apud Paulum. Non enim dicit, *vos ſcitis, quo tempore ſit venturus Antichriſtus,* ſed dicit, *vos ſcitis quid eum detineat.* Deprauauit igitur Paulum in hoc loco, eodemque modo eum cum Auguſtino egiſſe affirmamus. Nam & ille lib. 20. cap. 18. de ciuitat. non dicit, *vos ſcitis, quo tempore venturus ſit,* ſed ſcribit *& eum quid detineat ſcitis,* id eſt, *quid ſit in mora, quæ cauſa ſit dilationis eius, vt reueletur ſuo tempore ſcitis.* Præterea, hoc eſt contra traditiones papiſticas. Dicunt enim *Synagogam Romanã tenere omnes traditiones apoſtolicas.* Sed ſcire quo tempore ſit Antichriſtus venturus (diſputo ex hypotheſi) eſt traditio apoſtolica. Ergo ſciunt, quo tempore ſit Antichriſtus venturus. Sed hoc diſertè negant omnes papiſtæ. Ergo aut hæc non eſt traditio Apoſtolica, aut falſum eſt, quod dicunt ſe habere

omnes Apoſtolicas traditiones. Sed ego exiſtimo vtrumque falſum eſſe. Atque hæc de ſexto argum. Septimum argumentum, 1.ad Timoth.6.20. *Depoſitum ſerua.* Argumentum tale,

Iubemur depoſitum ſeruare. At depoſitum non eſt ipſa Scriptura, ſed doctrina non ſcripta. Ergo doctrinam non ſcriptã ſeruare debemus.

Minor habet duo membra. Vnum, Depoſitum non eſt ſcriptura; alterum, depoſitum eſt verbum non ſcriptum. Si in primo membro ſcripturam accipit pro ipſis litteris, quibus verbum Dei ſcriptum eſt, aſſentior. Si autem ſcripturam pro eo, quod ſcriptis litteris continetur, accipit, tum Minor eſt falſa. Nam, vt inquit Ambroſius ad dictum locum, *eadem admonet, vt ea quæ ſunt ſuprà dicta ſeruentur, & contraria religioni vitentur.* Cum hoc facit Tertull. de Præſcriptionibus cap. 25. *Quod autem ſit hoc* (de depoſito loquitur) *præceptum, quæ denunciatio, ex ſuprà & infrà ſcriptis intelligetur.* Hinc apparet Minorem falſam eſſe. Deinde eſt fallacia conſequentis; dicere, Depoſitum ſeruandum eſt. Ergo papiſticę traditiones ſeruandæ ſunt. Dicere verò, hę aut iſtæ traditiones ſunt hoc depoſitum, eſt petere principium. Niſi enim hoc Bellarminus per Apoſtolorum aut Prophetarum ſcripta probare poſſit, fruſtrà laborat.

Octauum argumentum, 2.Tim. 1,13. *Expreſſam formam teneto ſanorum ſermonum, quos à me audiuiſti.* Argumentum tale,

Iubemur expreſſam ſermonum formam tenere. At illa forma non eſt Scriptura, ſed papiſticæ quædam traditiones. Ergo debemus papiſti-

cas

cas traditiones tenere.

Minor rursus est bimembris. Vnum; expressa sermonum forma non est scriptura. Alterum, expressa sermonum forma est traditio. Si per Scripturam intelligit membranam externam, assentior. Si verò per Scripturam intelligit ipsam doctrinam, quæ ea continetur: tum Minor est falsa. Ipsa enim doctrina, quę in sac. Scripturis continetur, est hæc expressa sermonum forma. Theophy. *Non enim solùm ex meis litteris, sed etiam ex ore meo hæc percepisti. Haudquaquam itaque existimemus Pauli Epistolas mancas esse, perinde ac si non sint cuncta complexa.* Hoc ferè ijsdem verbis docet Ambrosius ad dictum locum, & Tertullian. de præscriptionibus cap. 25. Deinde dicere papisticas traditiones esse hanc sermonum formam, est petitio principij.

Nonum argumentum, ex 2. Timoth. 2, 2. *Et quæ audiuisti à me corā multis testibus, ea committe fidelibus.*

Audita sunt custodienda, Verùm traditiones papisticæ sunt audita illa. Ergo quædā non scripta, nempe traditiones papisticæ sunt seruādæ.

Respondeo, Minor est falsa. Nam cùm dicit *Hæc, de eis dicit, de quibus in præsentia scribebat.* Tertull. de pręscript. cap. 25. Deinde, dicere, papisticas traditiones esse illa, quęApostolus mādauit servari, est principium petere. Et vt semel finiam. Hæc Apostoli dicta, aut de ritibus intelligenda sunt, aut de doctrina. Si de ritibus; tum nihil ad rem. Illi enim ꝓ tempore, & alijs circumstantijs possunt mutari: Neque sunt ad salutem necessarij. Si verò de doctrina; tum de eadē, quæ scripta est, vel de diuersa. Si de diuersa,

anathema

anathema eſt. Ad Gal. 1, 9. Ergo ſi de doctrina, de eadem intelligi debent. At traditiones, quę cum doctrina ſcripta conueniunt, non reijcimus, & illas, quę cum doctrina ſcripta pugnant, non recipimus. Eſt igitur verbum ſcriptum omniũ traditionum vnica norma & regula.

Decimum argumentum, 2. Iohan. 12. *Cùm multa haberem ſcribenda ad vos, nolui atramento & charta: ſed ſpero me venturum ad vos, & præſentem præſentibus locuturum, vt gaudium noſtrum ſit completum.*

Iohannes multa non ſcripſit. Hæc ſunt traditiones papiſticæ. Ergo obſeruandæ.

Reſpondeo, argumentum non poſſe redigi ad formam, & eſt fallacia conſequentis. Nam, quædam Iohannes non ſcripſit. Ergo quędam ad ſalutem neceſſaria non ſcripſit. Item Iohannes quædã non ſcripſit. Ergo reliqui Apoſtoli non ſcripſerunt. Deinde eſt petitio principij, dicere, Traditiones papiſticas eſſe ea, quæ Iohannes non ſcripſit. Niſi enim Bellarminus per aliquem apoſtolum probare poterit, fidẽ non merebitur. Atque hinc apparet pro Traditionibus nihil ſolidum allatum eſſe: ſed eas adhuc ęquè incertas eſſe, atque antè fuerunt.

CAPVT IX.

Ex quibuſdam Papis & Concilijs probat, Traditiones aliquas eſſe.

ARgumenta, quæ Bellarminus pro Traditionibus ex ſac. literis adduxerat, refutauimus capite ſuperiore. Nunc excutiemus ea, quæ à paparum & conciliorum auctoritate adduxit. Primùm eſt ex

 Fabiano.

Fabiano. Ille in Epist. 2. ad Orientales, dicit, *praecessores suos à sanctis Apostolis accepisse, Christum in eadem nocte, qua proditus est, docuisse, quomodo Chrisma confici debeat*. At de Chrismate nihil in scriptura legitur. Ergo quædam, quæ in scriptura non exstant, sunt credenda, tanquam ad salutẽ necessaria. Respondeo istas Epistolas ineptas esse. Dicit enim primam epistolam scriptam esse, *Maximino & Africano consulibus*. Sed hi duo mortui sunt, biennio priusquàm Antherus moreretur. Ergo falsum est hanc epistolam esse à Papa Fabiano scriptã; vel esse eo tempore scriptam. Ego vtrumque falsum esse iudico. Deinde dicitur ibidem, ex Pontificali Damasi, *eum 14. annis fuisse Episcopum*. Sed historiæ vix 12. concedunt. Prętereà Fabianus est *à promiscua plebe electus*. Damasus in pontificali, si hęc oĩa obseruanda sunt. Quare non faciunt idem papistæ? Postremò dicit in eadem epistola, *omnes debere à suis prouincialibus iudicari, nisi fuerit appellatum*, sc. ad Papam Romanum. Sed hoc falsum esse norunt omnes ij, qui vel extremis labijs gustarunt historias. Nam eo tempore, neque papa arrogabat appellationes ad se fieri, neque quisquam Episcoporum hoc ei concessisset. Denique *interdicit secularibus, vt non accusent sacerdotes*. Ridiculũ; Nam eo tempore nullam Iurisdictionem secularem habebat Papa Romanus; imò omnes Episcopi tum nihil poterant, nisi persecutiones pati, & perferre. Deniq; idem Fabianus *scripsit Epistolam ad Hilarium*; cùm tamen Fabianus ferè ducentis annis mortuus sit, priusquam Hilarius nasceretur. Hinc apparet, quanta fides huic personato Fabiano adhibenda sit. Sanè tantundem

tundem fidei etiam in Chrismate meretur. Nisi igitur Bellarminus meliores testes adducere posit, nihil iuuabitur à Fabiano suo. Alter testis est, Innocentius primus. Is in Epist. 1. dicit, *si Instituta Ecclesiastica, vt sunt a beatis apostolis tradita, integra vellēt seruare Domini Sacerdotes, nulla diuersitas, nulla varietas in ipsis ordinibus, & consecrationibus haberetur.* Sed hoc Testimonium nihil facit ad rem. Nam nos non contendimus de Apostolicis traditionibus; sed de papisticis. Illas recipimus; has reijcimus. Deinde Traditiones, quas ille Apostolicas esse nominat, nos propter eum tales esse, non credimus. Nam idem Innocentius in eadem epistola docet, *in Italia, Gallia, Hispania, Sicilia, Africa, & Insulis interiacentibus, neminem docuisse, nisi quem Petrus constituerat.* Sed hoc falsum est. Paulus enim dicit se *omnia loca vsque ad Illyrium impleuisse,* Rom. 15. Et hic à Petro institutus nō fuit. *Lucius Pauli comes Germaniā docuit.* Auentinus in Hist. Boiorum. *Paulus misit Titum in Dalmatiam,* 2. Timoth. 4. *Lazarus, Nathanael & Saturninus primi nunciauerunt Euangeliū in Gallia,* vt quædam Historiæ tradunt. *Paulus instituit Angliam,* Theodoret. de corrigendis Græcorum affectibus. Deinde docet *in istis nominatis prouincijs nullum Apostolum docuisse, quàm Petrum.* Sed hoc falsum est. Nam & *Paulus Romæ docuit*; Quod nemo negare potest: & *Marcus,* vt omnes affirmāt veteres. Ex his apparet, quantum fidei huic Innocentio tribuendum sit. Nisi igitur Bellarminus meliores testes habeat, manebunt traditiones æquè incertæ, atq; antè erant. Sextus testis est Leo. Sed ille est multis annis posterior. Ergo ad

illum non respondebo.

Post papas adducit concilia. Ac primùm adducit concilium Nicœnum,1. *Quia illud ex doctrina nõ scripta condemnauit Arrium.* Argumentum tale,

Quod fecit cõcilium Nicœnum,hoc & nos facere debemus. Sed concilium Nicœnum condemnauit hæresin ex doctrina non scripta, hoc est, ex traditionibus.Ergo & nos ex doctrina non scripta,hoc est, ex traditionibus hæreses damnare debemus.

Nos respondemus Maiorem non esse simpliciter veram. Nam & concilium Nicœnum,se mutuis conuitijs penè conscidit. Quod non opinor nobis imitandum esse.Deinde Minor est simpliciter falsa.Episcopi enim ex scriptura allegarunt testimonia, quibus Arrij hęresin iugularũt. Theodoret. lib.1.cap.8. Idem docet Bellarminus lib.4.cap.11.dę verbo Dei. pag.314.lin.5. *In illis*(loquitur de cõcilio Nicœno) *quæstionib. quæ tunc erant,extabãt in Scriptura clarißima testimonia.* At hic sui oblitus contrariũ docet, & pugnãdi cupid⁹ dicit illa verba ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν εἶναι, nõ exstare in scriptura. Sed respõdẽt patres Nicœni, τὰ προειρημένα πάντα ταύτην ἔχει γὰρ σημασίαν, hoc est, *Allegata omnia scripturæ testimonia idẽ significãt*. Vnde apparet patres nihil docuisse ex traditione non scripta, sed necessariam scripturarum explicationem attulisse, vel dixisse illud, quod necessariò ex scriptura colligi potest. Et ne aliquid viderentur immutasse, addunt patres, *suos ante se idem ijsdem verbis docuisse.* Faciant idem papistæ, doceant nihil, nisi quod necessariò ex scriptura probari potest; & non contradicetur

dicetur illis à nobis.

Secundum Concilium est Nicœnum secundum, Et Constantinopolitanum octauum, ad quæ nihil respondebimus. Cogeremur enim eadem iterare. Ad easdem enim strophas refutandas, idem meritò respondetur.

CAPVT X.

Argumenta Bellarmini ex patrum auctoritate desumpta, excutiuntur.

ARgumenta Bellarmini à Paparum & conciliorum auctoritate desumpta refutauimus, cap. superiore: nunc argumenta, quæ à Patrum auctoritate ducuntur, excutiemus. Ac primum producit Ignatium. Qui apud Euseb. lib. 3, 36. dicit, *vt tenaciùs adhæreant Apostolorum traditionibus, quas traditiones cautelæ gratia, ne quid apud posteros remaneret incerti, etiam scriptas se reliquisse asserit.*

Quod Ignatius scripsit, hoc ab Apostolis scriptũ non est. Sed Ignatius inquit adhærendum esse Apostolorum traditionibus. Ergo Apostolorum traditiones ab Apostolis scriptæ nõ sunt.

Respondeo esse aliud in cõclusione, quàm in præmissis. Sequitur enim *Apostolorum traditionibus adhærendum esse*, non esse scriptum ab Apostolis. Sed & Maior falsa est. Nam Paulus scribit, *tenete traditionẽ, siue per Epistolam, siue per sermonẽ,* 2. Thes. 2, 15. At hoc idem est, quod inquit Ignatius; *adhærete Apostolorum traditioni*. Deinde & Minor falsa est. Non enim dicit Ignatius. Adhærete traditionibus. Sed *traditioni*, παραδόσεως. Deinde Ignatius istic loqtur de doctrina.

Dicit enim, *se Euangelicis cohortationibus docuisse, vt in fide persisterent, vt obseruarent ab hæreticorum cōtagijs, vt Apostolorum Traditioni adhærerent*. Deinde dicit Polycarpus in fine eiusdem capitis, *Epistolas Ignatij continere perfectam de fide & patientia instructionem*: Et vt omnem dubitandi materiam tolleret, addit, *Secundū Domini præceptum*. Verùm Bellarmine hæc doctrina, quam istis epistolis tradidit Ignatius, aut est eadem cum doctrina scripta, aut alia quàm doctrina scripta. Si alia, tum Anathema est, ad Galat. 1, 9. Si eadem; tum non contradicimus, sed hoc tantùm dicimus, verbum Dei scriptum esse eius normam, & regulam. Hæc ad Ignatium sufficerent. Sed quoniam in patribus valde exultas, excutiam tibi Ignatium. Ac primum dicit Eusebius, *Ignatium istas traditiones, quibus omnes homines adhærere debent, scripsisse, vt essent pro cautela, & ne quid apud posteros incerti remaneret*. Et Polycarpus in eodem capite docet, *istas epistolas continere perfectam de fide & patientia instructionem secundum Domini præceptum*. Hinc apparet eum omnes traditiones conscripsisse.

Quod continet perfectam fidei instructionem secundum præceptum Domini, & eas traditiones, quibus omnes adhærere debent, & quæ contra hæreticos sunt loco cautelæ, nec quicquam apud posteros incertum relinquunt; illud continet in vniuersum omnem doctrinam scriptam, & non scriptam. Sed Epistolę Ignatij continent perfectam fidei instructionem, & eas traditiones, quibus omnes adhærere debent, & quæ contra hæreticos sunt loco cau-

telæ,

telæ, nec apud posteros quicquam incertum relinquunt. Ergo Ignatij Epistolæ continent in vniuersum omnem doctrinam scriptam, & non scriptam.

Maior est citra omnem controuersiam vera. Qui enim omnia ita accuratè scripsit, vt nihil incerti reliquerit, & omnem fidei instructionem complexus sit, ille omnem doctrinam scriptam & non scriptam complexus est. Minor est in capite à Bellarmino allegato. Verùm quod continet omnes traditiones, præter id nullæ aliæ traditiones sunt recipiendæ. Sed Ignatij Epistolæ continent omnes traditiones. Ergo præter eas, nullæ aliæ recipiendæ sunt. At hoc non vult Bellarminus. Ergo frustrà nobis obijcit Ignatium. Deinde hæ Epistolæ magna ex parte non sunt Ignatij. Hieronymus enim in Catal. Scriptorũ Ecclesiasticorum. C. Ignatius, *tantùm numerat septem.* Et sanè non plures numerat Euseb. lib. 3. cap. 36. At nunc extát duodecim. Manifestum igitur, magnam partem istarum Epistolarum esse supposititiam. Denique istæ epistolæ, quæ extant, sunt deprauatę. Polycarpus n. apud Euseb. lib. 3. 36. dicit, se ab Ignatio per Epistolam rogatum esse, *vt Epistolam ferat ad Philippenses*. Sed hoc in Ignatij Epistola ad Polycarpum nunc non exstat. Ergo aut Eusebius, & Polycarpus apud eum testantur falsum: aut Epistola ad Polycarpum est corrupta. Deinde Theodoretus dialogo 3. affert testimonium ex Epistola Ignatij ad Smirnenses. Sed & hoc in illa Epistola nunc non exstat. Vnde sequitur, aut Theodoretum allegare falsum, aut Ignatij Epistolam ad Smirnenses esse corruptam.

ruptam. Sed & Hieronymus in 3. dialog. cont. Pelagian. dicit: *Ignatius vir Apostolicus, & Martyr scribit audacter: elegit dominus Apostolos, qui super omnes homines, peccatores erant*. At hoc nunc in eius epistolis non reperitur. Hinc apparet, has Epistolas deprauatas, & corruptas esse. Præterea non quicquid dicit Ignatius, hoc verum est. Nam in Epistola ad Philippens. dicit *eum esse Christi interfectorem, qui ieiunat die dominico*. Sed hoc falsum esse, & ratio docet, & papistæ fatentur. Postremò, si omnia vera sunt, quæ Ignatius in ijs Epistolis docet, tum nullus Episcopus subest papæ Romano. In epist. enim ad Philadelphenses docet, *nullum Episcopum vlli Episcopo subesse, neque teneri vlli Episcopo rationem reddere, nisi Christo*. In eadem Epistola dicit, *Episcopum debere ab Ecclesia eligi*. Si hoc verum est, tum Papa non legitimè eligitur: nam non eligitur ab Ecclesia. Cùm igitur papistæ plures vrgeant traditiones, quàm Ignatius, cumque Ignatij epistolæ sint magna ex partæ suppostitiæ, & deprauatæ: manifestum est eum contra nos adduci non debere. Et cùm ipsi Papistæ non velint ea seruare, quæ Ignatius præcipit; malè faciunt, dum nos eius auctoritate vrgent, qua ipsi teneri non volunt. Atque hæc de Ignatio. Secundus pater est Dionysius Areopagita, qui cap. 1. Hierarch. Ecclesiast. scribit, *primi illi nostri sacerdotalis muneris duces summa illa, & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis Institutionibus suis nobis tradiderunt.* Argumentum tale,

Quicquid dicit Dionysius, hoc verum est. Sed ille dicit Apostolos illa supersubstantialia partim scriptis,

ſcriptis, partim non ſcriptis conſtitutionibus tradidiſſe. Ergo quædam ad ſalutem neceſſaria non ſunt ſcripta.

Nos reſpondemus Maiorem eſſe falſam. Nam idē Dionyſius multa ſcribit de *templis, choris, altaribus, & catechumenis extra chorum collocandis*. Sed tempore Dioniſij, Chriſtiani neque templa, neque altaria habebant. Ergo iſta omnia falſa. Idem dicit *ſe adfuiſſe Mariæ virgini morienti cum Apoſtolis per aërem ad eam translatis*. At Epiph. in hæreſ. Antidicomar. de eadem dicit, *καὶ τε οὖν τέθνηκεν, οὐκ ἴσμεν, an igitur mortua ſit, ignoramus*. In libro de diuinis nominibus cap. 4. citat Ignatij dictum ex epiſtola ad Romanos. Sed Ignatius eam epiſtolam ſcripſit in itinere, quo Romam captiuus ducebatur ad ſupplicium; Euſeb. lib. 3, 36. Hoc autem factū eſt anno (ſequor Funccium) Traiani 14. Sed Dionyſius occiſus eſt ſub Domitiano, priuſquam Traianus ad Imperium perueniret. Teſtis Methodius in Martyr. Dionyſ. At quomodo potuit ex Ignatio citare, quod Ignatius tum nondum ſcripſerat? Sanè hæc non rectè cohærent. Deinde & Minor falſa eſt. Illa enim ſuperſubſtantialia, neque ſcriptis, neq; non ſcriptis conſtitutionibus tradiderūt Apoſtoli. Paulus enim 2. Cor. 12, 4. *dicit ſe raptum in paradiſum, & audiuiſſe ineffabilia, quæ homini loqui fas non eſt*. Vnde apparet Apoſtolos ea non reuelaſſe. Deinde Irenæus lib. 2. cap. 55. dicit *neminem hoc dicere poſſe, & qui ſibi hoc arrogāt, eos dicit delirare*. Quin ipſe Auguſt. in Enchirid. ad Laurent. cap. 58. dicit *ſe ignorare angelorum ordines*. Vnde Sequitur Dionyſium hunc illa & neſciuiſſe, & cùm illa

ſcriberet, deliraſſe. Præterea hi libri non ſunt Areopagitæ iſtius. Euſebius enim lib. 4. cap. 23. eorũ nullam facit mentionem. Sed neque Hieronymus in Catologo eorum mentionem facit. Hieronymus enumerat aliquot epiſtolas ſub nomine Dionyſij, ſed ille Dionyſius eſt Corinthiorum Epiſcopus, non ille Areopagita. Plura vide apud Eraſm. & Vallam in 17. cap. Actor. & apud VVittakerum, cont. Duræum. Poſtremò hic Dionyſius dicit cap. 3. Hierarch. *Chriſtianos ſingulis diebus ſumpſiſſe Euchariſtiam*; idem docet *lectionem ſcripturæ, & preces publicas factas eſſe lingua vernacula*. Si omnes Dionyſij traditiones obſeruandæ ſunt, quare has non obſeruant papiſtæ? Si ipſi negligunt quæ volunt, quare nos eius auctoritate vrgent? Et vt vno verbo dicam, cùm neque Maior, neq; Minor vera ſit, ſequitur & concluſionẽ veram eſſe non poſſe. Et cùm hi libri iſtius Areopagitæ non ſint, ſequitur nos ſuppoſititij alicuius libri auctoritate vrgeri non debere.

Tertius Pater eſt Egeſippus. Hunc Euſeb. lib. 4. cap. 8. dicit *Traditiones Apoſtolicas quinque libris comprehendiſſe*.

Quod ſcripſit Egeſippus, hoc non ſcripſerunt Apoſtoli. Sed Egeſippus ſcripſit quinque libris integerrimam Apoſtolicæ prędicationis traditionem. Euſeb. lib. 4, 8. Ergo quædam traditiones non ſcriptę ſunt ad ſalutem neceſſariæ.

Reſpondeo aliud eſſe in concluſione quàm in præmiſsis. Sequitur enim Apoſtolos non ſcripſiſſe traditionem Apoſtolicæ prædicationis. Sed hoc eſt falſum. Ergo falſum ex quo hoc cõſequitur. Deinde

Maior

Maior in argumento non eſt vera. Apoſtoli n. ipſi ſcripſerunt ſuæ prædicationis traditionẽ. Ergo Egeſippus ſcripſit eam materiã, quam Apoſtoli. Deinde argumentum nihil facit ad rem. Teſtatur enim Hieronymus in Catal. C. Egeſippus, *cum omnes Eccleſiaſticorum a paßione Domini vſque ad ſuam ætatem contexuiſſe hiſtorias*. Quid hoc ad traditiones? Poſtremò huius libri non ſuperſunt, quod Bellarminus fatetur. Cùm igitur eius libri non amplius ſuperſint, & ſcripſerit eadem, quæ Apoſtoli, & aliarum rerum hiſtorias attexuerit, manifeſtum eſt, eum nobis non aduerſari. Apoſtolicæ enim prædicationis traditionem libenter accipimus.

Quartus pater eſt Polycarpus. Irenæus apud Euſebium lib. 5. cap. 20. *multa audiuit à Polycarpo de virtutibus Domini & doctrina, quæ non in chartis, ſed in animo ſcribebat.*

Quæ Irenæus à Polycarpo audita non in charta, ſed in animo ſcribebat, illa non ſunt ab Apoſtolis in charta ſcripta. Sed Irenæus quædam dicta de Domini doctrina & virtutibus à Polycarpo audita non in charta, ſed in corde ſcribebat. Ergo quæ de Domini doctrina & virtutibus ad ſalutem neceſſaria ſunt, non ſunt ab Apoſtolis ſcripta.

Reſpondemus Maiorem falſam eſſe. In animo n. & in charta ſcribere, non ſunt oppoſita. Nam ea verba, quæ Domin' ad Matrẽ ſuã dixit, *Maria in animo ſcripſit*, Apoſtoli in charta, Luc. 2, 51. Debem' oẽs in corde ſcribere, quę Apoſtoli in mẽbrana ſcripſerũt, neq; eſt dubiũ, quin Apoſtoli illud in corde, & in charta ſimul

ſimul ſcripſerint. Hinc apparet hæc non rectè opponi, ac ſi ſimul vera eſſe non poſſent. Quod ad Minorem attinet, dicit, Euſebius *Polycarpi dicta fuiſſe de Chriſti doctrina & virtutibus, & fuiſſe ſac. Scripturis conſona.* At iſta omnia à nobis probantur; ſed papiſticæ traditiones non ſunt Scripturæ conſonæ. Iſta enim, quæ ſcripturæ conſona ſunt, poſſunt ex ſcriptura doceri. Sed papiſticæ traditiones non poſſunt ex ſcriptura doceri. Ergo papiſticæ Traditiones non ſunt ſcripturis conſonæ. Deinde Polycarpus ſcripſit *de doctrina Chriſti*; papiſticæ autem traditiones ſæpè continēt aniles fabulas, & ſomnia otioſorum hominum, quæ non ſunt de doctrina Chriſti. Reſpondet Bellarminus *non omnia ſcripturæ conſona poſſe probari ex Scriptura,* omnia enim veritati cōſona, eſſe ſcripturæ conſona, ſed non omnia veritati conſona poſſe probari ex Scriptura. Ergo non omnia Scripturæ conſona, poſſe probari ex Scriptura. Hoc miror homini docto excidiſſe. Omnis enim veritas nō eſt Scripturæ conſona, neque diſſona. Quædam enim eſt diſſona, quædam conſona, vt Bellarminum Ieſu ſocium oppugnare editis libris Catholicam veritatē, veritati conſonum eſt. Verum enim eſſe agnoſcit tota Gallia, Anglia, Scotia, Germania, Heluetia, Belgica, Dania, & innumeræ regiones, Sed tamen hoc ipſum Scripturæ diſſonum eſt. Socium n. Ieſu oppugnare doctrinam Ieſu, non eſt Scripturæ conſonum. Hinc apparet eſſe aliquid veritati conſonū, quod Scripturę conſonum non eſt, cauſa iſtius rei eſt, quod veritas latiùs patet, quàm Scriptura. Fruſtrà igitur Bellarminus oppugnat Chemnitium.

Deinde Eusebius normam & regulam dictorũ Polycarpi tradit *Consonantiam cum sac. Scripturis*. Nam cùm Irenæus reijceret Florini dogmata ex Polycarpi auctoritate addit rationem, *quia non erant consona Ecclesiasticæ fidei*. Ergo quæ dicta, scripta & tradita Scripturæ sunt consona, ea recipimus. Quæ verò sunt dissona à Scriptura, ea reijcimus. Si hoc non fert Bellarminus, reijciat Polycarpum, reijciat Irenæũ, reijciat Eusebium, reijciat nos omnes.

Quintus pater est Iustinus. Ille in fine 2. Apolog. dicit *postridiè Saturni, qui Solis dicitur, cum Apostolis, discipulisque suis apparuisset, hæc illis tradidit, quæ vobis quoque consideranda permittimus.*

Quæ Iustinus Imperatori, & alijs consideranda permittit, illa non sunt ab Apostolis scripta. Sed Iesum Christum resurrexisse die Solis, & crucifixum esse die Veneris, & similia, sunt illa, quę Iustinus illis consideranda permittit. Ergo quædam ab Apostolis scripta non sunt, quæ ad salutem requiruntur.

Respondemus aliud esse in conclusione, quàm in præmissis. Sequitur enim, *Christum resurrexisse die Solis non esse scriptum ab Apostolis*. Sed hoc est falsum. Ergo falsũm, ex quo hoc consequitur. Deinde & Maior falsa est. Idem enim & Iustinus istic scribit, & Apostoli ante scripserunt. Deinde dicit de ijs, quæ *Christus Apostolos docuit*, μαθηταῖς ἐδίδαξε ταῦτα. At ea libenter recipimus. Et si papistę non docebunt alia, quàm quæ Christus Apostolos docuit, colemus pacem cum ijs.

Sextus pater est Clemens. Is apud Euseb. lib. 6. cap. 11.

cap. 11. in libello de Pascha dicit *sibi extorqueri à fratribus, vt ea, quæ a Presbyteris.i. à successorib. Apostolorũ sola voce sibi tradita sunt, describeret in libris, & posteris traderet.*

Quæ Apostoli sola voce tradiderunt, ea non scripserunt. Sed quasdam traditiones sola voce tradiderunt. Ergo aliquæ Traditiones non sunt ab Apostolis scriptę.

Respondeo nos posse totum argumentum concedere. Quosdam enim ritus & ceremonias ab Apostolis institutas non esse scriptas non negamus. Sed eas non iudicamus omnibus hominibus, neq; omni tempore, & loco necessarias. Voluerunt enim Apostoli in ijs esse summam libertatem, neq; quicquam in ijs spectauerunt, quàm publicam vtilitatem, & ædificationem. Voluerunt igitur eas seruari, quatenus illud expediret. Exemplum, *Prohibitio suffocati*, Act. 15. Si verò Bellarminus hoc intelligit de ijs, quę ad salutem necessaria sunt, tum formandũ argumentum in hunc modum,

Quicquid Clemens dicit, hoc verum est. Sed Clemens dicit, Apostolos quasdã Traditiones sola voce tradidisse. Ergo præter scripturã sunt aliquę Traditiones nõ scriptę ad salutẽ necessarię.

Respondeo aliud cõcludi, quàm fuit in præmissis. Non n. ex hoc argumento sequitur quasdam traditiones ad salutem necessarias non esse scriptas; sed sequitur, Ergo verum est Apostolos quędam sola voce tradidisse. Deinde & Maior falsa est. Nam non quicquid dicit Clemens, hoc verũ est. Lib. 5. cap. 15. dicit illa verba, qui tãgit mecũ in patina, is est, qui me traditurus

diturus eſt, à *Chriſto dicta eſſe quinq; diebus ante Paſcha.* Sed Matthæus 26, 31. dicit Chriſtum *ea eadē nocte dixiſſe, qua proditus eſt.* Idē in 1. lib. Stromat. dicit, *Chriſtū per vnum annum tantùm docuiſſe*. Sed omnes Euangeliſtæ vnanimiter teſtantur, eum per tres annos & dimidium docuiſſe, vel vt alij iudicant, per quatuor annos & dimidium. In eodem libro ſcribit *gentes per Philoſophiam ſeruatas eſſe*. Sed hoc manifeſtè oppugnant Apoſtoli. Dicunt enim *non eſſe aliud nomen ſub cælo, per quod poſsimus ſalui fieri, quàm per nomen Ieſu Chriſti.* Idem lib. 3. dicit; *Chriſtum neque verè eſuriuiſſe, neque verè ſitiuiſſe, ſed tantùm ſecundum opinionem.* Sed hoc impugnant manifeſtè ſacræ litteræ. Ex his Maiorem falſam eſſe apparet. Sed neq; Minor vera. Nam illud *Sola voce*, non eſt apud Euſebium. Extat quidem apud Latinum interpretem, ſed de ſuo additum, in Græco enim non eſt. Præterea illæ traditiones, quas conſcripſit Clemens, aut fuerunt de doctrina, aut de ritibus. Si de ritibus, tum fuerunt liberæ, & ad ſalutem non neceſſariæ. Si de doctrina, tum fuit in ijs eadem doctrina iterata, quam Apoſtoli litteris tradiderūt, vel alia. Si eadem. Ergo eius norma & regula eſt ſac. Scriptura; ſi alia, tum Apoſtolus ad Galatas dicit eam anathema eſſe. Deinde ipſis Clementis libris non eſt multum tribuendum, ſunt n. *inter eos, qui Catholicis vitandi ſunt*. Diſtinct. 15. cap. Sancta. Deinde Epiphan. hæreſ. 30. dicit *hæreticos olim multa ſumpſiſſe ex libris Clementis.* Quamobrem in concilio Conſtantinopolitano ſexto c. 2. damnati ſunt. Poſtremò ipſi Epiſcopi non ſeruant Clementis traditiones. Dicit enim Can. 5. *Epiſcopus*

aut

aut presbyter, aut diaconus uxorem suam prætextu religionis non abijcito, Si abijcit, segregetur a communione, si perseuerauerit, deponitor. Cant. 6. dicit, *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus curas seculares non suscipito, alioquin deponitor*. Postremò liber Clementis de paschate prorsus perijt. Ergo affirmare non possumus, quas traditiones scripserit. Cùm igitur Clemens multa falsa nomine traditionum inculcarit, & falsò à Bellarmino allegetur, & eius liber nunc non exstet, manifestum est, eum contra Scripturam pro traditionibus allegari non posse.

Septimus pater est Origenes. Ille in cap. 6. ad Roman. dicit *pædobaptismum esse ex Apostolorum traditione*. Sed hæc traditio est scripta, quemadmodum ante ostendi, necessariò enim ex scriptura deducitur, & nos eam libenter recipimus. Idem Homil. 5. in Numeros dicit, *in Ecclesiasticis obseruationib. esse multa, quæ omnes seruare debent, quorum tamen ratio non omnibus patet*. Et hoc possumus concedere, Bellarmine. Nam non est inter nos quæstio, num omnes qui pertinent ad Ecclesiam, intelligant omnes Ecclesiasticas obseruationes: Sed quæstio est, num sint aliquæ traditiones ad salutem necessariæ, quæ vel non sunt scriptæ, vel non necessariò ex scriptura deduci possunt. Vt autem videas, quàm parum tibi faueat Origenes, vnum atque alterum locum ex eo producam. Ille igitur Homil. 25. in Matth. *Ad Testimonium omnium verborũ, quæ in doctrina proferimus, debemus sensum scripturæ proferre, quasi confirmantem, quem exponimus, sensum. Sicut enim omne aurum, quod fuerit extra templum, non est sanctificatum; sic omnis sensus,*

sensus, qui fuerit extra diuinam Scripturam, quamuis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur a sensu Scripturæ. Idem Homil. 1. in Ierem. *Necesse nobis est scripturas sanctas in Testimonium vocare. Sensus enim nostri, & enarrationes sine his testibus non habent fidem.* Eodem modo, Bellarmine. Quascunque traditiones ex Scriptura probare, vel ex ijs deducere potes, eas libêter recipiemus, quas verò ex scriptura probare non potes, eas prout putamus expedire Ecclesiæ, vel accipiemus, vel respuemus.

Octauus testis est Eusebius. Is in Euangelica demonstrat. lib. 1. cap. 8. dicit *Apostolos quadam Christi mandata palam tradidisse omnib. quadā occultasse & tradidisse perfectioribus.* Sed hoc ex diametro pugnat cum doctrina Christi. Ille enim dicit, *quæ in auribus audiuistis, ea super tecta domorum prædicate*, Matth. 10, 27. Luc. 12, 3. hoc est, quemadmodum Hieronymus interpretatur, *Quod vos didicistis abscondite, hoc publicè loquimini*; Et istam occultiorem doctrinam prorsus repudiat Tertull. de præscriptionibus cap. 25. & 26. Cùm igitur Eusebius Christi doctrinæ palàm contradicat, à nobis hac in re recipi non debet.

Nonus testis est Athanasius. Is dicit in lib. de Decretis. Nicœni concilii, *se suam sententiam* (loquitur περὶ τοῦ ὁμοουσίου,) *a Patribus per manus traditam accepisse.* Sed illud dogma est in Scriptura expressum, quemadmodum antè ostendi; Ideo libenter à nobis admittitur. Imò non hoc tantùm, sed quicquid Bellarminus ex Scripturis vel probare, vel educere potest, æquè libenter admittimus. Et vt videas, quàm parum tibi faucat Athanasius, ille contra gentes inquit,

 suffi-

sufficiant sacræ, & diuinitùs inspiratæ scripturæ ad omnem Instructionem veritatis.

Decimus Pater est Basilius. Ille in lib. de Spir. sancto, cap. 27. *Dogmata, quæ in Ecclesia seruantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex traditione Apostolorum in mysterio ad nos delata accepimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem Ecclesiasticarum rerum experientiam habet.*

Quicquid dicit Basilius, hoc est verum. Sed Basilius dicit dogmata Ecclesiastica partim scripta esse, partim non scripta, & vtraque ad pietatem habere eandem vim. Ergo quædam dogmata Ecclesiastica sunt scripta, quædam non sunt scripta, & vtraque ad pietatem habent eandem vim.

Respondeo Maiorem esse falsam. Nam Basil. in orat. de Natiuit. Domini, dicit *Zachariam patrem Iohannis, esse eum, qui inter altare & templum est occisus.* Sed hoc est falsum. Deinde ad Minorem respondemus, primùm Basilium loqui de ritibus, quos fatemur non omnes scriptos esse, non autē de doctrina. Respondet Bellarminus, *eum de ritibus, & de doctrina simul loqui.* Quia inter cætera dicit, *quòd credimus in Patrem, & Filium, hoc non scriptum, sed ex traditione esse.* Verùm si Basilius hoc seriò scripsit, tùm errauit; hoc enim scriptum est. Ioh. 14, 1. *Creditis in Deum, & in me credite.* Aut igitur Basilius loquitur de ritibus tantùm, aut errauit in eodem capite, ac proinde nobis non sequendus. Deinde hic liber est deprauatus in medio, vt testatur Erasmus. Ergo non potest ex hoc

hoc libro cognosci, quæ sit vera & genuina Basilij sententia. Ad hoc respondet Bellarminus, *Damascenum hoc non vidisse, & fuisse Erasmo doctiorem*. Verùm an Damascenus sit Erasmo doctior, iudicēt doctiores. Quòd autem Damascenus hoc non vidit, causa est, quòd eum non satis attentè legit. Verùm si hæc responsio non sufficit Bellarmino, tum oppono *Basilium non controuersum* Basilio controuerso. Ille igitur in sermone de fidei confessione. *Si fidelis est Dominus in omnibus sermonibus suis, & fidelia omnia mandata eius, manifesta est elapsio à fide, & superbia crimen, aut reprobare quid ex his quæ scripta sunt, aut superinducere quid ex non scriptis. Cùm Christus dixerit, Oues meæ vocem meam audiunt, alienum autem non sequentur, sed fugient, quia non nouerunt vocem eius*. Idem in Moralib. summa 72. cap. 1. pronunciat, *quòd oporteat auditores eruditos in scripturis probare ea, quæ à doctoribus dicuntur: & quæ quidem consona sunt scripturis suscipere, quæ verò aliena, reijcere*, & ad illam regulā accommodat sententiam illam, Gal. *Si Angelus è cœlo euangelizauerit vobis, præter id, quod prædicauimus vobis, anathema sit*. Idem ibidem, Sum. 80, cap. 22. *Quid est propriū credentis? nihil audere, reprobare aut insuper addere. Si n. omne quod non est ex fide peccatū est, fides autem ex auditu est, auditus autem per verbum Dei, omne quod est extra scripturam diuinitus inspiratum, quia non est ex fide, peccatum est*. Idem Epist. 80. *Non putamus iustum esse obtinere apud ipsos consuetudinem, legem, ac regulam facere rectæ doctrinæ. Igitur Scriptura diuinitùs inspirata arbiter à nobis constituatur, & apud quem inuenta fuerint dogmata diuinis sermonibus concordantia, his omnino*

etiam veritatis suffragium accedit. Ex his apparet, Bellarmine, quàm parum Basilius faciat pro vestris traditionibus contra & extra Dei verbum excogitatis. Postremò ipsi Papistæ nunc non observant traditiones à Basilio istic numeratas. Quare igitur nos vrgēt ad illud seruandum, quod ipsi tenere recusant?

Vndecimus Pater est Nazianzenus. Is in orat. 1. ad Iulian. ait, *Se miratum esse Ecclesiæ doctrinam, sed maximè figuras, quas traditione acceptas Ecclesia seruat.* Respondeo hoc nihil facere ad rem. Non enim inter nos quæstio est, propter quas res doctrina Ecclesiæ sit Nazianzeno mirabilis visa, Sed an Scriptura sac. contineat omnia ad salutem necessaria, an verò non contineat omnia ad salutem necessaria.

Duodecimus Pater est Chrysostomus. Ille in 2. ad Thess. 2. inquit, *Patet quòd non omnia per Epistolam tradiderint Apostoli, sed multa sine litteris. Eadem verò fide digna sunt tam ista, quàm illa.* Verùm ego Chrysostomum Chrysostomo oppono. Ille enim Homil. 49. in Matth. *Nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque aliud refugium potest Christianorum fidei veritatem cognoscere volentiū, nisi Scripturæ diuinæ.* & paulò post, *Christiani qui sunt in Christianitate volentes firmitatem accipere fidei, ad nullam rem fugiant nisi ad scripturas.* Idem in Psal. 95. *Si quid dicitur absque scriptura, auditorum cogitatio claudicat. Verùm vbi è Scriptura diuinæ vocis prodit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.* Si hæc responsio non sufficit Bellarmino, respōdeo illas traditiones, de quibus loquitur Chrysostomus, vel esse de doctrina, vel de ritibus. Si de ritibus, tum non pertinent ad præsen-

præſentem diſputationem. Si de doctrina: tum ſunt idem cum doctrina ſcripta: vel aliud. Si idem, recipimus eas, ſed ita vt à nobis per ſcripturam dijudicentur & examinentur. Si aliud, dicimus eas eſſe anathema cum Apoſtolo, ad Gal. 1, 9. Quod verò attinet ad traditionem ex 3. Homil. ad Philipp. allegatam, ad eam reſpondebimus ſuo loco.

Decimus tertius pater eſt Theophilus. Ille lib. 1. & 3. dicit *legem Ieiuniorum eſſe Apoſtolicam traditionem.* Reſpondeo in Ieiunio eſſe duo, internũ, nempe ipſam ieiunij ſubſtantiam, & externum, nempe hoc vel illo modo ieiunare, videlicet hoc vel illo die, tempore, loco, & his vel illis cibis abſtinere. Si nunc de ipſo morali loquitur, quod eſt in Ieiunio, tum fatemur eum verum dicere. Si verò de externis circunſtantijs loquitur, nempe de certis Ieiuniorum temporibus & cibis, &c. tum illud eſt falſum. Contrarium enim in ſac. litteris eſt reuelatum, Colloſ. 2, 16. *Nemo vos iudicet in cibo & potu.* Et Gal. 4, 10. *Dies obſeruatis & menſes!* Sic igitur diſputo.

Quod cum Apoſtolorum ſcriptis manifeſtè ex diametro pugnat, illud non eſt ex traditione Apoſtolica. Sed certis diebus Ieiunare, & à certis cibis abſtinere manifeſtè pugnat cum doctrina Apoſtolorum. Ergo non eſt traditio Apoſtolica.

Deinde Apollonius apud Euſebium lib. 5. cap. 18. dicit *Ieiunij leges primùm à Montano editas eſſe.* Præterea Apoſtoli hoc liberum reliquerũt, vt antè probatum eſt.

Decimus quartus pater eſt Cyrillus. Verum Bel-

larminus debuit ex eo aliquas traditiones proferre. Quod cùm non fecit, non opus est his immorari: Veruntamen Cyrillus parum iuuat traditiones papisticas contra Dei verbum excogitatas. Quarta enim Catechef. dicit, *in rebus ad fidem pertinentibus nihil omnino extra Scripturam statuendum esse*. Equidē hoc libenter amplectimur, et si Bellarmino, & alijs papistis idem placet, tum inter nos hæc controuersia est composita. Hoc vnum enim volumus, vt in rebus ad fidem pertinentibus nihil extra Scripturam statuatur.

Decimus quintus pater est Epiphanius. Is hæref. 55. inquit; *Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & scriptura sacræ, & successiones doctrinæ, & vndiquaque veritas Dei munita est, vt nemo decipiatur nouis fabulis.* Respondeo hoc intelligendum esse de ijs traditionib. quæ cum Scriptura congruunt, vel ex ijs deduci possunt. Nam cùm Melchizedechianos eodē capite refutat, dicit, οὐκ ἔχει δὲ κατὰ τὰς ῥητὰς γραφὰς καὶ ἐνδιαθέτους. Si hoc non satis facit Bellarmino, tum traditio de alia doctrina, q̃ de ea, qnam Apostoli scripserunt, intelligenda est. Sed si hoc volūt, audiant Paulū ad Galat. cap. 1. vers. 9. dicentem, *Si vel Angelus è cœlo vobis aliud Euangelium euangelizauerit, anathema sit.*

Vltimo loco adducit Damascenum. Sed ille est recentior, & sibi non cōstat. Aliquando enim valdè extollit traditiones non scriptas. Aliquando verò dicit in scriptura comprehendi necessaria. Disertè enim dicit de fide Orthod. lib. 1. cap. 1. *Cuncta quæ tradita sunt nobis per Legem, & per Prophetas, & Apostolos,*

los, & Euangelistas suscipimus, nihil vltra illa perquirentes. Atque hęc de Patribus Gręcis. Et vt totam hanc disputationem in pauca contraham, dicimus nos omnes eas traditiones, quas Apostoli in verbo suo expresserunt, vel quæ necessariò ex verbo Dei deduci possunt, libenter recipere: eas verò, quæ ex Dei verbo deduci non possunt, modò non pugnent cum Dei verbo, non aspernari; imò vsurpare etiam eas, quando, & quatenus Ecclesiæ vtile est. Quæcunque verò Traditiones cum verbo Dei pugnant, eas nequaquam recipimus, quantumuis splendidos titulos & auctores præ se ferant. Hæc de Patribus Græcis. Nunc de Latinis. primo loco producit Tertullianum de corona militis, cap. 4. *Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostulas scripturarum, nullam inuenies, traditio tibi prætendetur auctrix.* Argumentum tale,

Quicquid dixit Tertullianus, id est verum. Sed Tertullianus dicit, quasdam disciplinas non scriptas, sed traditas esse. Ergo quædam traditiones non scriptæ sunt ad salutem necessariæ, vel omnia ad saluté necessaria non sunt scripta.

Respondemus Maiorem esse falsam, & ne hoc particularibus erroribus cogar probare, ostendam in genere. Hieronymus cont. Heluid. dicit *Tertullianum non esse Ecclesiæ hominem.* Eodem modo & nos possemus respondere. Nam cùm Hieronymus vrgeretur Tertulliani auctoritate, reijcit totum argumentum, dicendo, *de Tertulliano nihil amplius dico, quàm Ecclesiæ hominē non fuisse.* Idem in Catal. C. Tertullianus, dicit *cum in Montani dogma cecidisse, & in*

 multis

multis libris meminisse noua Prophetia, & specialiter scripsisse aduersum Ecclesia. Hilar. canone 5. in Matth. *Tertullianus de hac re aptißima scripsit volumina, sed consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem*. Quam ob causam Tertullianus inter eos numeratus est, *qui Catholicis sint vitandi*, C. Sancta Distinct. 15. Deinde in conclusione plus est, quàm in præmißis. Nam ex hoc argumento non sequitur, aliqua ad salutem necessaria non esse scripta, sed tradita; sed quasdam disciplinas non esse scriptas, sed traditas, loquitur autem de corona. At illa non pertinet ad salutem, & apud multos fuit adiaphora. Et hoc tempore prorsus est licita. Deinde cap. præcedente notat, ex eodem fonte *esse ternam immersionem, orare stando, non ieiunandum diebus Dominicis*. Hęc & similia aut sunt ad salutem necessaria, aut non sunt. Si sunt, tùm ex omnibus papistis nemo seruari potest: nemo enim ex papistis ea obseruat. Si non sunt, tum non rectè nobis opponitur Tertullianus. Non enim de rebus indifferentibus, sed de rebus ad salutem necessarijs disputamus. Deinde non negamus quosdam ritus non esse scriptos. Sed neq; Minori multum tribuendum est. Nam hunc librũ scripsit postquam in hæresin prolapsus esset. Est n. scriptus contra Ecclesiam, cap. 1. dicit. *Noui & Pastores eorum in pace leones, in prælio ceruos.* Quare dixit *eorum*. Certè si Tertullianus adhuc de Ecclesia fuisset, honestiùs locutus fuisset, aut saltem dixisset, *nostros*. Eodem capite, *Mußitant denique tam bonam & longam pacem sibi periclitari.* Quinam illi? Certè pastores Ecclesiæ, ad quam si tum pertinuit Tertullianus, au
valde

valdè mali fuerunt, aut Tertullianus valdè iniquus in eos. Denique in eodē capite dicit: *Planè superest, vt etiam martyria recusare meditentur, qui prophetias eiusdem Sp. Sancti respuerunt.* Aut loquitur de Prophetijs scriptis, aut de nouis Montani prophetijs non scriptis. Si de scriptis, tum contradicit sibi ipsi. Capite enim quarto dicit *harum disciplinarum nullam scriptam legem inueniri.* Loquitur igitur de prophetijs Montani. Manifestum igitur Tertullianum fuisse hæreticum, cùm hunc librum scriberet. Sed númne, Bellarmine, pro traditione ad salutē necessaria obtrudes, quod hæreticus ex Montani prophetijs produxit? Postremò loquitur de pastoribus Romanis. Si verò illi tales fuerunt tempore isto, quales Tertullianus eos describit, quis nunc mirabitur eos prę- ter nudum nomen sibi nihil reseruasse? Secundus locus est ex lib. 1. cont. Marcionem cap. 21. sed eum non notat, & id prudenter. Nihil enim dicit Tertullianus, quod eum iuuare posſit. Similiter & locū ex 2. ad Vxorem, de velandis virginibus, cum silentio præterit. Postremò annotat & locum ex libro de præscriptionib. vbi dicit *hæreticos non ex Scriptura, sed ex traditionibus refutandos esse.* Quod equidem miror. Nihil enim fortius est ad papistas refutandos, quàm liber Tertulliani de præscriptionibus. Ille eo libro disputat contra eos, qui vel Scripturas non recipiunt, vel eas mutilant, vel aliquid apponūt, & eos docet non ex Scriptura refutādos esse. Qui n. Scripturas negāt, illi ex ijs refutari non possunt, principia enim debent esse extra controuersiā posita. Dicit igitur eos ex traditionibus refutādos esse. At ex qui-

bus traditionibus? Respondet Tertullianus cap. 21. *quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit*, hanc esse veram doctrinam, quam antè Traditionē appellauit. At quænam est illa? Respondet Tertullianus eodem cap. *quam apostoli prædicauerunt, primùm viua voce, postea per Epistolas*. At hanc traditionem qui non recipit, anathema sit. Hanc esse veram Tertulliani sententiam constat ex lib. de Resurrect. carnis: *Aufer*, inquit, *hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, vt de solis scripturis suas quæstiones sistant, & stare non poterunt*. Et in lib. cont. Hermogen. *Adoro Scripturæ plenitudinem, scriptum esse doceat Hermogenis disciplina, si non est scriptum, timeat Væ illud, adijcientibus vel detrahentibus destinatum.*

Secundus pater est Cyprianus. Ille dicit lib. 1. Epist. 12. *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, vt accepto Chrismate*: *i. vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit*. Hoc nihil iuuat papisticas traditiones. Nam eodem capite dicit, *eos, qui ab hæreticis baptizati sunt, debere denuò baptizari*. Num hoc etiam ab Apostolis traditum est? non opinor. Imò accidit Cypriano, quod nostris aduersarijs. Ille enim vnum errorem probauit per alium. Nam voluit probare, hæreticos non habere Baptismum verum, quia non possunt vngere. Planè eodem modo nostri aduersarij probant scripturam non continere omnia illa, quæ sunt ad salutem necessaria. Quia Ecclesia Romana multis ritibus & Ceremonijs vtitur quæ non sunt scriptæ. Deinde Cyprianus ad Pompeium, *ea*, inquit, *facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur*. Ostendat Bellarminus, vbi scriptū sit, oleum

in B:

in Baptiſmo adhibendum eſſe, aut deſinat Cyprianum contra nos vrgere. Secundum Cypriani Teſtimonium eſt ex lib. 2. Epiſt. 3. *Admonitos autem nos ſcias, vt in calice offerendo, dominica traditio ſeruetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis dominus prior fecit, vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.*

Quicquid dicit Cyprianus, hoc eſt verum. Sed Cyprianus dicit, vinum aqua miſceri in Euchariſtia, eſſe traditionem Domini. Ergo quędam ad ſalutem neceſſaria non ſunt ſcripta. Vel, Quædam Traditiones non ſcriptæ ſunt ad ſalutem neceſſariæ.

Reſpondeo aliud concludi, quàm præmittitur. Tantùm enim ſequitur. Ergo vinum aqua miſceri in Euchariſtia, eſſe Traditionem domini. Sed hoc non eſt tam firmum, quàm dicit Cyprianus. Thomas n. dicit in tertia parte quæſt. 74. Art. 6. in reſponſione generali. *Reſpondeo dicendum, quòd vino, quod offertur in hoc ſacramento, debet aqua miſceri, primò quidem propter inſtitutionem. Probabiliter enim creditur, quòd Dominus inſtituerit hoc ſacramentum in vino aqua permixto, ſecundum morem iſtius terræ. Vnde prouerb. 9. dicitur bibite vinum, quod miſcui vobis. Eodem modo, ſi vina apud nos abſque aqua bibi non poſſent, non negarim illud moderatè diluendum eſſe.* Vbi verò tam generoſum non eſt, reſpondeo cum eodem Thoma, P. 3. Quæſt. 74. artic. 8. in Reſpōſione vniuerſal. parum aquæ apponendum eſſe. Deinde ſi aqua tam eſſet neceſſaria, vt Euchariſtia non ſit ſacramentū, niſi aqua adſit; tum malè Thomas P. 3. Q. 74. Art. 7. negauit *aquam eſſe de neceſ-*

necessitate huius sacramenti. Nam si Christus æquè instituit aquam, atque vinum, & panem? tum aqua est de Sacramenti necessitate. Vinũ enim & panis sunt de Sacramenti necessitate. Sed neque maior vera est. Multa enim dixit Cyprianus, quæ ipsi etiam aduersarij falsa esse fatentur. Prętereà papistæ non possunt fortiùs repelli, quàm ex hac epistola. Dicit enim ab *Euangelicis præceptis omnino recedendum non esse; & eadem, quæ magister docuit & fecit, discipulos quoque facere & obseruare debere constantiùs & fortiùs: Alio in loco beatus Apostolus docet, dicens, Miror quòd tam citò dimittamini ab eo, qui vos vocauit ad gratiam, ad aliud Euangelium, nisi sunt aliqui, qui vos turbant, & volunt conuertere Euangelium Christi. Sed licet nos aut Angelus è cœlo aliud annunciet, præterquam quod annunciauimus vobis, anathema sit.* Arrige hìc aures Bellarmine, & annuncia idem quod Apostoli annunciarũt, aut Cypriani Anathema extimesce. Postremò Cyprianus ex aliquot Scripturæ testimonijs probat hanc traditionem. Videtur igitur secundum Cyprianum esse scripta traditio. Ab hac opinione nõ abhorret Thomas P. 3. Q. 74. A. 6. in Resp. Generali; dicit *vinum aqua miscendum esse, quia hoc conuenit repræsentationi dominicæ passionis.* Vnde dicit Alexander Papa: *Non debet in calice domini, aut solum vinum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum: quia vtrumque ex latere eius passione sua prosluxisse legitur.* Quod si ita est, non est quod Bellarminus Chemnitium carpat, qui hoc de scripta traditione explicat, sed si vult quemquam carpere, carpat Cyprianum, carpat Alexandrum Papam, carpat Thomam, Illi enim idem dicunt,

dicunt, quod Chemnitius. Idē Cyprianus ad Pompeium contra Epiſtolam Stephani, ſatis diſertè dicit, *non omnem Traditionem ſeruandam eſſe, ſed eam quæ in Euangelio, Apoſtolorum Epiſtolis, & Actibus fundatur.* In eadem Epiſtola dicit *obſtinationem eſſe, humanam Traditionem anteponere diuin. diſpoſitioni.* In eadem Epiſtola, *Nec conſuetudo, quæ apud quoſdam irrepſerat, impedire debet, quo minus veritas præualeat & vincat. Nam conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt; propter quod relicto errore, ſequimini veritatem*. Si iſta regula obtinet, iacent papiſticæ Traditiones omnes, quæ extra Dei verbum ſcriptum excogitatę ſunt.

Tertius pater eſt Hilarius. Ille dicit in libro cont. Conſtantium; *Nolo verba, quæ non ſunt ſcripta legi.* Reſpondeo. *Hic tantùm rogo quis Apoſtolus iubeat, quis Apoſtolicæ prædicationis vetet formam? dic prius, ſi rectè dici putas, nolo aduerſus noua venena, nouas medicamentorum compoſitiones.* Bellarminus his verbis duo ab Hilario ſignificari aſſerit. Vnum, *prædicationē conſubſtantialitatis patris & filij, eſſe Apoſtolicæ prædicationis; licet expreſſè non ſit ſcriptum, filium eſſe patri conſubſtialem.* Alterum, *nomen ὁμοούσιος eſſe quidem nouum, ſed tamen retinendum, licet non ſit ſcriptū, quia eſt Apoſtolicæ prædicationi conforme.* At mi Bellarmine nos vtrumque fatemur. Scimus, enim, ea, & quæ in ſcriptura expreſſa ſunt, & quæ neceſſariò ex ea deduci poſſunt, eſſe in eadem auctoritate. Concedimus igitur, id retinendum eſſe, neque hoc tantùm, ſed quaſcunque traditiones Bellarminus ſac. literis conformes probare poteſt, eas recipimus, quæ verò ijs non ſunt conformes, eas reijcimus. Hilarius enim

hîc

hîc regulam Traditionum ponit, nempe *conformitatem cum sacris litteris*. Propterea etiam dicit vocem ὁμοούσιος retinendam esse. Ergo quicquid cum illis conforme est, recipiendum est, quod non cum illis conforme est, illud abijciendũ est. Hæc regula Hilarij si obtinet, perierunt oẽs papisticæ traditiones.

Quartus pater est Ambrosius, Ille lib. de initiandis cap. 1. & 6. item lib. 1. de Sacrament. cap. 1. & 2. *explicat multos ritus in Sacramentis, qui non sunt scripti.* Sed nos non de ritibus disputamus. Fatemur enim multos ritus non esse scriptos. Sermon. 35. 34. 36. *docet quadragesimam à Christo præceptã.* Sed de quadragesima satis responsum est, & pleniùs dicemus de ea suo loco. Hoc nunc taceri non debet; Ambrosium hîc allegatum pugnare cum Bellarmino. Bellarminus enim suprà dixit *quadragesimam esse ab Apostolis institutã.* At Ambrosius hîc dicit, *eam à Christo præceptam esse.* Idem Ambros. Sermon. 36. dicit *symbolum Apostolicum esse Traditionem*. Fateor, sed scriptam, nihil enim est in symbolo, quod scriptum non est. Deinde Ambrosius dicit lib. 3. Hexam. cap. 3. *Quod apertè scripturarum auctoritate non didici, quasi secretum prætereo.* Et lib. 1. Hexam. cap. 6. *Satis est ad scientiam, quod scripturarum diuinarum series comprehendit.* Non rectè igitur cõtra nos allegatur Ambrosius. Nam secundum eum Scriptura continet perfectam scientiam.

Quintus pater est Hieronymus. Ille in Epist. ad Marcell. inquit, *nos vnam quadragesimam ex Apostolica traditione, tempore nobis congruo, ieiunamus*. Sed de Ieiunio antè diximus. Et aduersus Luciferianos hæ-

rætícos,

ræticos, *Multa*, inquit, *quæ per traditiones in Ecclesia obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurparunt.* Resp. orthodoxus: *Non quidē abnuo hāc esse Ecclesiarū consuetudinem, sed quale est, vt leges Ecclesiæ, ad hæresin transferas?* Sed hîc loquitur Hieronymus de ritibus, nos autem disputamus de doctrina fidei, ad salutem necessaria. Fidei autem doctrinam totam contineri sac. litteris docuit Hieronymus satis manifestè, Ad Tit. 1. *Sine auctoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem.* Idem ad Galat. *Spiritus Sancti doctrina est, quæ canonicis libris prodita est: cōtra quam si quid statuunt concilia, nefas duco.* Idem in Matth. cap. 23. *Quod de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.*

Sextus Pater est Augustinus. Ille Epist. 118. cap. 1. *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe tradita obseruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs concilijs, quorū est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quòd Domini paßio & resurrectio, & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus Sancti, anniuersaria solennitate celebrantur: & si quid aliud occurrerit, quod seruatur ab vniuersa, quacunque se diffundit Ecclesia.*

Quoniam magna est Augustini auctoritas in Ecclesia: ideò diligentiùs ad eum respōdebo. Quæstio inter nos est Bellarmine, an quædam Traditiones non scriptæ sint ad salutem necessariæ? Tu ais. Ego nego. Tu tuam sententiam probas. *Quia illa, quæ vniuersa Ecclesia seruat, ea vel ab Apostolis, vel à cōcilijs plenarijs commendata sunt.* Argumentum tale,

Quæ-

Quæcunque à concilijs, vel ab Apoſtolis prodita ſunt, illa ſunt neceſſaria ad ſalutem. Sed quæ vniuerſa Eccleſia tenet, illa vel ab Apoſtolis, vel à Concilijs tradita ſunt. Erga quæcunque vniuerſa Eccleſia tenet, illa ſunt neceſſaria ad ſalutem. Hinc

Aliud infers. Quęcunque ab vniuerſa Eccleſia ſeruantur illa ſunt neceſſaria ad ſalutem. Sed quædam traditiones non ſcriptæ ab vniuerſa Eccleſia ſeruantur. Ergo quædam Traditiones non ſcriptæ ſunt ad ſalutem neceſſarię. Et per conſequens ſcriptura non continet integram doctrinam ſalutis.

Priuſquam hoc argumentum excutiamus, videndum eſt, de qua re loquatur Auguſtinus, ne videamur extra ſepem vagari. Auguſtinus igitur docet Ianuarium, quid agendum ſit in ijs, in quibus conſuetudines regionum & Eccleſiarũ variant, & in quibus conſentiunt, puta de Sacramenti ritibus, feſtis diebus, Ieiunio & Euchariſtia; verùm non de ipſo ieiunio, neque de ipſa Euchariſtia, ſed quo die vel tempore ſint celebranda. Hæc omnia diſtribuit in tres claſſes. Quædam ſcilicet ſcripta ſunt, quædam non ſunt ſcripta. Non ſcripta ſunt duplicia, alia vniuerſalia, & obſeruantur à tota Eccleſia, quędam particularia, & obſeruantur à particularibus Eccleſijs, cap. 1. In primo ordine ponit Sacramenta, *Dominus*, inquit, *Sacramentis numero pauciſsimis, obſeruatione faciliſsimis, ſignificatione præſtantiſsimis, ſocietatem noui populi colligauit. Sicuti eſt baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio corporis & ſanguinis ipſius, & ſi quid*

quid aliud in scripturis canonicis commendatur. Hinc apparet, Bellarmine, omnia Sacramenta noui Testamenti esse scripta. Si igitur apud vos in aliquo pretio est Augustinus, abolete ea Sacramenta, quæ non sunt scripta. De horum, quæ scripta sunt, obseruatione, respondet Augustinus cap. 5. *Ad hæc itaque ita respondeo, vt quid horum sit faciendum, si diuina Scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus*. In secundo ordine ponit certum diem celebrationis Passionis, & Ascensionis Domini, item Missionis Spir. sancti. *Illa autẽ*, inquit, *quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quòd Domini passio & resurrectio, & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus Sancti, anniuersaria solennitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa, quàcunque se diffundit, Ecclesia.* cap. 1. Vnde apparet eum non loqui de doctrina, sed de obseruatione dierum, postquam enim aliquos dies enumerasset, addit generalem clausulam, *& si quid aliud tale*. Ad hoc respondet cap. 5. *Similiter etiam* obseruandum *si quid horum per totum orbem frequentat Ecclesia. Nam hoc quin ita faciendũ sit, disputare, insolentissima insania est*. In tertia classe ponit certos dies Ieiunij, & Eucharistiæ. *Alia verò*, inquit, *quæ per loca terrarum, regionésque variantur, sicuti est, quod alij ieiunant sabbatho, alij verò non; alij quotidiè communicant corpori, & sanguini dominico, alij certis diebus communicant: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur,*

tur, alibi Sabbatho tantùm & Dominico, & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest. cap. 2. Ad hoc respōdet ibidem. *Totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes, nec disciplina vlla est in his melior graui, prudentiq́ Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque fortè deuenerit.* Vbi annoto non voluisse Augustinū, eas prorsus liberas esse, ita vt quilibet, in quibuslibet locis eas vel obseruaret, vel non obseruaret. Sed ita esse liberas, vt vbi nō obseruabātur, possent liberè omitti; vbi verò obseruabātur non possent liberè omitti, sed propter scandalum vitandum in eo loco seruandas esse. cap. n. 2. dicit; *Quòd enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandum est.* Et in eodem cap. *cum Romam venio, Ieiuno sabbatho, cùm hic sum, non ieiuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Hanc esse veram mentem Augustini, fatebitur ipse Bellarminus. Iam excutiemus argumentum, & prius respōdebimus ad syllogismum principalem, deinde ad eum, qui ex eo ducitur. Ac primùm negamus Maiorem. Nam non quicquid ab Apostolis, & concilijs traditum est, hoc est ad salutem necessarium Inter cętera enim tradiderunt multos ritus, qui sun indifferentes, & pro ratione temporum, personar & locorum possunt mutari, & tales multi in vete Ecclesia fuerunt in vsu, qui tamen nunc à papist non obseruantur: Hoc non negabit Bellarminu Hæc igitur Maior corrigenda est; & dicendun Quædam ab Apostolis, & Concilijs tradita sunt salute

lutem necessaria. Quam ob causam & conclusio debet esse particularis. Ergo quædam, quæ ab vniuersa Ecclesia obseruantur, sunt ad salutem necessaria. Ex tali autem cõclusione proximus syllogismus colligi non potest. Verùm ne erret Bellarminus, dum dico quædam à concilijs tradita esse ad salutem necessaria, non volo, concilia alia quædam ad salutem necessaria tradidisse, præter ea, quæ scripta sunt, sed eadem, quæ scripta sunt, vel iterasse, vel explicasse. Hæc ad Maiorem. Nunc ad Minorem; quæ prorsus nihil facit ad rem, quam agit Bellarminus. Et quoniam ostendit se maximè niti isto principio, quod vniuersa tenet Ecclesia, hoc est seruandum, age excutiamus hoc principium. Augustinus dicit. *quod vniuersa tenet Ecclesia, hoc vel ab Apostolis, vel à Concilijs accepit.* Ergo seruandũ. Ergo, inquit Bellarmin', *quod Ecclesia Romana tenet, hoc ab Apostolis & Concilijs accepit, & ob eam causam seruandum.* Argumentum tale.

Quod tenet vniuersa Ecclesia, hoc ab Apostolis vel Concilijs profectum est. Sed Romana Ecclesia est vniuersa Ecclesia. Ergo. Hanc esse mentem tuam, Bellarmine non negabis.

Verùm in Minore est petitio principij. Romanam n. Ecclesiã esse vniuersam Ecclesiã, est inter nos controuersum, & nos, hoc esse falsum, ostendemus suo loco. Hęc de principali syllogismo, nũc ad illum, qui ex eo ducitur. Ac primùm negamus Maiorẽ. Eam n. non esse vniuersaliter veram ostendimus antè. Cùm verò Maior particulariter formatur, tum sunt puræ particulares. Hæc ad argumentum, nunc quædam de re ipsa. Totum argumentum nihil facit ad rem.

Nos enim disceptamus de doctrina fidei, Augustinus verò disputat de obseruatione quorundam dierum. Hoc disertè dicit. Et ne Bellarminus dicat & doctrinam fidei sub ista parte comprehendi, addit Augustinus generalē clausulam. *Et si quid aliud tale.* Qua clausula omnis doctrina fidei excluditur. Nulla enim doctrina fidei, est aliud tale. Ergo Augustinus frustrà contra nos adducitur. Deinde hæ dierum obseruationes non sunt necessariæ ad salutem, sed reipsa sunt indifferentes. Quòd verò tenendæ sunt, non fit propter salutem, sed propter vitationē scandali. Hoc quoniam negat Bellarminus, diligentiùs explicandum videtur. Ac primùm eius responsio examinanda est. *Alia verò*, inquit ex Augustino, *quæ per loca terrarum regionumq; variantur, liberas habent obseruationes*. Si Bellarminus hoc de quolibet loco intelligit, tum errat, & pugnat cum Augustino. Augustinus enim vult, vt ea seruentur, in ijs locis, in quibus instituta sunt. Hoc probaui antè. Vnde apparet, & particulares obseruationes esse necessarias secundum Augustinum. Sed qua necessitate? num salutis? Non; sed necessitate scandali. Disertè enim dicit cap. 2. *ad quam veneris Ecclesiam, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quenquam tibi*. Sunt igitur istæ particulares obseruationes necessariæ propter scandali vitationem. At hoc modò & istę vniuersales obseruationes sunt tantùm necessariæ. Nam quod particulares requirunt in ijs locis, in quibus institutæ sunt, hoc vniuersales requirunt in omnibus locis. Sed particulares in ijs locis, in quibus institutæ sunt, requirunt obseruationem

tionem propter ſcandali vitationem. Ergo iſtæ vniuerſales requirunt in omnibus locis obſeruationem propter ſcandali vitationem. Per ſe igitur ſunt liberæ, propter ſcandalum ſunt ſeruandæ. Hoc cùm Brentius diceret, debuiſses acquieſcere. Verùm quia tibi libuit contra Brentium inſurgere; age aſseremus noſtram ſententiam argumentis Bellarminiana exceptione maioribus. Auguſtinus adducit exemplum ſolenne *de Paſcha*, quod & Bellarmin' allegat. Páſcha igitur certo die obſeruare, dico per ſe liberum eſse & indifferens, propter ſcandali vitationem eſse neceſsarium. Hoc probabo ex 5. lib. Euſeb. Eccl. Hiſt. capit. 24. cùm enim inter Aſiaticos & Europæos orta eſſet contentio de die Paſchatis, in qua Victor Romanus *pertinaciter & non rectè* (vtor verbis Euſebij) poſteà egit, ita lis compoſita eſt, vt Aſiatici retinerent ſuum morem, & Europæi retinerent item ſuum morem, & colerent inter ſe concordiam. Idem narrat Socrates lib. 9. Tripart. hiſt. cap. 28. Sed hoc Anicetus & Polycarpus facere non potuiſsent, ſi certi diei obſeruatio eſset ad ſalutē neceſsaria. Neq; tamen hæc ego diſputo, quòd improbem iſtum ritum. Verùm enim alicuius rei vſum oſtendere, non eſt rem improbare. Et quòd ad rem ipſam attinet, dico neceſsarium eſse ad ſalutem, recordari paſsionis domini, & commemorare eius beneficia. Sed hoc facere certo aliquo die, non eſt neceſsarium propter ſalutem, ſed tantùm propter ordinē. Et vt vno verbo dicam, quaſcunque obſeruationes neque cum fide, neque cum bonis moribus pugnantes obſeruat vniuerſa Eccleſia, eas cum Auguſtino libēter in omnib.

locis obſeruabimus; & quas obſeruationes neque cum fide, neque cum bonis moribus pugnantes obſeruat hæc vel illa Eccleſia, eas cum Auguſtino libenter obſeruabimus in ijs Eccleſijs, in quibus ſeruantur. Verùm ne quis ſtatim inferat, hoc vel illud Apoſtolicum eſſe, quoniam ab Eccleſia ſeruatur, inquiram in illud paulò diligentiùs. Nemo tamen exiſtimet hæc in Auguſtinum fieri: eius enim memoria eſt apud me in benedictione. Sed tantùm veritatis indagandæ ſtudio facio. Auguſtinus dicit *obſeruationem certi diei paſchatis obſeruari ab vniuerſa Eccleſia, ideo eſſe vel ab Apoſtolis, vel a concilijs plenarijs profectam.* Hinc facit Bellarminus vniuerſalem regulá: *Omnia quæ vniuerſa Eccleſia obſeruat, ea eſſe Apoſtolica.* Verùm tempore Polycarpi & Aniceti, Apoſtoli nullum certum diem ſtatuerunt. Polycarpus enim & Anicetus prætendebant traditiones maiorũ. Euſeb. lib. 5. cap. 24. Eccleſ. Hiſt. *Neque enim aut Anicetus Polycarpo ſuadere potuit, vt non obſeruaret ea, quæ nouerat Iohannem diſcipulum Domini, vel reliquos Apoſtolos, cum quibus ſemper fuerat, obſeruaſſe: neque rurſus Polycarpus Aniceto perſuaſit, ea deſerere, quæ ille dicebat a ſe maiorum more ſeruari.* Neq; eo tempore in vllo concilio de ea re actum erat. Nam tempore Polycarpi in Eccleſia Chriſtiana nullum concilium, præter illud Hieroſolymitanum, in quo Apoſtoli fuerunt, habitum fuit. In eo verò de hac re nihil actum eſt: vt conſtat ex eius actis, quæ referuntur à Luca, cap. 15. Act. Apoſtolicorũ. Sequitur ergo certi diei paſchæ obſeruationem non eſſe ab Apoſtolis profectam. Et ne criminetur Bellarminus, me detrahere Auguſtino,

ſtino, reſpondeo ipſum Auguſtinum hoc videre, & ob eam cauſam dubitanter loqui, *vel* ab Apoſtolis, *vel* à Concilijs. Hoc poteſt eſſe verum de concilijs, quæ Polycarpum ſequuta ſunt, de præcedentibus verum non eſt. Hinc apparet neque omnia Apoſtolica eſſe ad ſalutem neceſſaria, & aliquas vniuerſales obſeruationes non eſſe Apoſtolicas, neque valere argumentum ab vniuerſali Eccleſia ad Romanam Eccleſiam. Fruſtrà igitur ex his principijs pugnat Bellarminus. Alterum argumentum ex eodem Auguſtino ex lib. 2. de Baptiſmo *cõtra Donatiſtas, cap. 7. Quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa non inueniuntur in litteris eorum, neque in concilijs poſterorum, & tamen, quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam, non niſi ab Apoſtolis tradita, & commendata creduntur*. Simile eſt apud Auguſtinum lib. 4. cap. 6. & cap. 24. & lib. 5. cap. 23. & in alijs locis. Ex his locis infert Bellarminus, quædam non ſcripta eſſe ad ſalutẽ neceſſaria. Argumentum tale.

Quod vniuerſa Eccleſia tenet, hoc ad ſalutem eſt neceſſarium, Sed quædam non ſcripta tenet vniuerſa Eccleſia. Ergo quædam non ſcripta ſunt ad ſalutem neceſſaria.

Maiorem huius argumenti eſſe falſam docuimus argumẽto ſuperiore. Ergo & concluſio vera eſſe non poteſt. Sed ad rem. Controuerſia eſt apud Auguſtinum; Num illi, qui ab hæreticis baptizati ſunt, rebaptizari debeant. Et reſpondebat Auguſtinus, quod non. Iam quæritur de principio, ex quo Auguſtinus hoc probat, & affert primùm Scripturam. Deinde conſuetudinem Eccleſiæ. Negat enim ana-

baptiſmum fieri debere, primùm quia contra Scripturam eſt; deinde quia contra conſuetudinem Eccleſiæ eſt. Primam concluſionem ponit, lib. 5. cõtra Donatiſtas cap. 23. *Contra mandatum Dei eſt, quòd venientes ab hæreticis, ſi cùm iſtic baptiſmum Chriſti acceperũt, baptizantur, quia Scripturarum teſtimonijs non ſolùm oſtenditur, ſed planè oſtenditur multos pſeudoChriſtianos, quamuis non habent eandem charitatẽ cum ſanctis, ſine qua nihil proſunt, quæcunque ſancta habere potuerunt, baptiſmum tamen commune habere cum ſanctis.* Hoc autem probaſſe Auguſtinum ex ſcriptura manifeſtum eſt. Epiſt. 203. *Vellet ergo Samaritanus, quem Samaritani circumciderunt, fieri Iudæus, vacaret certè iterationis audacia, & id quod apud hæreſin factum erat, quod præceperat Deus, non abolere, ſed approbare cogeremur. Quod ſi in carne circumciſi hominis non inuenirem locum, vbi circumciſionem repeterem, quia vnum eſt illud membrum, multò minus inuenitur locus in corde, vbi Baptiſmus Chriſti repetatur.* Argumentũ à Circumciſione ad Baptiſmum. Vt Circumciſio ab hæreticis facta non poterat iterari; ita & baptiſmus, qui Circumciſioni ſucceſsit, ab hæreticis factus nõ potuit iterari. Deinde Auguſtin. in ſententijs, Sentent. 330. *Vna natiuitas eſt de maſculo & fœmina, alia eſt de Deo & Eccleſia, & ipſæ duæ ſingulares ſunt; vt ergo vterus non poteſt repeti, ita nec baptiſmus.* Simile in Ioſ. lib. 6. quæſt. 6. Præterea lib. de vera & falſa pœnitentia, cap. 3. *Qui baptizatur, mortem Crucis & ſepulturæ Chriſti repræſentat, in immerſione ſua, In ſigno enim Crucis, quiſquis in aqua ſubmergitur, & ſubmerſus ſepultus oſtenditur, Rom. 6. Sicut enim ſemel Chriſtus crucifixus eſt, ſic Baptiſmus*

iterandus

iterandus non est. Argumentum à re ad signum. Hunc esse legitimum Augustini ratiocinandi modū nemo negabit, qui extra præiudicium de hac re cogitabit. Imò ipse Bellarminus fatetur non fuisse controuersiam de facto, sed de Iure. Ius autem est mandatum Dei. Et quia contra mandatum Dei est, cōtra Ius est. Licet autem hoc non est palam in verbo Dei positum, tamen manifestè ex Dei verbo colligi potest. Hæc satis essent ad Bellarmini argumentum ex Augustino. Tamen quoniam dicit Bellarminus quæstionem esse, an hæreticorum baptisma sit verum baptisma? Hoc etiam probat Augustinus ex Scriptura libro quæstionum sexaginta sex. quæst. 59. *Vnum Baptisma est & hæreticorum, & Ecclesiæ, eorum videlicet, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizantur.* Ephes. 4.

Baptisma quo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizamur, vnum Baptisma est. Sed illud quo hæretici & illi, qui sunt in Ecclesia baptizantur, fit in nomine Patris, & Filij, & Sp. sancti. Ergo illud, quo hæretici & Catholici baptizantur vnum Baptisma est.

Item de Baptismo contra Donatistas lib. 1. cap. 1. *Extra Catholicam Ecclesiam dari potest baptismus, quemadmodum extra eam haberi potest. Nullus autem illorum negat habere Baptismum etiam Apostatas, quibus vtique redeuntibus, & per pœnitentiam conuersis, dum non redditur, amitti non potuisse iudicatur.* Et rationem reddit lib. 1. cap. 2. ibidem. *Isti in quibusdam rebus nobiscum sunt, in quibusdam verò à nobis exierunt. Proinde illa, in quibus nobiscum sunt, eos agere non vetamus, in quibus*

autem nobiſcum non ſunt, vt veniendo accipiant, & redeundo recipiant adhortamur. Plura ex iiſdem libris colligi poſſunt. Propter hæc verò apodictica argumēta ex Scriptura collecta, dicit lib. 4. cap. 7. *Quia bene perſpectis ex vtroque latere diſputationibus, & ſcripturarum teſtimoniis, poteſt etiam dici, quod veritas declarauit, hoc ſequimur.* Et lib. 1. cap. 7. *Ne videar argumentis agere, ex Euangelio profero certa documenta.* Concludo igitur Auguſtinum ex Scriptura probaſſe, hæreticorū Baptiſma in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti conſecratum, eſſe verum Baptiſma; Concludo item Auguſtinum ex Scriptura probaſſe hominem ab hęretico baptizatum non eſſe rebaptizandum. His ita poſitis non negamus, Eccleſiæ conſuetudinem multum facere ad fidem noſtram confirmandam. Nam quòd ex Dei verbo deducere poſſumus, etſi illud ita eſſe per ſe credere debebamus; tamen valdè commouemur Eccleſię conſuetudine, quando ſcilicet ea cum Dei verbo congruit. Neque fuiſſet neceſſe, vt Bellarminus hoc tam anxiè probaret. Omnem enim conſuetudinē cum Dei verbo congruentē libenter admittimus. Fatemur etiam, vbi res ex Dei verbo probata fuit, eam ſecundariò ex perpetua Eccleſiæ cōſuetudine probari poſſe. Dicere verò rem quamlibet propter ſolam conſuetudinem, vel bonam, vel malam eſſe, magna temeritas eſt. Eſt enim aliqua conſuetudo mala. Diſtinct. 11. cap. conſuetudinis. *Conſuetudinis, vſúſque longæui non vilis auctoritas eſt, verùm non vſque adeò valitura momento: vt aut rationē vincat, aut legem ipſam. Cùm verò nec ſacris Canonibus, nec humanis legibus conſuetudo obuiare monſtratur; inconcuſſa*

concussa consuetudo seruada est. Et C. consuetudinem, eadem. *Consuetudinem laudamus, quæ contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur* . Et, cap. Frustrà, Distinct. 8. *Frustra,* inquit, *quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis obyciunt, quasi cõsuetudo maior sit veritate: aut non sit in spiritualib. sequendum, quòd melius à Spir. Sancto reuelatum est . Hoc plane verum est, quod ratio & veritas consuetudini præponenda sint . Sed si consuetudini veritas suffragatur , nihil oportet firmius retineri.* Similia C. Consuetudo .C. Si solus. C. Mala. C. veritate. C . Si cõsuetudinem. C. qui contempta, Distinct. eadem. Hinc apparet non quamlibet consuetudinem esse veram , neque consuetudinem esse regulam dogmatum Christianorum , sed sacrã Scripturam esse regulam & Christianorum dogmatum, & omnium consuetudinum. Proinde omnis consuetudo ex Dei verbo examinanda est , & quãdo cum Dei verbo congruit , tum est recipienda , quando verò ab ea discrepat , tum est reijcienda . Deinde à consuetudine , quæ fuit tempore Augustini in vniuersa Ecclesia, argumentari ad cõsuetudinem Ecclesiæ Romanæ, quæ nunc est, est primum à genere ad speciem affirmatiuè argumentari. Deinde est petere illud, quod est in principio. Pleræque enim consuetudines primitiuę Ecclesiæ cum Dei verbo cõgruebant: Papisticarum verò consuetudinum plerę que à Dei verbo discrepant. Hanc esse veram mentem Augustini manifestum est . Dicit enim de vnitate Ecclesiæ cap. 3 . *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis: Sed hæc dicit Dominus. Sunt certi libri Dominici, quorum auctoritati vtrique consentimus , vtrique credimus , ibi quæramus*

mus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram, &c.

CAPVT XI.

Refutantur argumenta Bellarmini à ratione producta.

ARgumenta quæ Bellarminus ex patribus cõtra nos adduxit, refutauimus capite superiore. Sequitur vt examinemus ea, quæ à ratione petiuit? Primum argumentum. *Quia aliqui hæretici reiecerunt Traditiones.* Argumentum tale.

Quod aliqui hęretici reijciunt, hoc est fundamentum fidei. Sed aliqui hæretici reiecerunt Traditiones. Ergo Traditiones sunt fundamentum fidei.

Hoc argumentum est ridiculum. Nam si conclusio est vniuersalis, est manifestè falsa. Si autem particularis, tùm nihil contra nos concluditur. Verbum enim Dei priùs viua voce traditum, & deinde scriptum esse fundamentũ fidei nunquam negauimus. Deinde Maior est falsa. Non enim quicquid reijciunt hæretici, bònum est, neque quicquid retinent, malum est. Multa enim bona sæpè reijciũt, & quandoque aliquid bonum retinent. Deinde Minor est asyllogistos. Aliqui enim hæretici reiecerunt Traditiones, & aliqui probarunt Traditiones, & per eas Dei verbum violarunt, Matth. 15. 3. 6. Marc. 7, 3. 9. 13. Col. 2. 8.

Secundum Argumentum. *Quia omnes gentes habent consuetudines non scriptas.* Argumentum tale.

Quod omnes gentes habent, hoc est principium fidei. Sed omnes gentes habent, aliquas consuetudines non scriptas. Ergo aliquæ consuetudines

tudines non scriptæ sunt principium fidei.

Argumentum est ineptum. Bellarminus prætermissa Maiore, in qua Crinomenon est, probat Minorem, de qua nulla controuersia est. Nos autem negamus Maiorem, neque vnquam eam probabit Bellarminus. Sequeretur enim ex ea omnes gentes habuisse fidem, quod falsissimum est. Si autem Bellarminus ita format argumentum. Quemadmodum fit in omni Republica, ita etiam est in Ecclesia Christiana. Sed in omni Repub. sunt quædam leges non scriptæ. Ergo & in Ecclesia est aliqua doctrina fidei non scripta, Tum est æquè ridiculum. Maior enim est simpliciter falsa. Deut. 4, 8. *Quæ est gens ita magna, cui sint statuta, & iudicia iusta, sicut est vniuersa lex ista, quam ego do coram vobis hodie.* Reliquorum igitur populorum leges fuerunt imperfectæ. Lex autem Iudaica est perfecta. Hoc disertè dicit Dauid, Ps. 119. *Lex Iehouæ perfecta est*. Et ob eam causam noluit ad eam quicquam *addi*, neque ab ea quicquam *detrahi*. Minoris probationem non dignamur responsione. Ex cap. enim Matth. 16, & 7. Marci manifestum est, Iudæorum Traditiones esse malas. Hieronymus in Habacuc cap. 2. dicit eas esse *stercora*. Tertium Argumentum. *Quia Philosophi non omnia sua sapientiæ mysteria scripserunt*. Quemadmodum faciunt Philosophi, eodem modo & Prophetæ & Apostoli fecerunt. Sed Philosophi non scripserunt omnia sua mysteria. Ergo & Apostoli, ac Prophetæ non scripserũt omnia sua mysteria. Bellarminus præterit Maiorẽ, quæ est controuersa, & probat Minorem, quæ non est controuersa. Nos autẽ negamus Maiorem. Nam & Phi-

& Philoſophi non agnouerunt Chriſtum; num proptereà Apoſtoli & Prophetæ Chriſtum non agnouerunt? 1. Corinth. 1, 21.

Quartum Argumentum. *Quia conſuetudo habet vim legis ſcriptæ.* C. conſuetudo, Diſt. 11. De conſuetudine ſatis diximus capite ſuperiore, cùm ad ſecuncundam rationem ex Auguſtino reſponderemus.

Quintum Argumentum. *Quia Eccleſiæ eſt maior dignitas, quam aliarum ſectarum.*

Si omnia ad ſalutem neceſſaria eſſent ſcripta, tum Eccleſiæ non eſſet maior dignitas, quàm aliarum ſectarum. Sed Eccleſiæ eſt maior dignitas, Ergo omnia ad ſalutem neceſſaria non ſunt ſcripta.

Hoc item argumentum eſt ridiculum, & videtur Bellarminus ignorare, in qua re vera prærogatiua Eccleſiæ ſita ſit. Illa verò non conſiſtit in ridiculis, & dubijs incertiſq; (cuiuſmodi ſunt papiſticæ Traditiones) Traditionib. Sed in cognitione, quæ cum πληροφορίᾳ coniuncta eſt. Nudam enim ſcientiam non tantùm habent fideles, ſed & infideles, imò ipſe Satan. Iacob. 2. 19. *Diaboli credunt & cõtremiſcunt*: Neq; quicquam eſt iſtorum papiſticorum myſteriorum, quod Satan non nouit. Eſt enim quorundam ex ijs auctor. Vel, quod Bellarminus mihi non negabit, totam ſcripturam, & omnes Papiſticas Traditiones hiſtoricè nouit Satan. Si igitur in hac rẽ ſita eſt Eccleſiæ prærogatiua, viderit Bellarminus, in qua re Eccleſia Satanæ præſtet? Sed eius prærogatiua in ea re ſita non eſt. Habet enim hoc cum impijs hominibus & impuris ſpiritibus commune. Verùm in alia re

hæc

hæc prærogatiua sita est, quæ est Ecclesiæ propria; nempe in cognitione, quæ coniuncta est cum πληροφορίᾳ. Hæc tantùm ad fideles pertinet. Cùm igitur Maior falsa sit, Sequitur & conclusionem veram esse non posse. Sextum Argumentum. *Quia quædam mysteria Christiana non debent reuelari.* Quod non debet reuelari, hoc non est scriptum. Sed quædam mysteria Christianę religionis non debent reuelari. Ergo quædam mysteria ad fidem necessaria nō sunt scripta. Nos negamus Minorem. Bellarminus probat eam. 1. *Quia in missa sunt quædam silentio occultāda.* Respondeo, hoc esse petere illud, quod est in principio. Nos enim non loquimur de ementitis Missæ sacris; sed loquimur de ijs, quæ Christus ad salutem & fidem nostram instituit. Quod verò ad Eucharistiam attinet, eius ritus, & substantia, & quæcunque ad eam pertinent, sufficienter ab Euangelistis, & à Paulo descripta sunt. Deinde Apostolus ait, 1. Cor. 2. *sapientia loquimur inter perfectos.* Præterea hoc modo hæretici argumentantur apud Tertull. de Præscript. Et apud Irenæum lib. 3. cap. 2. Ex his omnibus apparet, omnes traditiones esse reijciendas, quæ pugnant cum Scriptura, eas verò retinendas, quæ non pugnant cum Scriptura, & sunt ad ædificationem vtiles. Constat item Scripturam esse omnium Traditionum normam & regulam: denique omnia ad salutē necessaria, vel expressè contineri in Scriptura, vel iustis rationibus ex ea deduci posse. Ritus item omnes ex Scriptura examinandos, & ad ædificationem referēdos esse. Vnde sequitur aduersarios principium petere, quoties aliquid probant per Traditionem,

tionem, quæ vel in Scriptura expressa non est, vel ex ea deduci non potest, vel denique cum Scriptura pugnat, & controuersum probare per cõtrouersum.

CAPVT XII.

Regulæ Bellarmini, quibus Traditiones dijudicari vult, examinantur.

SVperiore capite excussimus argumenta à re, quæ Bellarminus pro traditionibus attulit. Nunc examinabimus eius regulas, quibus omnes Traditiones dijudicari vult.

Prima Regula. Quando *vniuersa Ecclesia aliquid amplectitur, tanquam dogma fidei, quod non reperitur in Scripturis diuinis, hoc est ex Apostolorum Traditione.* Hanc Regulam probat, quia Ecclesia non potest errare. Hoc iam refutauim⁹ antè, & prolixiùs suo loco refutabimus. Quantum verò ad præsentem locum attinet, dicimus eum petere principium. Deinde exempla non quadrant. Primum exemplum est, *Perpetua Virginitas Mariæ Matris Domini.* Sed hoc non semper tenuit vniuersa Ecclesia. Basil. Homil. de Natiuitat. Domini. Deinde implicat contradictionem. Dicit enim, *nihil esse de fide, nisi quod Deus per Prophetas, & Apostolos reuelauit, vel quod euidenter inde deducitur*. Sed hoc Deus neque per Prophetas, neque per Apostolos reuelauit, neque euidenter ex eorum scriptis deduci potest, neque primitiua Ecclesia ita iudicauit. Alterum exemplum est *Canon Scripturæ*. De eo etsi sufficienter disseruimus primo libro, tamen quædã iteranda sunt. Dicit enim Canonem, quem sequitur Synagoga Romana, esse

esse receptú ab vniuersa Ecclesia, & ob eam caussam esse Apostolicū. Verùm Ecclesia, quę Apostolos sequuta est, non tenuit istū Canonem. Ioseph.n. lib. 1. cont. Appion. longè aliter numerat. Idē facit Euseb. lib. 3. Cap. 8. Et Melito apud Euseb. lib. 4. cap. 26. Sed neq; Origenes numerat eum Canonem, Euseb. lib. 6. cap. 18. Neque Cyprianus in Symbolo: Neq; Athanasius in Synopsi: neque Nazianzenus in Carminibus de genuinis sac. Scripturę libris: neque Hilarius in præfat. in Psalm. neq; Hieronymus in Prologo Galeato: neque Concilium Laodiceum C. 59. Vnde necessariò sequitur, aut Romanam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, aut antiquam istam Ecclesiam non fuisse veram Ecclesiam. Nam si Ecclesia non potest errare, & ille errat, qui Traditiones Apostolicas, quæ sunt fidei dogmata, vel negligit, vel corrumpit, necesse est, vel Romanenses non esse veram Ecclesiam, vel primitiuam Ecclesiam, in qua Melito, Origines, Cyprianus, Athanasius, Nazianzenus, Hieronymus, & Patres Laodiceni vixerunt, non esse veram Ecclesiam. Eligat Bellarminus, quod volet.

Secunda Regula est. *Quando vniuersa Ecclesia aliquid seruat, quod nemo constituere potuit, nisi Deus.* Probat eandem regulam, eodem modo, vt priorē. Eius exemplum ponit *pædobaptismum*, & *baptismum hæreticorum* esse ratum. Sed hæc exempla non quadrant. Bellarminus enim loquitur de ijs Traditionib. quæ prorsus non scriptæ sunt. Hæ verò scriptæ sunt, non quidē explicitè, Sed ita, vt vtraq; ex Dei verbo necessariò deduci posit, quemadmodum antè pro-

 bauimus.

bauimus. Quod autem dicit *Ecclesiam non posse baptismo auctoritatem dare, nisi eam à Christo habeat*, Hoc verum est. Et inde inferimus Matrimonium, & reliqua ementita sacramenta non habere auctoritatem ab Ecclesia Romana, quia eam à Christo nō habent.

Tertia regula est. *Id quod in vniuersa Ecclesia, & omnibus retrò temporibus obseruatū est, meritò ab Apostolis creditur institutum.* Huius exemplū ponit. *Quadragesimam.* Respondeo nullum dogma inter papistas & nos controuersum esse, in quo vniuersa Ecclesia omnibus retrò temporibus diuersum à nobis sensit. Quòd ad Quadragesimam attinet, constitueram hoc loco nihil de ea loqui, ne ordinem disputationis turbarem. Cogor tamen Bellarmino aliquid respondere. Dico igitur, vel Quadragesimam papisticam non esse Traditionem Apostolorum, & Ecclesiam papisticam non esse veram Ecclesiam; vel primitiuam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, & Quadragesimam Ecclesię Primitiuæ non esse Traditionem Apostolorū. Ratiò est manifesta. Primitiua enim Ecclesia non habuit talem Quadragesimam, qualem habet Synagoga papistica. Hoc demonstrauimus antè. Si igitur non est vera Traditio Apostolica, quam tenet vniuersa Ecclesia? tum Quadragesima papistica non est Traditio Apostolica. Nam eam non tenuit tota primitiua Ecclesia. Aut si illa non est vera Ecclesia, quæ non habet Traditiones Apostolicas: tum vel primitiua Ecclesia non est vera Ecclesia, vel Synagoga Romana non est vera Ecclesia. Nam quam Quadragesimam Papistæ habent, eam non habent omnes veteres: & quam veteres

habuerunt, ea non est ipsa, quam habent papistæ. Deinde tres hæ regulæ non sunt veræ. Potest enim tota visibilis Ecclesia errare, & moribus & doctrina, quemadmodum suo tempore probabimus. Alterum exemplum est *cultus imaginum*, quem constituit Synodus Ephesina secunda. Respondemus eam Synodum impiam esse; ac proinde nos eius auctoritate non teneri.

Quarta Regula. *Quòd omnes patres vel in vnum locum congregati, vel in diuersis locis de eadem re scribentes vnanimiter dicunt ab Apostolis constitutum esse, hoc est ab Apostolis traditum.* Sed nullum dogma inter nos & papistas controuersum est, de quo omnes Patres cum papistis idem dicunt. Deindè omnes patres nunquam fuerunt in generali concilio congregati. Postremò dicimus generale Cõcilium posse errare; & sæpè errasse, quemadmodũ suo loco ostendemus.

Quinta regula. *Quod tenet ista Ecclesia, in qua est continua successio ab Apostolis, hoc est verum.* Hoc scilicet est illud, de quo contendimus: Nempe quicquid tenet Romana Ecclesia, hoc est ab Apostolis traditum. Verùm Bellarmine, Si puer in scholis tecum disputans diceret, Domine presbyter ego tecum disputabo, modò concedas omnia vera esse, quę ego dico, an non diceres ridiculum esse. Iudica igitur, quid de vobis sentiat totus mundus. Nos accusamus Romanam Synagogam multarum hęreseum, & hoc probatum fuit in disputatione Lipsica, Possiacena, Oxoniensi, & alijs innumerabilibus, Vos ponitis pro principio, *verum esse, quicquid tenet Romana Ecclesia*. Si gustasti vnquam principia dialecti-

 ces,

ces,responde, númne hoc sit, quod pueri in scholis discunt, petere illud, quod est in principio. Hoc de tuis regulis. Nos verò nullam ex omnibus ijs agnoscimus. Ergo vt vestræ Traditiones sunt cōtrouersę: ita etiam hæ regulæ sunt controuersæ. Si autem libet, recipe vnam regulam diuinam pro quinque tuis lesbijs. Nos dicimus *vnicam & solam Sacram Scripturam esse regulam & normam omnium papisticarum traditionum*. Ac proinde quatenus cum hac regula congruunt, sunt bonæ, quatenus verò ab hac regula discrepant, sunt malæ. Atque hæc de his regulis.

CAPVT XIII.

Verbum Dei continere perfectam doctrinam salutis probatur ex Dei verbo.

SVperioribus capitibus refutauimus argumenta, quibus Bellarminus probare conatus est, verbum Dei scriptum non continere perfectam doctrinam salutis. Sequitur vt nunc nostram sententiam & explicemus, & probemus. Nos verò dicimus omnē doctrinam fidei, & quicquid ad salutem necessarium est, contineri in verbo Dei scripto. Argumenta quibus hoc probamus, sunt hæc. Primum, Quia non debemus ad verbum scriptum quicquam addere, nec ab eo quicquam detrahere. Argumentum tale,

Ad quod nihil debemus addere, & de quo nihil debemus detrahere, hoc est perfectū, & omnibus numeris absolutum. Sed ad verbum Dei scriptū nihil debemus addere, nec ab eo quicquā detrahere. Ergo verbum Dei scriptum est perfectū, & omnibus suis numeris absolutum.

Perfe-

Perfectio verbi Dei in eo cõsistit, quòd continet integram doctrinam salutis. Verbum enim Dei est doctrina salutis. Ioh. 20, 31. Rom. 1, 16. Si igitur perfectum est, continet perfectam doctrinam salutis. Si verò non continet perfectam doctrinam salutis, non est perfectum. Bellarminus concessa Maiore negat Minorem. Nos probamus Minorem. Deut. 4, 2. *Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, neque diminuetis quicquam ex eo*, Et 12, 32. *Quicquid ego præcipio vobis, custodietis vt faciatis, non addetis ad illud, neque diminuetis ex eo.* Bellarminus respondet, primò, Mosen nõ loqui *de verbo scripto, sed de verbo viua voce tradito*. Hoc verò esse perfectum, illud non item. Videndum igitur, num Moses agat de verbo scripto, an verò de verbo non scripto. Ac primum extra controuersiam pono, Mosen agere de eo verbo, quod à Domino audiuerat, & quod populus obseruare debebat, Exod. 24, 3. *Venit ergo Mose, & narrauit populo omnia verba Iehouæ, omniaque iudicia: & respondit totus populus voce vna, & dixerunt, omnia verba, quæ locutus est Iehoua, faciemus.* Deu. 28, 1. *vt custodias omnia præcepta, quæ tibi præcipio hodie.* Deut. 27, 26. *Maledictus qui non statuerit verba legis istius, faciendo illa.* Deut. 32, 46. *Ponite cor vestrum ad omnia verba, quæ ego testificor aduersum vos hodie, vt præcipiatis ea filijs vestris, vt custodiant, & faciant omnia verba legis istius.* De hoc inquam verbo, cuius Moses his locis meminit, loqui Mosen, extra controuersiam pono. Quod nisi Bellarminus concesserit, erit aliquod Dei verbum, quod neque Deus Mosi præcepit, neque populus obseruare debuit. Vtrumque absurdum. Loquitur

igitur Moses de eo verbo, quod Deus præcepit, & populus obseruare debuit. Sed hoc est scriptum. Nam vbi ille dixit. Exod. 24,3. *Venit ergo Mose, & narrauit populo omnia verba Iehoua, omniaq; iudicia:* &c. ibi paulò post in eod. cap. vers. 4. dicit, *& scripsit Mose omnia verba Iehoua*. Deinde verbum illud, de quo Moses loquitur, est hoc, de quo scriptum est. Deut. 27.26. *Maledictus qui non statuerit verba legis huius.* Sed hoc est scriptum. Paulus enim ad Galat. cap. 3. 10. hoc explicans, inquit. *Execrabilis quisquis nō manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis*. Prætereà de quo dicit Moses, Deut. 28, 1. *Vt custodias omnia præcepta, quæ ego tibi præcipio hodiè*, hoc est verbum id, de quo loquimur, sed illud est scriptum. Dicit enim eodem cap. vers. 58. *Nisi custodieris vt facias omnia verba legis istius, quæ scripta sunt in libro isto*. Vnde necessariò sequitur, Mosen loqui de verbo scripto. Quin Deus hoc disertè docet apud Ios. cap. 1. vers. 8. *Non recedat liber iste ab ore tuo, sed mediteris in eo die ac noctè, vt custodias, & facias secundum omne, quod scriptū est in eo.* Idem docet Iosue cap. 23, 6. *Vt custodiatis, & faciatis quicquid scriptum est in libro legis Mose, vt non recedatis ab eo, neque ad dextrā, neque ad sinistram.* Concludo igitur, Mosen loqui de verbo scripto. Hac responsione Bellarminus deiectus quęrit aliam; nempe Deum non mandare, vt nihil aliud servemus, quàm id, quod ille nobis præcepit, sed vt in eo, quod præcepit, nihil mutemus, vel addendo vel minuendo. Sed hoc est simpliciter falsum: disertè enim dicit, *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, nec addas quicquā, neque minuas*. Deut. 12, 32. Vox enim exclusiua, in

primo

primo membro, & vox generalis in secundo membro, omnē istam Bellarmini glossam tollit. Deinde illa Glossa licet falsa sit: tamen Bellarminum non iuuat. Traditiones enim, de quibus cum papistis contendimus, mutarunt ea, quæ Deus pręcepit, imò planè ex diametro cum Dei verbo pugnant, vt suo loco ostendemus. Postremò si Deus præcepit, vt in eo, quod nobis mandauit, nihil mutemus, addendo vel minuendo; tum verbum scriptum est Lydius lapis, & regula omnium istarum rerum, quæ præter verbum Dei obseruantur. Ac proinde quatenus Traditiones congruunt ad istam regulam, sunt tollerandæ, quatenus verò non congruunt, sunt abijciendæ. Sed hoc vult Bellarminus. Ergo pugnat cum sua glossa. Etsi hæ responsiones veræ sunt: tamen libuit Bellarmino suam sententiam aliquo argumēto probare, quod excutiemus. Dicit, *Licere aliquid ad verbum scriptum addere. Quia Prophetæ & Apostoli addiderunt.*

Quod enim Prophetæ & Apostoli ex officio sibi mandato fecerunt, hoc est & papæ licitum. Sed Prophetæ & Apostoli ex officio sibi mandato addiderunt aliquid ad scripta Mosis. Ergo addere aliquid ad verbū scriptū est papæ licitū.

Nos negamus Maiorem, Nam non quicquid licuit Prophetis & Apostolis, hoc licet papę. Illi enim fuerunt ex Deo, papa non est ex Deo. Illi fuerunt à Deo immediatè vocati, papa verò neq; mediatè, neque immediatè vocatus est, vt suo loco ostendemus. Denique Prophetæ & Apostoli habuerunt Testimonium, quod non possint errare in doctrina,

Papa verò hoc Testimonium non habet. Imò vt illi veritatem propagauerunt, ita papa veritatem oppugnat, vt suo loco demonstrabimus. Dicimus igitur maiorem esse falsam. Deinde & Minor non est simpliciter vera. Est enim ambigua. Addere enim significat, aliquid apponere, quod priùs prorsus nō erat; deinde addere significat, id quod priùs erat, clariùs explicare, vel ad id, quod priùs erat, clariorem explicationē adiungere. Thom. par. 3. quæst. 60. Art. 8. Arg. 1. Hęc ita nota sunt, vt ꝓbatione non sit opus. Si de priore significatione agit Bellarminus, tum Minor est simpliciter falsa. Doctrina enim, quam prophetæ tradiderunt, illa non est alia doctrina, quàm illa, quam Moses tradidit. Sed prorsus eadem. Esaias enim 8. 20. *Ad Legem & Testimoniū.* Si Esaias omnia vult ad legem examinari, neque quicquam in doctrina fidei recipi, quàm illud, quod scriptū erat in lege: tum sequitur à prophetis non aliud in doctrina fidei tradi, quàm Moses ante tradiderat. Deinde Iosias cultum Dei restituit ad exemplum in lege præscriptum, 2. Reg. 23, 3. Et Esdras Neh. 8, 1. Hinc apparet prophetas non tradidisse aliam doctrinam, quàm quæ est in Mose. Sed ne Apostoli quidē aliam doctrinam tradiderūt, quàm quæ in V.T. erat, Paulus enim apud Luc. Act. 26, 22. protestatur se nihil docuisse *extra ea, quæ sunt in Mose & Prophetis*. Et hoc per enumerationem omnium articulorū Symboli Apostolici demōstrari potest. Nam omnes articuli fidei in Mose comprehenduntur, & omnis doctrina Apostolorum continetur Symbolo Apostolico. Ergo omnis doctrina Apostolorum etiam in

specie

ſpecie continetur in Moſe. Deinde Chriſtus & Apoſtoli ſemper ex Moſe, & Prophetis ſuam doctrinam probarunt, Luc. 24, 27. *Et incipiens à Moſe & ab omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ſe ſcripta erant*, Act. 28, 23. *Suadens eis, quæ de Chriſto ſunt, ex Moſe & Prophetis à mane ad veſperam*. Præterea, Apoſtolos non docuiſſe aliam doctrinam, quàm eam, quam Moſes & Prophetæ antè tradiderant, conſtat ex Act. 17. 11. Beroënſes enim ſcrutabantur ſcripturam, & Pauli conciones ad ſcripturam examinabant, & quoniam eas cum ſcriptura congruere videbant, ideò recipiebant. Vndè manifeſtè ſequitur Apoſtolorum, & Prophetarũ doctrinam non diuerſam eſſe, ſed eandem. Poſtremò idem iudicauit primitiua Eccleſia. Iuſt. in Quæſt. *Quid eſt lex? eſt Euangelium prænunciatũ. Quid eſt Euangelium? Eſt lex impleta.* Eodem modo Irenæus lib. 4. cap. 66. *Legite diligentiùs Euangelium ab Apoſtolis nobis datum, & legite diligentiùs Prophetas; & inuenietis vniuerſam actionem, & omnem doctrinam, & omnem paſſionem Domini prædictam in ipſis*. Hieronymus in epiſt. ad Damaſum. *Quicquid in V. T. legitur, hoc idem in Euangelio reperimus, & quod in Euangelio fuerit lectitatum, hoc ex V. T. auctoritate deducitur.* Vnde ſequitur non aliam doctrinam poſitam eſſe in N. T. quàm quæ in V. T. erat. Si igitur addere intelligitur in prima ſignificatione, falſa eſt minor. Si verò addere intelligitur in ſecunda ſignificatione, tunc pugnat ſine aduerſario. Fatemur enim N. T. eſſe explicationem V. T. Nouum enim Teſtamentum nihil aliud eſt, quàm impletio & explicatio V. T. Ab [illegible] item reſponſione

 deiectus

deiectus Bellarminus, excogitat tertiam & dicit *Vetus Testamentum explicari per Nouum, & N. Testamentum potentia esse in veteri, vel in vniuersali, & eodẽ modo Traditiones esse in Nouo Testamento*. Sed quod dicit falsum est. Vetus enim Testamentum non tantùm potentia continet nouum, neque tantùm in vniuersali; sed etiam actu, & in singulari. Nullus enim est articulus fidei in N. Testamento, qui non expressus sit in V. Testamento. Hoc per inductionẽ omnium articulorum posset ostendi. Et Christus atque Apostoli hoc suo exemplo comprobarunt. Nullum enim ferè caput est in quatuor Euangelijs, vbi non scriptum est, *hoc factum est, vt impleretur, quod scriptum erat*. Irenæus lib. 4. cap. 66. *Legite diligentiùs Prophetas, & inuenietis vniuersam actionem, & omnem doctrinam, & omnem passionem Domini nostri prædicatam in ipsis*. Deinde Traditiones papisticæ non explicant N. Testamentum, sed illud obscurãt, imò illud, vtar phrasi Christi, *irritum faciunt*. Nam ex diametro pugnant cum verbo Dei, vt suo loco ostendemus. Præterea si Traditiones papisticæ sunt explicationes N. Testamenti, vt vult Bellarminus, tum illorum regula & norma est N. Testamentum. Omnis enim textus est suæ glossæ regula, & quatenus cum eo glossa congruit, est bona, quatenus cum eo non congruit, est mala. Eodem modo, quatenus Traditiones cum N. Testamento congruunt, sunt bonæ, quatenus ab eo discrepant, sunt malæ. Sed hoc non vult Bellarminus. Implicat se igitur contradictione. Hæc etsi vera sunt: tamen libuit Bellarmino suam sententiam tribus argumentis probare, quæ nobis examinanda

sunt.

sunt. Primum argumentum, *Quia quemadmodum arbor est in semine, ita traditiones sunt in N. Testamento.* Sed hoc argumentum iudicamus indignum esse responsione. Secundum Argumentum, *Quia prohibitio sanguinis & suffocati non est, in V. Testamento. Nusquam enim in V. Testamento scriptum est, non licere Testamenti noui tempore edere sanguinem & suffocatum.* At hoc diserte scriptum est, Act. 15. Sed quod dicit, est falsum. Scandalum enim in Veteri T. prohibitum est. Num. 31. 16. Prouerb. 28, 10. At infirmi Iudæi per esum suffocati offendebantur. Ergo hoc fuit vetitum. Et vt hoc commodiùs intelligatur, in isto præcepto fuerunt duo, vnum morale, alterum circumstantiale. Illud fuit vetitum, & adhuc est vetitum, & est immutabile. Hoc verò non est vetitum, & pro ratione temporum, locorum & personarum mutatur. Infirmum igitur offendere simpliciter, fuit vetitum. Hoc verò per esum suffocati facere, non est vetitum. Verùm cùm se talis daret occasio, vt aliquis per esum suffocati offenderetur, tum illud etiam erat vetitum. Vbi verò talis occasio non ampliùs metuēda erat, tum desinebat esse vetitum. Tertium argumentū, *Quia Sacramenta N. Testamenti nusquam sunt in V. Testamento mandata.* Est igitur aliqua doctrina fidei Noui Test. quæ non fuit in V. Testam. Sed Antecedens falsum est. Paulus enim in 1. ad Cor. cap. 10, 2. dicit *omnes in Mosen baptizatos esse nube & mari, & omnes eandem escam Spiritualem edisse, & omnes eundem potum Spiritualem bibisse.* Vnde apparet Baptismum & Sac. Cœnam etiam fuisse in V. T. Quod autem reliqua papistica Sacramenta quinque non

non sunt in V. Testamento, inde non sequitur aliam esse doctrinam fidei in N. Testamento, atque in Veteri; Sed ista Sacramenta falsa esse, & à Christo minimè instituta rectè sequitur. Hinc igitur apparet Veteris & N. Testamenti eandem doctrinam esse. Quia igitur ad vetus nihil addi licuit, manifestum est, & ad nouum aliquid addi, illicitum esse.

Secundum argumentum, Quia non debemus quicquam euangelizare prętter id, quod ab Apostolis euangelizatum est.

Illa doctrina, præter quam aliud nihil debemus docere, perfectam habet salutis doctrinam. Sed Euangelium scriptum est illud, præter quod aliud nihil debemus docere. Ergo Euangelium scriptum habet perfectam salutis doctrinam.

Doctrinæ Euangelicæ perfectio est, vt antè dixi, continere doctrinam salutis. Aduersarius concessa Maiore, negat Minorem. Ac primùm respondet ad subiectum Minoris, & dicit *hoc non de Euangelio scripto, sed de Euangelio tradito accipiendum esse.* Videndum igitur, de quo Euangelio loquatur Paulus, an de Tradito, an verò de scripto. Bellarminus dicit eum loqui de Euangelio non scripto, sed tradito, quia, inquit, *quod euangelizauimus vobis; non autem quod scripsimus vobis.* Argumentum tale,

Quod euangelizatum est, hoc habet perfectam doctrinam salutis. Sed quod scriptum est, hoc non habet perfectam doctrinam salutis. Ergo quod scriptum est, hoc non est illud, quod euangelizatum est.

Hor-

Horreſco referens hoc argumentum. Quid reſpondebimus Machometanis, quando audient, nos habere aliud Euangelium, quàm illud, quod ſcriptũ eſt? Quòd ſi veteres hæretici reuiuiſcerent, qui idem affirmant, an non in manibus haberent victoriam contra orthodoxos? Verùm mihi hoc tempore diſputare, non queritari propoſitum eſt. Negamus igitur Minorem, & dicimus Euangelium à Paulo euangelizatum eſſe ſcriptum. Prima ratio. Quia ipſi Apoſtoli affirmant ſe omnia illa ſcribere, quæ Ieſus docuit & fecit. Luc. 1, 3. *Viſum eſt etiam mihi omnia ſcribere, vt agnoſcas earum rerum veritatem, quas auditione accepiſti,* 1. Ioh. 1. 3. *Quod vidimus, & audiuimus, hoc annunciamus vobis, &c, hæc ſcribimus vobis.* Argumentum tale,

Dicta & facta Chriſti ſunt ſcripta. Sed quæ Apoſtoli euangelizarunt, ea ſunt dicta & facta Chriſti. Ergo quod Apoſtoli euangelizarunt, hoc eſt ſcriptum.

Maior eſt manifeſta ex locis ſuprà notatis. Minor poteſt probari ex omnibus concionibus Apoſtolorum. At dicet Bellarminus, *non omnia dicta & facta Chriſti eſſe ſcripta*: Hoc non negamus. Sed reſpondemus ea ſcripta eſſe, quæ ad ſalutem ſufficiũt, Ioh. 20. 31. Auguſt. in Iohan. Tractat. 49. *Dominus Chriſtus multa dixit & fecit, quæ ſcripta non ſunt, electa autẽ ſunt, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur.* Ac proinde ſcriptum Euangelium continet omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Secunda ratio, Quia Apoſtoli idem ſcripſerũt, quod prædicarunt. Phil. 3, 1. *Eadem ſcribere vobis me quidem haud piget: vobis autem tutum eſt.*

est. 1.Ioh.1.4. *Et hæc scribimus vobis.* 2.Pet.1, 12. *Non negligam vos de istis semper commonefacere.* Vnde euidenter colligo, Apostolos eandem doctrinam prædicasse, & scripsisse. Sed prædicarunt Euangelium Christi. Ergo & scripserunt Euangelium Christi. Tertia ratio, *Quia Apostoli nihil prædicarunt, nisi quod in V. Testamento scriptum erat.* Rom. 1, 1. *Separatus ad Euangelium Dei, quod antè promiserat per prophetas suos.* Vnde apparet Euangeliũ iam ante à prophetis prænunciatum fuisse. Et ne quis hoc de prophetijs non scriptis accipiat; addit Paulus *in Scripturis Sanctis.* Deinde Beroënses quotidiè *scrutabantur Scripturas, an hæc ita se haberent*, vt Paulus & Silas euangelizabant, Act. 17, 11. Manifestum igitur, eos nihil annunciasse, nisi quod scriptum erat. Ob hanc caussam Paulus asseuerat, *se nihil dicere extra ea, quæ sunt in Mose & Prophetis*, Act. 26, 22. Rursus igitur euidenter colligo, illud quod Paulus euangelizabat, scriptum esse, imò nihil quicquam ab eo euangelizatum esse, nisi quod scriptum erat. Quarta ratio, Quia eodem modo iudicauit primitiua Ecclesia. August. cont. literas Pertiliani lib. 3. cap. 6. *Si quis siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem, vitamq; nostram, non dicam, si nos, sed quod Paulus adiecit, Si angelus è cælo vobis euangelizauerit, præterquam quod in scripturis legalibus & euangelicis (nota, in scripturis) accepistis, anathema sit.* Basilius in Moralib. Summa 72. C. 1. *Quòd oportet auditores eruditos in scriptura probare ea, quæ à doctoribus proponuntur, & quæ quidem consona sunt scripturis suscipere, quæ verò aliena reijcere, & eos, qui in talibus doctrinis perseuerant,*

seuerant, vehementius auersari. Tertull. de præscript. C. 5. *Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit, Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo doctrinam fideliter nationibus aßignauerunt. Itaq; etsi Angelus è cælo nobis aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis.* Cōcludimus igitur, Apostolū loqui de Euangelio scripto. Sed instat Bellarminus, & dicit *Augustinum & Basilium non dicere, hic agi de Euangelio scripto.* Primùm, *Quia non ex professo tractant hunc textum.* Sed hoc nihil facit ad rem. Siue enim ex professo hunc textum tractent, siue non tractent eum ex professo, perinde est. Deinde dicit *Basilium & Augustinum non velle, nihil addendum esse præter illud, quod scriptum est, sed tantùm velle, nihil contrarium illi, quod scriptum est, addendum esse.* Sed hoc est nugari. Augustinus enim dicit, in nulla re, siue Christum, siue Ecclesiam, siue fidē, siue vitam spectes, in nulla inquam re quicquam euangelizandum esse præter id, quod scriptum est. An hoc non satis clarum est? At omnes papisticæ Traditiones, de quibus contendimus, sunt præter id, quod scriptum est. Ergò Anathemati obnoxiæ. Basilius verò dicit, *doctos auditores tantùm debere ea recipere, quæ scripturis consona sunt,* reliqua vt ἀλλότρια reijcere. Sed omnes papisticæ Traditiones, de quibus contendimus, non sunt scripturis consonæ, ergo vt ἀλλότρια, reijciendæ. Deinde quod dicunt, falsum est. Augustinus enim non dicit, *Contra id*, sed *præter id.* Et si concederemus, tantùm illud, quod contrarium est, recipiendū non esse

esse: hoc tamen non iuuaret causam Bellarmini. Omnes enim papisticæ Traditiones, de quib. contendimus, sunt Euangelio scripto contrariæ, vt suo loco ostendemus. Deinde quicquid traditur præter Dei verbum, tanquam necessarium ad salutem, hoc est contra Dei verbum. Doctrina enim salutis non est multiplex; sed vnica tantùm. At illa est integrè & perfectè scripta in sac. litteris. Quicquid igitur præter id, quod in sac. literis est, traditur, tanquam necessarium ad salutem, hoc est contra illam doctrinam salutis. Quod verò dicit Traditiones etiam ex hoc loco, tanquam ab Apostolis euangelizatas necessarias esse: Respondemus nos omnes istas Traditiones, quas Apostoli euangelizarunt, recipere. Sed hoc nihil iuuat papisticas Traditiones, nam illas non euangelizarunt Apostoli. Vt verò eas, quas Apostoli euangelizarunt, ab ijs, quas Monachi in suis speluncis coaxarunt, possimus distinguere, obseruabimus regulam Basilij. Quæ sunt *consona sac. litteris*; ea recipimus, quæ verò non sunt consona sac. litteris, illa sunt ἀλλότρια, & à nobis reijciuntur. Ab hac igitur responsione deiectus Bellarminus, excogitauit aliā; & dicit παρὰ non significare hoc loco *præter, sed cōtrà*. Proinde non quicquid est præter verbum scriptum, sed quicquid contra verbum scriptum est, reijciendum esse; & ob eam causam licere alia dogmata cudere, neque referre, an sint præter doctrinam scriptam, sed tantùm attendendum esse, an sint contra Dei verbum. Sed hîc Bellarminus se implicat contradictione. Hoc enim eodem libro, cap. 9. regula prima dicit; *nihil esse de fide, nisi quod Deus per Apostolos*

aut

aut Prophetas reuelauit, aut quod euidenter inde deducitur. Non enim nouis reuelationibus nunc regitur Ecclesia, sed in ijs permanet, quæ tradiderunt illi, qui ministri fuerunt sermonis. Et propterea dicitur Ephes. 2. *ædificata super fundamentum Prophetarum & Apostolorum*, At nunc dicit, *non prohiberi noua dogmata & præcepta*. Deinde illud totum, quod post Apostolos excogitatum est, vel est ex arbitrio sacrarum scripturarum, per quas nobis Spir. s. loquitur, vel non est. Si est de arbitrio sac. Scripturarum, tum non est præter Scripturam, ac propterea recipiendum. Si non est ex arbitro Sacrarum Scripturarum, tum est præter scripturam, & ex arbitrio nostro, ac proinde eadem facilitate reijciendum, qua admittitur. Hæc etsi vera sunt, & meritò in controuersiam deduci non debent: libuit tamen Bellarmino suam sententiam aliquot argutijs confirmare, quas ordine expendemus. Prima; *Quia Apostolus post hanc epistolam multa alia scripsit*, & *Iohannes suum Euangelium, & Reuelationem scripsit post hanc Epistolam*. Sed respondeo, eos nullam aliam fidei & salutis doctrinam scripsisse, quàm quæ iam antè scripta erat. Proinde quod ad salutis & fidei doctrinam attinet, non scripserunt alia, sed eadē, hoc probatū est antè. Secunda. *Quia agit contra eos, qui legalia seruanda esse asserebant. At illa non sunt præter, sed contra scripturam*. Respondeo, sunt præter & contrà simul. Tertia, *Quia eadem vox apud Paulum ad Rom. 16, 17. vertitur per contra*. Sed hoc nihil probat. Non enim sequitur, hæc vox isthic sonat contra. Ergo & hoc loco. Potest enim in diuersis locis diuersam habere significationem. Quarta:

quia patres explicant per contra. Sed hoc eſt falſum, vt oſtendemus. Hieronymus enim legit *prater* & interpretatur *prater*. Idem facit Ambroſius. Theophylactus dicit *non contrarium, ſed prater*.

Tertium Argumentum. Quia ex verbo ſcripto poſſumus vitam æternam habere.

Per quod poſſumus vitam æternam habere, illud continet perfectam doctrinam ſalutis. Sed per verbum ſcriptum poſſumus vitam æternam habere. Ergo continet perfectam doctrinam ſalutis.

Bellarminus conceſſa Maiore, negat Minorem. Nos probamus eam ex Iohan. cap. 20. 30: *Multa igitur etiam alia ſigna edidit Ieſus in diſcipulorum ſuorum conſpectu, quæ non ſunt ſcripta in hoc libro. Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis Ieſum eſſe Chriſtum, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius*. Cùm igitur ea, quæ ſcripta ſunt, poſsint in nobis fidem gignere, & quidem eam fidem, quam vita æterna ſequitur: neceſſariò ſequitur, verbo ſcripto ea comprehenſa eſſe, quæ ad vitam æternam aſſequendam ſufficiunt. Bellarminus reſpondet, *Iohannem non loqui de doctrina, ſed de ſolis miraculis*. Videndum igitur, an Iohannes loquatur de ſolis miraculis. Bellarminus ait, nos negamus. Et ratio eſt. Quia Iohannes dicit ea ſcripta eſſe, quę ad fidem ſalutiferam gignendam ſufficiunt. Sola autem miracula non ſufficiunt, ad fidem ſalutiferam gignendam. Ergo non loquitur de ſolis miraculis. Minor eſt vera. Maiorem probo. Dicit enim; *Hæc ſcripta ſunt, vt credatis, & vt credentes vitam æternam habeatis*. Auguſt. Tract. 49. in Iohan. *ea electa ſunt*

sunt vt scriberentur, quæ saluti scribentium sufficere videbantur. Cyrill. in Iohan. lib. 12. cap. 68. dicit ea *scripta esse, quæ ad mores & dogmata sufficiunt, vt recta fide, operibus, ac virtute rutilantes, ad regnum cœlorum perueniamus.* Dum igitur Chemnitium hæc docentem ineptum vocat, non Chemnitium, sed Iohannē, Cyrillum & Augustinū ineptos vocat. Quod enim dicit Chemnitius, hoc illis auctoribus dicit. Deinde loquitur Euāgelista de fine totius Euangelij, nempe de vita æterna. Ergo non de solis miraculis. Nam vita æterna non est finis solorum miraculorum.

Illa scripta à se esse dicit Iohannes, quorum finis est vita æterna. Sed vita æterna non est finis solorum miraculorum. Ergo non dicit sola miracula à se scripta esse.

Minor est certa. Maiorem probo. Iohan. 20, 30. *Hæc scripta sunt, vt credatis, & credentes habeatis vitam æternam.* Cyrill. in Iohan. lib. 12. cap. 61. *Quasi repetendo intentionem Euangelij manifestat, vt enim credatis, & credentes habeatis vitam æternam, hæc mihi edita sunt.* August. in Iohan. Tractat. 122. *Hoc capitulum veluti libri huius indicat finem.* Cùm igitur sola miracula fidem gignere non possint, & vita æterna non sit finis solorum miraculorū, manifestum est Iohannem non agere de solis miraculis. Hoc cùm videret Bellarminus, excogitauit aliam responsionem, & dixit, *Iohannem loqui tantùm de rebus à se scriptis; Illas autem non continere perfectam doctrinam salutis, vel reliquos libros esse supernacuos.* Videndum igitur primùm, num Iohannes agat de suo libro tantùm, deinde de consequentia. Ad primum quod attinet, dico me hic ni-

hil definire velle: dicere tamen credibilius esse; vt hoc de toto scripturæ corpore intelligatur, & ita explicat Cyrillus in Iohan. lib. 12. cap. 68. *Non igitur omnia, quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quàm ad dogmata putarunt sufficere.* Si de solo Iohanne intelligeret, non diceret, *scribentes.* Sed vt vt sit, loquitur Iohannes de eo scripto, quod ad fidem & vitam æternã sufficit. Siue igitur loquatur de suo libro tantùm, siue de toto corpore, statuat Bellarminus. Neutra enim sententia videtur esse impia. Tota enim scriptura continet perfectam doctrinam salutis, & Euangelium Iohannis continet perfectam doctrinam salutis. Si enim aliquis, vel ita viueret, vel ita crederet, vt Iohannes docet, saluus fieret. Hoc de antecedente, nunc ad consequentiam. Eam verò prorsus negamus. Nam non sequitur: Euangelium Iohannis continet perfectam doctrinam salutis. Ergo reliqui libri sunt superuacui. Nam libri Mosis continent perfectam doctrinam salutis; neq; tamen prophetarum libri sunt superuacui. Item, Vetus Testamentum cõtinet perfectam doctrinam salutis; Num propterea Nouum Testamentum superuacuum erit? Imò Bellarmine Moses continet perfectam salutis doctrinam, & Vetus Testamentũ continet perfectam doctrinam salutis, sed non æquè perspicuè. In prophetis enim fuerunt multa illustrata, quæ in Mose fuerunt obscuriora. Ita Vetus Testamentum continet perfectam doctrinam salutis, & nouum & vetus simul continet perfectam doctrinam salutis, sed non æquè perspicuè. Quædam enim in N. T. sunt illustriora, quàm in Veteri Testa-

mento

mento antè fuerunt. Planè eodem modo dicere possemus, Euangelium Iohannis continet perfectá doctrinam salutis, & tota Biblia continent perfectam doctrinam salutis; Sed non æquè luculenter. Quædam enim in alijs libris fusiùs explicata sunt, quàm in Iohanne. Veruntamen vt in antecedente nihil volui definire, ita tamen immodestè facit Bellarminus, quòd Chemnitium mendacij insimulat, cùm tamen nihil aliud dicat, quàm Cyrillus ante eum dixerat. Hæc de Antecedente. Nunc ad consequens. Bellarminus *dicit istis verbis, vt credatis, & credentes habeatis vitam æternam, non significari, illa signa sufficere ad vitam æternam, sed illa ad hoc referri, & ordinari, & esse vnum ex medijs requisitis ad salutem, etsi solùm non sufficiat.* Verùm iam antè ostendimus, illud *Hæc* de solis signis intelligi non debere. Quod verò dicit, per ea, quæ scripta sunt, non haberi salutem, sed tantùm eò referri, esse enim ex medijs requisitis ad salutem, etsi solum non sufficiat. Si hoc in genere de omnib. ijs, quæ scripta sunt, intelligit, est falsum. Iohannes n. dicit *hæc scripta esse, vt habeamus vitam æternam*. Aut igitur habemus vitam æternam per ea, quæ scripta sunt, aut errauit Iohannes, dum dicit hæc scripta esse, vt vitam æternam habeamus. Deinde sola ea, quæ scripta sunt, sunt medium ad vitam, & hoc his verbis expressú est, nempè credere Iesum esse Christum filium Dei. Hæc est illa salutis doctrina, credendo enim Iesum esse Christum salutem assequimur. Illud verò scriptum esse, manifestum est. Non igitur poterit negare, perfectam salutis doctrinam scriptam esse. At cùm per ea, quæ scripta sunt, ha-

beamus vitam æternam, ſtatuimus ſacra Scriptura plenam & perfectam ſalutis doctrinam comprehenſam eſſe. Poſt hæc reſpondet ad dicta Auguſtini & Cyrilli, & dicit *eos loqui de ſolis dictis & factis Chriſti, hæc verò non ſufficere ad ſalutem*. Quod miror Bellarmino excidere potuiſſe. Chriſtus enim perfectus ſalutis doctor toto quadriennio docuit ea quę pertinebant ad ſalutem, & ſalutis doctrinam ab eo perfectè doctam eſſe extra controuerſiam pono. At dicta Chriſti ſunt illa, quæ Chriſtus docuit, & hæc ſcripta ſunt. Quis igitur negabit perfectam ſalutis doctrinam ſcriptam eſſe? Argumentum tale, Ea quæ Chriſtus dixit, comprehendunt perfectam ſalutis doctrinam. Sed ea quę Chriſtus dixit, ſunt ſcripta. Ergo ea quæ ſcripta ſunt, continent perfectam doctrinam ſalutis. Maiorem extra controuerſiam pono. Minorem ex Auguſtino & Cyrillo aſſerit Bellarminus. Hoc etſi ita ſe habet: tamen contrà nititur Bellarminus, & dicit *ſola dicta & facta Chriſti non ſufficere ad ſalutem*. Nàm *alioqui omnes libri V. T. item acta Apoſtolorum, & Epiſtolæ Petri, Pauli, Iacobi & Iudæ eſſent ſuperuacua:* Sed hoc non ſequitur. Vtrumque n. conſiſtere poteſt: nempe ea, quæ Chriſtus dixit, ad ſalutē ſufficere, & tamen reliquos libros eſſe neceſſarios. Dicta enim Chriſti, & ea, quæ ad Chriſti dicta pertinent, per eos libros explicantur. De Veteri T. hoc probo. *Si Moſi crederetis, & mihi crederetis. Nam Moſe de me dixit.* Et Luc. 24. *cœpit illis explicare, quæ de illo erant in Moſe & Prophetis*. De libris Noui Teſtamenti ita verum eſt, vt res probatione non egeat. Paulus enim ad Rom. 1. verſ. 1. *dicit ſe ad Euangelium*

Chriſti

Christi separatum esse, & Actor. 28. *suadebat Iesum esse Christum*. Cùm igitur omnes V. & N. Testamenti libri Christum doceant, manifestum est, hanc Bellarmini argumentationem esse infirmam. Deinde Bellarminus se inuoluit. Dicit n. *eos patres voluisse scripta esse sufficienter, non omnia absolute, sed omnia dicta & facta Christi*. Verùm si vult eam esse mentem horum patrum, non omnia quæ ad salutem sufficiunt, esse scripta, sed omnia quæ scripta sunt, sufficienter scripta esse, tum errat. Disertè enim dicunt ea scripta esse, *quæ credentium saluti sufficiunt*, item *quæ ad mores & ad dogmata sufficiunt*. Deinde se implicat. Illud n. *sufficienter* est ex eorũ numero, quæ sunt ad aliquid. Quicquid enim sufficienter factum est, ad aliquid sufficienter factũ est. Dicat nunc Bellarminus quidnam illud sit, ad quod dicta Christi sufficienter scripta sunt? Et si Augustinum interrogabit, videbit nihil aliud esse, *quàm salutem credentium*. Si Cyrillum interrogabit, videbit illud nihil aliud esse, *quàm mores & dogmata*. Si verò Iohannem interrogabit, respondebit Iohannes, illud esse *fidem, & vitam æternã*. Concludo igitur, Quoniam dicta Christi sufficienter scripta sint, & illud *sufficienter* ad nihil aliud possit referri, quàm ad fidem & salutem. omnia quæ ad fidem & salutem faciunt, sufficienter scripta esse. Hoc cùm ita se habeat, vanum est, quod Bellarminus regerit, *illa, quæ ad salutem necessaria sunt, esse quidem Scripta, sed in vniuersali, quia Euangelium monet, vt in rebus dubijs Ecclesiam consulamus. Vnde vult colligi, non omnia ad salutem necessaria expressa esse sac. literis, Sed partim expressa esse sac. literis, partim ex Ecclesiæ decretis*

 petenda

petenda esse. Hoc n. implicat contradictionem. Nam si ex Ecclesię decretis petenda sunt, tum non sunt sufficienter scripta, Sed sunt sufficiẽter scripta, etiam Bellarmino teste. Ergo ex Ecclesiæ decretis nõ sunt petenda. Deinde ad illud, *Dic Ecclesiæ*, iam antè respondimus, & ostendimus illud neque ad Synagogam Romanam, neque illud, quod Ecclesiæ dicere debemus, ad Traditiones pertinere.

Quartum argumentum. Quia scriptura est vtilis ad Doctrinam, ad Redargutionẽ, ad Correctionem, ad Institutionem, 2. Tim. 3, 16.

Quod est ita vtile ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, vt perficiat hominem Dei, & ad omne opus bonum sufficienter instituat, hoc continet sufficientem doctrinam salutis. Sed tota Scriptura est ita vtilis, ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad Institutionem, vt perficiat hominem Dei, & ad omne opus bonum sufficienter instituat. Ergo tota scriptura continet perfectam doctrinam salutis.

Bellarminus primum concedit totum argumentum, addita hac ex explicatione, tota Scriptura continet perfectam doctrinam salutis, *partim quòd illa sit in Scriptura expressa, partim quòd Scriptura ostendat, vnde debeat peti, nempe* à Papa Romano, & eius Synagoga. Sed hoc sæpè diximus esse principium petere. Deinde implicat contradictionem. Nam hæ duæ propositiones, Scriptura perficit hominẽ Dei, & sufficienter instruit ad quodlibet opus bonum, &, Scriptura non perficit hominem Dei, neque sufficienter instruit

instruit hominem Dei ad quodlibet opus bonum, sed ablegat eum ad Papam Roman. & eius Synagogam, vt ab ijs perfectè instituatur, sunt contradictoria, & simul vera esse non possunt. Hoc cùm Bellarminus videret, excogitauit aliam responsionem, & negat minorem 1. Quia Paulus dicit, *Omnis scriptura.* Hinc deducit nos ad absurdum, dicens, *Si omnis scriptura est ita vtilis ad ista: tum etiã singuli libri ita ad illa vtiles sunt.* Ex vniuersali enim affirmatiua rectè infertur particularis affirmatiua. *Sed singuli libri nõ sunt ita ad ista vtiles. Ergo neque omnis Scriptura.* Verùm Bellarmine, illud non contra nos affertur, sed cõtra Dei verbũ: & melius fuisset Dei verbo acquiescere, quàm contra illud argutari. Deinde antecedens tuũ falsum est. Nam *omnis* hìc significat *tota*. Versu enim præcedente loquitur de toto scripturæ corpore. *Sacras litteras nouisti à puero, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem.* 2. Tim. 3, 15. Vnde hoc argumentum colligo.

Quod potest aliquem sapientem reddere ad salutem, hoc continet perfectam doctrinam salutis. Sed scripturæ possunt aliquem sapientem reddere ad salutem. Ergo scripturæ continent perfectam doctrinam salutis.

Maiorem nemo negabit, qui mentem habet, minor est in textu. Deinde talis est communis loquẽdi consuetudo, Ephes. 4, 6. *Ex quo totum corpus congruenter coagmentatũ.* Ad verbum *omne corpus.* Hìc etiam vetus interpres vertit *omne*. Similia loca pasim occurrũt. Omnis igitur Scriptura posita pro tota Scriptura. Secundò respondet *illud*, omnis Scriptura, *de*

tota Scriptura, intelligi non posse. Nam Apocalysis Iohannis & Euangelium Iohannis tum nondum extabant. Ac hoc non est respondere, sed effugium petere. Loquitur enim de eo corpore scripturę, quod tum extabat, & hoc poterat hominem Dei perficere, & ad omne opus bonum instruere. Neque obest, quod Euangelium Iohannis, & Reuelatio eiusdem deinceps accesserunt. Nam isti libri non addiderũt aliam doctrinam, quàm prius tradita erat, Sed illam, quæ priùs tradita erat, magis explicuerunt. Ergo quod Scriptura antè facere potuit, hoc deinde luculentiùs facere potuit. Tertiò; probat hoc non de tota Scriptura intelligendum esse, *quia quod Apostolus de tota dicit, quòd tota Scriptura possit hominem perficere, hoc paulò antè de parte, nempe de V. Testamento affirmauit. Sacra,* inquiens, *litteræ possunt te sapientem reddere ad salutem.* Verùm Bellarmine, nihil fortius est ad Scripturæ perfectionem probandam, quàm hoc ipsum. Nam quod potest hominem sapientem reddere ad salutem, hoc continet perfectam salutis doctrinam. Sed V. T. potest hominem sapientem reddere ad salutem. Ergo V. T. continet perfectam doctrinam salutis. Maior citra controuersiam vera est. Minor est in textu. Hinc verò deduco. Si vetus Testamentum continet perfectam doctrinam salutis; tum Vetus & N. simul continent perfectam doctrinam salutis. Sed primum. Ergo secundum. Posthæc arrodit Bellarminus rationem Chemnitij, qua ille probauit, hoc non de omni Scriptura, sed de tota intelligendum esse. Quia quælibet Scriptura non est vtilis ad doctrinam, ad redargutionẽ, ad correctionem, &

nem, & ad institutionem. Hæc negat Bellarminus, & dicit *quemlibet librum ad hæc quatuor vtilem esse*. Hoc probat; quia secunda Epistola Iohannis est breuissimũ Scriptum in Canone, & tamen ad hęc quatuor vtilis est. Sed illa sola & vnica epistola non est ita vtilis, vt perficiat hominem Dei, & eum ad omne opus bonum sufficienter instruat. Malè igitur carpis Chemnitiũ, & vt hoc commodiùs intelligatur. Quęlibet scriptura est ita vtilis ad ista quatuor, vt hominem Dei perficiat, aut non est. Si non est, tum iniustè mordes Chemnitium. Si est, tum contra conscientiam oppugnas doctrinam nostrã. Elige quod voles. Deinde, quod dicis, ridiculum est. Non enim quilibet liber Noui & V. Testamenti potest Scriptura dici; Sed & quodlibet dictum V. & Noui Testamenti potest Scriptura dici, Marc. 15, 28. *Et impleta est Scriptura, quæ* dicit, *Et cum sceleratis numeratus est*. Luc. 4, 21. *Hodiè impleta est hæc Scriptura audientib. vobis*. Loquitur autem de dicto, Esa. 61, 1. Spiritus Domini super me, &c. Iohan. 17, 12. *Et nemo ex ijs periyt, nisi filius perditionis, vt impleretur Scriptura*, Ioh. 19. 24. *vt scriptura impleretur*, dicens, *partiti sunt vestimenta mea sibi, & super vestem miserunt sortem*. Hinc manifestum est, etiam paruum dictum vocari scripturam. Quodlibet autem dictum ad hæc quatuor non ita vtile est. Ergo Bellarminus potiùs debuisset hæc priùs magis expendere, quàm Chemnitium immeritò perstringere. Hæc ad subiectum. Nunc respondet Bellarminus ad prædicatum; & dicit, illud *vtile est*, nunquam significabit *sufficiens est*. Ergo nullum vtile est sufficiens. Quod miror.

Omne

Omne enim sufficiens est vtile. Ergo saltem pueri agnoscunt, aliquod vtile esse sufficiens, quicquid dicat Bellarminus. Deinde Apostolus non tantùm dicit, Scripturam vtilem esse, sed addit, eam etiam *perficere, & ad omne opus bonum sufficienter instruere.* Coniungit igitur cum vtilitate sufficientiam. Nam quod ita vtile est, vt simul perficiat & perfectè instruat. Hoc est sufficiens. Sed scriptura ita vtilis est, vt simul perficiat, & perfectè instruat. Ergo Scriptura est sufficiens. Hoc cùm Bellarminus soluere nō posset, ridet, & dicit, *cibus ad nutriendum vtilis est, & tamen solus ad nutriendum non sufficit.* Eodē modo Scriptura ad hæc vtilis est. Et tamen sola ad hæc non sufficit. Verùm Bellarmine scimus, non quicquid ad nutriendum vtile est, hoc solum ad nutriendum sufficere. Sed quod ad nutriendum vtile est, & simul hominem naturalem perficit, & pfectè instruit, hoc solum sufficit ad nutriendum, & hoc concedent oēs medici, & physici. Ergo quod vtile est ad doctrinam etc. & simul perficit hominem Dei, & perfectè instruit, hoc sufficiēter instituit hominē Dei. Et vt hoc commodiùs intelligatur, Scripturæ perficiunt hominem Dei, & eum sufficienter instruunt ad omne opus bonū. Homo Dei dicitur propheta, & voluntatis Dei interpres. Hoc pono extra controuersiam. Ergo Scripturæ perficiunt ministrum Ecclesiæ, & eum ad omne opus bonum sufficienter instruunt. Quod verò doctorem Ecclesiæ perficit, & ad omne opus bonū sufficienter instruit, hoc continet omnia ista, quæ sunt ad salutem necessaria. Minister enim, vt homo Dei, debet alios ista docere, quæ sunt ad salutem

lutem necessaria. Ergo ipse ista scire debet. Deinde quod ministro illa omnia suggerit, quæ populũ docet, hoc continet perfectam salutis doctrinam. Sed Scriptura ministro omnia ista suggerit, tradit enim ea, quæ pertinent ad doctrinam, ad redargutionem, ad correptionem, ad Institutionem, & his quatuor capitibus ista omnia comprehensa sunt. Deinde ne quis adhuc quidpiam requirat, dicit scripturam hæc ita præstare, vt hominem Dei perficiat, & ad omne opus bonum sufficienter instruat. Vnde sic colligo,

Quòd omne illud, quod homo Dei docere debet, suggerit, hoc continet perfectam doctrinam salutis, Sed Scriptura suggerit omnia illa, quæ homo Dei docere debet. Ergo Scriptura continet perfectam doctrinam salutis.

Maiorem extra controuersiam pono. Minor est vera, aut falsum est, quod inquit Paulus, Scripturam *posse Timotheum sapientem reddere ad salutem*; item *scripturā posse hominē Dei pficere & sufficiēter instruere, &c.* Idem iudicauit Antiquitas. Sanè, Chrysostomus & Theophylactus hunc locum ita interpretantur.

Quartum Argumentum, Quia Christus damnat omnem doctrinam hominum.

Omnis doctrina hominum abijcienda. Sed omnis Traditio præter Scripturam excogitata, est doctrina hominũ. Ergo omnis Traditio præter Scripturam excogitata abijcienda.

Maior probatur. Matth. 15, 9. *Sed frustrà me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mādata hominum.* Bellarminus respōdet ad Minorem, & dicit *Christum non Mosis & Prophetarum, sed recentiorum quorundā Traditiones,*

ditiones, quæ erant contra scripturam, reycere. At hoc est pro nobis. Nam & nos non Christi & Apostolorũ, sed aliorum hominum Traditiones, easque præter Scripturam excogitatas reprehendimus. Neque iuuat, quòd aduersarius docet, *quosdam patres dicere eas esse Apostolicas*. Hoc enim non omnes fatentur, & qui hoc dicunt, faciunt propterea, vt ijs auctoritatem concilient.

Quintum argumentum, Quia Apostoli eadem, & omnia scripserunt, quæ prædicarunt.

Apostoli prędicarunt perfectam doctrinã salutis.
Sed quæ prædicarũt, eadẽ & scripserunt. Ergo
Apostoli scripserũt perfectam doctrinã salutis.

Maiorem extra controuersiam pono. Minorem probo, 1. Iohan. 1, 4. *Quod vidimus, hoc annunciamus vobis.* Luc. 1, 1. *Visum est mihi omnia ad te scribere, vt cognoscas earum rerum, quas auditione accepisti, veritatẽ.* Vnde apparet Apostolos omnia ista scripsisse, quæ auditores audiuerunt. Sed vi relationis auditores omnia ista audiuerunt, quæ Apostoli prædicarunt. Ergo quæ Apostoli prædicarunt, eadẽ & scripserũt. idem ante de Paulo & Petro probauimus ex patrib'.

Sextum Argumentum, Quia Scriptura docet, quomodo posimus æternam damnationẽ effugere.

Quod docet quomodo posimus æternam damnationem effugere, hoc continet perfectã doctrinã salutis. Sed scriptura docet, quomodo posimus æternã damnationẽ effugere. Ergo Scriptura continet perfectam doctrinã salutis.

Maior est extra controuersiam. Effugere enim damnationem, est saluari. Quicunque enim non in æter-

æternum damnantur, illi saluantur. Ergo quod docet, quomodo posſimus damnationem effugere, hoc docet, quomodo posſimus saluari. Minorem probo, Luc. 16,29. *Habent Mosen & Prophetas, illos audiant*. Epulo volebat ſuos admoneri, ne in iſtam miſeriam venirent. Reſpondet Abraham illos per Moſen & Prophetas doceri, quomodo poſsint hoc periculum effugere. Deinde iubet, *vt Moſen & Prophetas audiant*, neque vllo alio modo eos erudiri voluit. Vnde manifeſtum eſt, vel Abrahamum fuiſſe valde immitem & inhumanũ, vel per Moſen & Prophetas perfectè doceri, quomodo poſsimus damnationem vitare. Atque hinc concludo ſolam & vnicam ſacram Scripturam continere perfectam ſalutis doctrinam. Hinc vocatur *potentia Dei ad ſalutem*, Rom. 1, 16.

Septimum Argumentum, Quia in Scriptura habemus vitam æternam.

In quo habemus vitam æternã, hoc continet perfectam doctrinam ſalutis. Sed in Scriptura habemus vitam æternam. Ergo Scriptura continet perfectam doctrinam ſalutis.

Maior extra controuerſiam eſt. Minorem probo, Iohan. 5, 39. *Scrutamini ſcripturas, quia videmini in ijs vitam æternam habere.*

Octauum Argumentum. Quia continet omnem doctrinam, & omnia facta Chriſti.

Quæ Chriſtus fecit, & docuit, illa continent perfectam doctrinam ſalutis. Sed illa omnia ſcripta ſunt. Ergo quæ ſcripta ſunt, illa continent perfectam doctrinam ſalutis.

Maior

Maior extra controuersiam est. Minor probatur. Act. 1. vers. 1. *Primum librum confeci de omnibus, quæ cepit Iesus facere & docere.*

Nonum Argumentum. Quia omnia dicta Apostolorum sunt in Mose & Prophetis.

Dicta Apostolorum continent perfectam doctrinam salutis. Sed dicta Apostolorum sunt in Mose & Prophetis. Ergo in Mose, & Prophetis est perfecta doctrina salutis.

Maior est extra controuersiam. Minorem probo. Act. 26. 22. *Nihil dicens extra ea, quæ sunt in Mose & Prophetis*. Hoc verò de scripto tantùm intelligi potest. Nam nisi Apostolus de scripto dixisset, excepissent Iudæi, non penes Apostolum, sed penes se esse veras Traditiones. cùm igitur verbo scripto nihil addendum neque quicquam detrahendum sit, & cùm in Scriptura habeamus vitam æternam, eaque vtilis sit ad doct. redarg. correct. & institut. cùm denique perficiat hominẽ Dei, & ad omne opus bonum perfectè instruat. Deniq; cùm Christus damnet omnẽ doctrinam hominum; & cùm Scriptura omnia ista contineat, quæ Christus docuit. Postremò cùm oĩa Apostolorum verba sint in Mose & Prophetis, manifestum est, scripturam continere perfectam doctrinam salutis.

CAPVT XIIII.

Probatur ex patribus verbum Dei continere perfectam doctrinam salutis.

HÆc testimonia allegamus, non quòd existimemus à patribus apodicticum argumentum produci

produci posse. Sed vt ostendamus, quid nam primitiua Ecclesia de hac re senserit. Irenæus igitur lib. tertio cap. 1. *Non enim per alios dispositionem salutis cognouimus, quàm per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos. Quod quidem tunc præconiauerunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurũ.* His Irenæus docet Apostolos idem scripsisse, quod prædicarunt, & hoc ipsum, quod ab illis scriptum est esse fundamentum & columnam fidei.

Quod Apostoli prædicarunt, hoc continet perfectam salutis doctrinam. Sed quod prædicarũt, hoc scripserunt. Ergo quod scripserunt, hoc continet perfectam salutis doctrinam.

Bellarminus primùm negat Minorem, & dicit *Apostolũ quadã scripsisse, quæ prædicauit, sed non omnia.* At hoc pugnat cum Irenæo. Disertè enim dicit eos *scripsisse quod præconiauerunt.* Deinde dicit lib. 2. c. 47. *Credere autem hæc talia debemus Deo, qui & nos fecit, rectißime scientes, quia scripturæ quidẽ perfectæ sunt, quippe à verbo Dei, & spiritu eius dictæ.* Hoc cùm videret Bellarminus, concedit Minorem, & respondet ad Maiorem per distinctionem in hunc modum: *Quædam esse omnibus hominibus ad salutem necessaria, Quædam non esse omnibus hominibus ad salutem necessaria.* Deinde infert *ea, quæ omnibus hominibus ad salutẽ necessaria sunt esse scripta, quæ verò non sunt omnibus hominibus ad salutem necessaria, non esse scripta.* Sed hæc distinctio est simpliciter falsa. Nam vt inquit Paulus ad Ephes. cap. 4, 5. *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma, &c.* Eadem igitur omnibus ad salutém neces-

ſaria ſunt. Deinde, quod dicit *ea, quæ omnibus ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſcripta eſſe*, hoc nobis ſufficit, neque plus deſideramus. Verum igitur eſt, etiam Bellarmino concedente, ea, quæ omnibus hominibus ad ſalutē neceſſaria ſunt, ſcripta eſſe, h.e. ea omnia eſſe ſcripta, per quæ omnes homines ſalui fieri poſſunt. Deinde dicit, *eſſe alia quædam ad ſalutē neceſſaria, quæ non ſunt ſcripta.* Sed hoc implicat contradictionē. Per quod enim omnes homines ſalui fieri poſſunt, hoc tantùm eſt ad ſalutem neceſſariū, ſed per illud, quod ſcriptū eſt, omnes homines ſalui fieri poſſunt. Ergo illud quod ſcriptum eſt, hoc tantùm eſt ad ſalutem neceſſarium. Vel in hunc modū; Abſq; quo omnes homines ſalui fieri poſſunt, illud non eſt ad ſalutem neceſſarium: Sed abſque eo, quod ſcriptum nō eſt, omnes homines ſalui fieri poſſunt. Ergo illud, quod ſcriptum non eſt, non eſt ad ſalutem neceſſariū. Hoc etſi veriſsimum eſt: tamen probat ſuum argumentum duabus rationibus. Vna, Quia illi, qui Act. 2, 41. baptizabantur, *dicuntur perſeueraſſe in Apoſtolorum doctrina. Sed perſeuerare in Apoſtolorum doctrina, eſt alia iſta diſcere, quæ non ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria ſunt. Ergo ſunt quædam non ſcripta ad ſalutem neceſſaria.* Hoc genus argumenti, Bellarmine, non noui, & indignum eſt, cui reſpondeatur. Sufficit dicere, in Apoſtolorum doctrina perſeuerare, non eſſe, non ſcripta diſcere. Secunda ratio, Quia Paulus 1. ad Theſſal. 3, 10. cupit videre Theſſalonicenſes, *vt ſuppleret, quod eorum fidei deerat*. Reſpondeo, aut fides hic ſignificat fidem iuſtificantem, aut doctrinam. Si fidem iuſtificantem, tum nihil ad rem. Non enim

dicimus hominis fidem esse perfectam, sed verbum Dei scriptum esse perfectum. Si doctrinam significat, tum est fallacia consequentis. Nam non sequitur, Thessalonicenses non omnia didicerunt, Ergo Apostoli non omnia docuerunt. Secundò respōdet *Apostolum alia ad salutem necessaria docuisse omnes, alia ad salutem necessaria docuisse episcopos, eáque, quæ omnibus ad salutem necessaria sunt, scripta esse: quæ verò episcopis ad salutem necessaria sunt, non esse scripta.* Sed hoc est falsum. Vna enim tantùm via ad salutem, vna salus, vnum medium ad salutem, vna fides, vnus saluator, vnus Christus. Deinde implicat contradictionem. Illud enim, *Tenete Traditiones.* 2. Tim. 2, 15. pertinet ad omnes homines, tam idiotas, quàm Episcopos, vt & illud, *laudo vos, quòd Traditiones retinetis.* 1. Cor. 11, 2. Aut igitur errat Bellarminus, dum dicit Traditionum cognitionē ad solos Episcopos pertinere, aut errauit Paulus, qui has Traditiones ab omnibus hominibus seruari vult. Eligat Bellarminus, quod volet. Hoc etsi ita est, probat tamen suam opinionem tribus argumentis, 1. *Quia Paulus seorsim euocauit Episcopos.* Act. 20, 17. Sed istos nihil aliud docuit, q̃ *conuersionem ad Deum, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum,* vers. 21. Sed hæc omnia scripta sunt. Deinde Episcopi debebant plura scire, quàm laici, nō propter salutē, sed propter officiū. 2. Quia dixit, 2. Tim. 2, 2. *Hæc committe fidelib. hominib. qui idonei sunt ad alios docendos.* Sed hęc oīa scripta sunt. Tertull. de Pręscript. c. 25: *Nam, cùm dicit* hęc, *de ijs dicit, de quibus in præsenti scribebat. De occultis autē & de absentibus apud conscientiā, nō* hæc, *sed* illa *dixisset.* 3. Quia docet 1. Cor.

 2,6. Sa-

2,6.*Sapientiam loquimur inter perfectos.* Hoc argumentum mutuatus est Bellarminus ab hæreticis. Quærat igitur eius refutationem apud Irenæum lib.3. cap.2. Cùm igitur Bellarmini distinctio sit cōtra Scripturam, & eius probationes sint infirmæ, ac ipse fateatur *illa omnia scripta esse, quæ sunt omnibus necessaria ad salutem*, lib.4. cap.11.fol.306. v. 18. Sequitur perfectam salutis doctrinam sac. litteris comprehensam esse. Nam si illa scripta sunt, quæ sunt omnibus necessaria ad salutem, tum etiam illa scripta sunt, quæ sunt episcopis ad salutem necessaria.

Secundus testis est Origenes. Is Homil.1.in Ieremiam docet. *Necesse nobis est scripturas sanctas in Testimonium vocare. Sensus enim nostri, & orationes nostræ sine his testibus non habent fidem.* Etsi illud, quod in superiore argumēto nobis concessit Bellarminus, nobis satis est, nempe illa oīa scripta esse, quę sūt omnib. necessaria ad salutē: tamē pgem⁹ ad reliqua respondere.

Sine quo sensus nostri, & rationes nostræ non habent fidem, hoc est regula fidei. Sed sine Scriptura sensus nostri, & rationes nostræ non habent fidem. Ergo Scriptura est regula fidei.

Bellarminus ad hoc argumentum nihil respōdet: tantùm dicit hoc *de obscuris intelligendum esse. Illa enim non nisi ex Scriptura probari posse.* Sed hoc est falsum. In tertio enim capite ad Rom. dicit *Paulum præbere doctoribus exemplum, ut ea, quæ loquuntur ad populum, non proprijs præsumpta sententijs, sed diuinis munita testimonijs proferant.* Loquitur igitur Origenes in genere de omnibus. Deinde est ridiculum, imò contradictorium, dicere, quæ omnibus sunt necessaria ad salutem,

lutem, ea esse in Scriptura; quæ verò Episcopis ad salutem necessaria sunt, ea non esse in Scriptura, sed in Traditionibus, & tamen obscuriora per Traditiones, non per Scripturam explicari.

Tertius testis est Constantinus magnus. Ille apud Theodoret. lib. 1. cap. 7. *Euangelici & Apostolici libri, & antiquorum prophetarum oracula, planè instruunt nos, quid de rebus diuinis sentiendum sit. Proinde hostili posita discordia, ex verbis diuinitùs inspiratis sumamus quæstionum explicationes.* His duo dicit. Vnum: sac. Scripturis nos planè instruere, quid de rebus diuinis sentiendum sit. Alterum: Quæstionum solutiones ex sac. Scripturis petendas esse. Argumentum tale.

Quod nos planè instruit de rebus diuinis, & ex quo quęstionum solutiones petere debemus, hoc continet perfectam doctrinam salutis. Sed sac. Scriptura nos planè instruit de rebus diuinis, & ex ea omnium quæstionum decisiones petere debemus. Ergo sac. Scriptura continet perfectam doctrinam salutis.

Bellarminus primùm dicit. *Constantinum Magnum non fuisse Episcopum, sed hoc nihil facit ad rem.* Siue enim fuerit Episcopus, siue non fuerit, hoc ipsum tamen benè ab eo dictú est. Deinde ista vox non est Constantini. est enim approbata à tota Synodo. Licet igitur à Constantino prolata sit, tamen post Synodi approbationẽ, totius Synodi esse censetur. Pręterea, omnes docti vno ore laudant & prædicant hoc dictum: & quod scio, ante hunc diem nemo præter solum Bellarminum inuentus est, qui illud vituperauit. Cùm igitur toti Synodo, & tam multis pijs

Episcopis probatum sit hoc Constãtini dictum, immeritò eleuatur à Bellarmino. Deinde Bellarminus admittit auctoritatem dicti,& dicit eas quæstiones, *quæ ad naturam Dei pertinent, posse ex Scripturis dissolui.* Sed hoc non est ad mentem Constantini. Etsi enim loquitur tantùm de ijs quæstionibus, quæ ad naturam Dei pertinent, Asserit tamen omnes in vniuersum quæstiones Theologicas posse ex Scriptura solui. Alioqui non firma esset imperatoris ratio. Sic enim dicit, Quod nos planè instruit de diuinis rebus, ex eo debemus quæstionum solutiones petere. Sed sac. Scriptura. Ergo, Concludo igitur omnes quæstiones de rebus diuinis ex scriptura dissolui posse. Quod addit Bellarminus, *quæstiones posse decidi ex scriptura, secundum traditionē non scriptam intellecta,* si intelligit Traditiones Romanas, tum petit illud, quod est in principio, & totum illud argumentum est à nobis iamantè refutatum. Quod postremò dicit, *patres non potuisse Arrium ex verbo scripto refutare, ac proinde refutasse eum ex traditionibus,* facit sanctis patribus iniuriam,& ostendit, se patrum disputationes de hac re non legisse. Deinde non dicit verum. Theodoretus enim lib. 1. cap. 8. & Socrates lib. 1. cap. 6. testantur Arrianos ex scripturis damnatos esse.

Quartus testis est Athanasius. Is contra gentes dicit; *sufficiunt sanctæ Scripturæ ad omnem veritatis instructionem.*

Quod sufficit ad veritatis instructionē, hoc continet perfectam doctrinam salutis. Sed sacra scriptura. Ergo.

Bellarminus respōdet ad Minorem, & dicit istam

vocem,

vocem, *omnem*, in Athanasio non exstare. Sed sensus æquè euidens est. Dicit enim Athanasius; *sufficiunt equidem per se sac. literæ & diuinitùs inspiratæ, ad veritatis instructionem*, Hoc idem est, quod inquit Chemnitius. Deinde dicit Athanasium tantùm dicere, *ad duarum quæstionum instructionem sufficere scripturam, non ad omnes quæstiones*. Sed hoc est falsum. Loquitur enim in genere, *piæ quidem*, inquit, *religionis & veritatis de vniuerso ratio cognitióque non tam indiget humana institutione, quàm ipsa se suis notis, indicijsque prodit*. Tertiò dicit *Scripturam sufficere adiudicationem veritatis, sed non sine interpretatione patrum*. Sed & hoc est falsum. Dicit enim, *piæ religionis & veritatis de vniuerso rationem & cognitionē per Christi doctrinam se sole clariùs demonstrare*. Deinde dicit, *nam quamuis tu hæc ipsa queas ex sac. Scripturis colligere, tamen alios benignè audis*. Hinc apparet religionis vniuersæ cognitionē ex solis sac. scripturis cognosci posse. Tandē addit, *Sufficiunt quidem per se, tum sacræ & diuinitùs inspiratæ literæ, ad veritatis indicationem, tum plurimi de eadem re libri a sanctiss. magistris scripti, quos si quis euoluat, intelliget aliquo modo Scripturarum mentem, & forsasse eam, quam cupit, scripturarum cognitionē adipiscetur*. At hoc, Bellarmine, non est scripturam absq; patrum interpretatione intelligi non posse; Sed patrum explicationem prodesse ad scripturam intelligendā, quod non negamus.

Quintus testis est Basilius Magnus. Is in sermone de fidei confessione dicit, *Infidelitatis argumentum est, & signum superbiæ certissimum, si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit reÿcere, aut eorum, quæ nō scripta*

ſunt introducere.

Ad quod nihil debemus addere, & de quo nihil debemus detrahere, hoc continet perfectam ſalutis doctrinam. Sed ſcriptura. Ergo.

Reſpondet Bellarminus ad Minorem, & dicit *Baſilium tantùm vetare, ne aliquid contrarium ad ſac. Scripturam adijciatur.* Sed hoc eſt falſum. Nihil n. omnino doceri vult, niſi quod eſt in ſcriptura. *Et Apoſtolus in exemplo humano vehementiùs contradixit apponere, aut detrahere aliquid in diuinis ſcripturis, dum ait: Tamen hominis confirmatum Teſtamentum nemo reprobat, aut aliquid addit.* Omnem itaque alienam à doctrina domini vocem & ſententiam vitare ſtatuimus. Vnde apparet eum non tantùm non velle, vt aliquid contrarium doceatur, ſed etiam nolle, vt aliquid alienum doceatur. cum quo congruit illud, quod eſt ſumma 72. cap. 1. *Oportet auditores eruditos in ſcripturis, probare ea quæ à doctoribus dicuntur, & quæ quidem conſona ſunt ſcripturis recipere, quæ verò aliena, reijcere.* Diſtribuit igitur omnia, quæcunque de rebus diuinis dicuntur in duas claſſes: nempe in *conſona cum Scripturis*, & in *aliena*; Conſona debent recipi, aliena abijci. Et hoc manifeſtius docet in Moral: Summa 80. cap. 22. *credentis proprium eſt in tali certitudine coaffici ad potentiam dictorum, & nihil audere reprobare, aut inſuper addere. Si enim omne, quod non ex fide eſt, peccatum eſt, velut Apoſtolus ait, fides autem ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei: omne, quod extra diuinitùs inſpiratam Scripturam eſt, ex fide non eſt, & proinde peccatum eſt.* Quicquid igitur ſecundum Baſilium non tantùm contra ſcripturam eſt, ſed etiam *extra*

Scripturam est, peccatum est. Deinde si omnia dogmata debent scripturæ consona esse, manifestum est scripturam esse omnium dogmatũ regulam. Illud enim, cui aliquid consonum est, est consoni regula; & ob eam caussam omnia debent ad scripturã examinari. Si congruunt cum scriptura, sunt suscipienda, si non congruunt, sunt reijcienda. Vana igitur omnis Bellarmini ad hoc dictum responsio: Deinde dicit Bellarminus, Basilium loqui *de Traditionibus a priuatis hominibus excogitatis; non de ijs, quas vniuersa Ecclesia ab Apostolis per successionem accepit*. Respondeo, Bellarminũ hic ludere. Loquitur enim Basilius de omni eo, quod est extra Dei verbum; siue sit ab hoc, vel illo, siue à priuatis, siue à publicis hominibus excogitatum. Quod verò addit de Apostolicis Traditionibus, tales nullas habẽt papistę, quas nos negamus. Non enim Traditiones à nobis oppugnantur, quas Ecclesia ab Apostolis accepit, sed oppugnamus eas, quæ pugnant cum Apostolica doctrina, vel quę sunt extra Apostolicam doctrinam. Quicquid enim in sac. litteris non disertè expressum est, & tamen rectè ex ijs deduci potest, hoc nos non negamus. Quod verò addit, ipsum Basilium in eadẽ oratione de fide dicere, *se vsum esse sæpè Sermonibus non scriptis sed cùm Scriptura consentientibus*, hoc falsum est. Non enim dicit se vsum esse sermonibus, sed dicit *se vsum esse vocibus*. Talis vox est ὁμοούσιον. Talia verò & nos nõ negamus. Manifestè enim ex scriptura deduci possunt. Probent papistę sua dogmata omnia ex scripturis, & pacẽ colemus cum illis. Alter locus est epist. 80. *Non putamus iustum esse, obtinentẽ apud ipsos consuetudinem,*

legem ac regulam facere recta doctrina. Si enim fortis res est ad rectitudinis demonstrationẽ, oportet & nos omnino illos sequi. Igitur Scriptura diuinitus inspirata arbitra nobis constituatur, & apud quos inuenta fuerint dogmata diuinis sermonibus concordantia, his omnino etiam veritatis suffragium accedet. Respondet Bellarminus, Basilium non agere *de traditionibus in vniuersa Ecclesia receptis, sed tantùm de Traditionibus particularibus.* Sed hoc est falsum, Basilius enim in genere dicit, *apud quos inuenta fuerint dogmata Scripturis consona.* Vult igitur omnes consuetudines ad Dei verbum examinandas esse. Nam si illi consonæ sunt, vult eas recipi; si congruæ non sunt, vult eas repelli. Deinde omnes Traditiones papisticæ, de quib. nos eos accusamus, vel non habent testimonium à primitiua Ecclesia, vel constat eas olim non eodem modo ab omnibus obseruatas fuisse; Sed in alijs locis aliter atque aliter fuisse obseruatas, quemadmodum suo loco ostendemus. Proinde si discrepantes consuetudines sunt ex Dei verbo censendæ, tum omnes papisticæ Traditiones sunt ex Dei verbo censendæ. Fuerunt enim omnes istæ olim discrepantes.

Sextus Testis est Chrysostomus. Is Homil. 1. in Matth. dicit, *Scripturis opus esse, quia multi Euangelium corrumpunt.* Et Homil. 13. in Genes. dicit. *Scriptura non sinit hominem errare.* Ibid. *Ad amussim Canonem sac. Scripturæ sequamur.* Homil. 3. in 2. ad Thess. *Quæcunque necessaria sunt, illa sunt in Scripturis manifesta.* Ad hæc omnia dicit Bellarmin⁹, *quorsum hæc?* nempe horsum. Si Euangelium ideo scriptum est, vt non corrumperetur, tum totum scriptum est. Et si Scri-

ptura non ſinit hominem errare, tum debemus ſcripturam ſequi. Item, ſi ſcriptura eſt canon, tum omnia dogmata ad eam, tanquam ad Canonem examinãda ſunt. Deniq; ſi illa ſunt manifeſta in Scripturis, quæ ſunt neceſſaria, tum ſcriptura poteſt eſſe iudex dogmatum controuerſorum de rebus neceſſarijs, & Laici poſſunt eam cum fructu legere. Deinde allegat illum locum ex Homil. 49. in Matth. *Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiunt ad montes, Montes autem ſunt Scripturæ Prophetarum & Apoſtolorum.* Ad hunc locum reſpondet, *eum non eſſe Chryſoſtomi*. Neque hoc ego ſimpliciter affirmo, ſed tamen dicto tam pio ſatisfactum non eſt, & in editione Pariſienſi expungi non debuit. Nam ſi ita tractatis patres, Bellarmine, vt, cùm aliquid in ijs contra vos eſt, illud expungatis, quis non affirmabit veſtrã cauſam niſi corruptione & mutilatione patrum defendi non poſſe. Deinde idem docet Auguſtinus in libro de Paſtoribus cap. 11. Dicit enim *conſtituit montes Iſrael. Auctores diuinarum Scripturarum, ibi paſcite, vt ſermone paſcatis, quicquid inde audieritis, hoc vobis bene ſapiat, quicquid extra eſt, reſpuite, ne erretis in nebula, Audite vocem paſtoris, colligite vos ad montes ſac. Scripturæ.* Et quæ ſequuntur. Si igitur reſpuere debemus, quicquid eſt extra Scripturam, perierunt omnes papiſticæ Traditiones. Sunt enim omnes extra Scripturam. Idem Chryſoſt. inquit in Pſal. 98. *Si quid dicatur extra ſcripturam, auditorum oratio claudicat, nunc annuens, nunc haſitans. Verùm vbi ex Scriptura diuina vocis prodijt Teſtimonium, & loquentis ſermonem, & audientis animum confirmat.* Reſpondet Bellarminus, Chryſoſtomum

velle

velle illud, quod ex propria inuentione dicitur, non tam facile persuadere, quàm quod ex scripturis dicitur. At hoc nihil aliud est, quàm ostendere, se non posse respondere. Non enim hoc vult Chrysostomus, sed vult nihil *extra scripturam* dicendum esse, quia non vult auditoris animũ hæsitare. Deinde paulò antè dixit, *non oportet quicquam dicere sine testibus*. Intelligit autem Testimonium sac. scripturarum. Sed quicquid extra scripturam dicitur, hoc sine testibus dicitur. Ergo extra Scripturam nihil dicendũ. Idem dicit Homil. 13. in 2. ad Corinth. *Cùm habeamus omnium exactissimam trutinam, gnomonem, & regulam, diuinarũ legum assertionem, oro vos omnes, vt relinquatis, quid huic, vel illi videatur, & de his ex scripturis hæc omnia inquirite.* Respondet Bellarminus Chrysostomum non loqui *de dogmatis fidei, sed de opinione carnalium, qui anteponunt opes paupertati.* Sed hoc est falsum. Loquitur enim de hac re, sed non sola. Dicit enim nos *omnium habere exactissimam trutinam, & omnia ex Scripturis inquirẽda esse.* Ergo non tantùm de ea re loquitur, vt vult Bellarminus. Cùm igitur *omnia* ex Scriptura exquiri debeant, manifestum est, Scripturam esse perfectam. Cùm item scriptura sit *omnium* trutina, gnomon, & regula, sequitur omnia dogmata ad eam examinari debere. Idem Chrysost. dicit in cap. 22. Matth. in Comment. *Quicquid quæritur ad salutem, totum iam impletum est in scripturis.* Respondet Bellarminus, Chrysostomum loqui *de vitiorum remedijs, & dicere, nullum vitium esse, ad quod sanandum non reperitur in Scriptura remedium.* Sed quid velit Chrysostomus adeò certum est & liquidum, vt illa Bellarmini re-

sponsio

ſponſio parum ad rem faciat.

Septimus teſtis eſt Cyrillus. Is in libro de recta fide ad Reginas ait; *Neceſſarium nobis eſt, diuinas ſequi litteras, & in nullo ab earũ præſcripto diſcedere.* Reſpondet Bellarminus, *licere noua dogmata tradere, ſed non licere dogmata Scripturæ contraria tradere.* Sed & illi, qui noua dogmata præter ea, quæ ſunt in Scriptura tradunt, ab ſcripturarum præſcripto diſcedunt. Exemplum manifeſtum apud Matth. cap. 15, 2. Ibi n. lotio manuum ex traditione accepta, reprehenditur: & tamen non eſt per ſe ſcripturæ contraria. Deinde Cyrillus dicit, *omnia illa, quæ ad fidem, mores, & dogmata ſufficiunt, ſcripta eſſe,* in Iohan. cap. vlt. lib. 12. Non igitur opus eſt, vt nouum quid adijciatur. Idẽ dicit Homil. 5. in Leuit. *Ego puto in hoc biduo duo Teſtamenta poſſe intelligi, in quibus licet omne verbum, quod ad Deum pertinet requiri & diſcuti, atque ex ipſis omnem rerum ſcientiam capi. Si quid autem ſuperfuerit, quod Scriptura diuina non decernat; nullam aliam debere tertiã Scripturam, ad auctoritatem ſcientiæ ſuſcipi.* Bellarminus reſpondet, hunc librum non eſſe Cyrilli, ſed Origenis. Sed hoc non refert. Vtriuſque enim par auctoritas. Nam quando eorũ ſcripta cum Dei verbo congruunt, tum perinde eſt, vtrum Cyrillus an Origenes dixerit, & cùm à Dei verbo diſcrepant, tum etiã perinde eſt, quis dixerit. Deinde dicit Cyrillum hoc loco non *excludere verbum Dei non ſcriptum. Sed ſolùm excludere tertiam Scripturam.* Sed hoc tantùm eſt effugium quærere, cùm reſpondere non poſſis. Dicit enim *omne verbum, quod ad Deum pertinet, in vtroque Teſtamento requiri, & diſcuti poſſe.* Ergo per contrapoſitionem

sitionem, quod non est in his duobus Testamentis, hoc non pertinet ad Deum. Viderit Bellarminus, ad quem pertineāt ementitæ papistarum Traditiones. Nam non sunt in illis Testamentis.

Octauus testis est Theophilus. In 2. n. Paschali ille ait, *Diabolici Spiritus est, extra diuinarum Scripturarum auctoritatem, aliquid diuinum putare.* Respōdet Bellarminus, *eum loqui de libris Apocryphis, quos quidam pro diuinis supponebant.* Sed Theophilus in genere dicit: *Omne illud, quod est extra Scripturas, non esse diuinum.* Cùm igitur Traditiones sint extra Scripturas; sequitur eas non esse diuinas. Deinde dicit Bellarminus *ineptum esse, quod de singularitate dicitur, ad aliam rem torquere.* Hoc quidem verum est, Bellarmine. Excutiamus igitur, num commodè à Chemnitio hoc positum sit. Theophilus voluit ostendere libros Apocryphos non esse diuinos: medium posuit, quia sunt extra scripturas. Iam Maior formāda est, vel vniuersaliter, vel particulariter. Si particulariter; Nempe quædam extra scripturam non sunt diuina. Sed Apocryphi. Ergo. tum fuisset ei meritò responsum, esse puras particulares. Proinde, vt ratio procederet, Maior vniuersaliter formanda erat, videlicet. Quicquid est extra scripturam, hoc non est diuinum. Sed libri Apocryphi. Ergo &c. Hanc esse veram mentē Theophili, dabunt omnes, qui librum inspexerūt. Ergo non ineptus Chemnitius, qui hoc ita addixit; sed ineptus est, ne quid grauius dicam, qui hoc in tanta luce videre non potuit, vel peruersus, qui hoc videre noluit.

Nonus testis est Apollinaris. Ille apud Euseb. lib. 5. cap. 18.

5. cap. 18. *dicit se longo tempore distulisse scribere contra Montani hæresin, ne videretur aliquid addere verbo Euangelico.* Bellarminus respõdet, *hac non esse in omnibus libris.* At sunt in Græco. Et hoc sufficit. Secundò dicit non dicere Apollinarem, *verbo scripto*. Sed hoc per se intelligitur. Dicit enim se metuere, vt adderet aliquid *Euangelico Noui Testamenti sermoni*, quod non nisi de verbo scripto intelligi potest. Tertiò respondet intelligi *additionẽ noui dogmatis contrarij*. Sed hoc est ridiculũ. Nam non metuit, vt aliquid verbo Dei contrarium scriberet, sed metuit, vt aliquis suum librum pro Canonico arriperet; quemadmodũ multi Montani libros pro Canonicis accipiebant. Deinde dicit *Euangelico Noui Testamenti verbo nihil addi, & nihil detrahi debere*. Dicit igitur Euangelium Noui Testamenti verbum esse perfectum, & omnibus numeris absolutum, ac proinde omnia dogmata ex eo solo diiudicanda esse.

CAPVT XV.

Idem ex Patribus Latinis probatur.

HActenus de Græcis patribus; nunc de Latinis Ac primo loco Tertullianus. Is lib. cont. Hermogen. cap. 22. dicit: *Adoro Scripturæ plenitudinem, scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptũ, timeat væ illud, adijcientibus vel detrahentib. destinatum.*

Omni non scripto metuendum væ illud, adijcientibus, & detrahentibus destinatũ. Sed Traditiones papisticæ sunt non scriptæ. Ergo Traditionibus papisticis metuendum væ illud.

Respondet Bellarminus ad Maiorem, & docet

eam

eam esse indiuidualem. Hoc etiam antè aliquando respondit: & palam ostendit, se reuera nihil respondere posse. Nam si Tertullianus voluit, illa, *Si non est scriptum, metuat væ illud adijcientibus & detrahentibus destinatum*, tantùm de vna re intelligi, inefficax, imò ineptum fuit eius argumentum. Fuit enim à puris particularibus, propter quod etiam pueri in scholis vapulant, videlicet. Alicui non scripto metuendum væ illud. Sed hoc est non scriptum. Ergo huic metuendum væ illud. Et si Bellarminus hoc ex animo scripsit, reducendus est ad scholas Logicorũ, vt discat illud, quod pueri impunè ignorare non possunt. Si autem sciens & volens ita scripsit, viderit, quid sit Deo in vltimo Iudicio responsurus. Sed ad rem. Hermogenes dicebat mundum esse ex præexistente materia conditum. Tertullianus hoc negabat. Medium, quo Tertullianus vtebatur; quia non erat scriptum. Argumentum Tertulliani tale. Quod non est scriptum, hoc est reijciendum. Sed mundum esse ex præexistente materia conditum, non est scriptum. Ergo reijciendum. Eodem modo & nos dicimus, quod non est scriptum, est reijciendum. Sed Traditiones non sunt scriptæ. Ergo reijciendæ. Hoc argumentũ neque Bellarminus, neque vllus papista refutabit, nisi palàm omnem omnium patrum & ipsius scripturæ auctoritatẽ velit reijcere.

Secundus testis est Cyprianus. Ille in Epist. ad Pompeium dicit; *vnde est ista Traditio? vtrum de Dominica & Euangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis, atque Epistolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, testatur Deus, & proponit* ad

Iosue dicens, *non recedet liber legis ex ore tuo. Si igitur, aut in Euangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis & Actibus continetur, obseruetur etiam hæc sancta Traditio.* Argumentum tale.

Quod non est in verbo scripto, hoc non est obseruandum. Sed papisticæ Traditiones non sunt in verbo scripto. Ergo Papisticæ Traditiones non sunt obseruandæ.

Respondet Bellarminus ad Minorem,& dicit *Cyprianum defendisse errorem, cùm hæc scriberet.* Sed hoc nihil ad rem. In eo enim non errabat, quòd omnia ex scripturis probãda esse dicebat; sed in eo errabat, quòd putabat rebaptizationem hęreticorum esse in scriptura. Et hoc docet Augustinus lib.5. de Baptismo contra Donatistas cap. 26. *Quod autem nos admonet, vt ad fontẽ* (loquitur de Cypriano) *recurramus. i. ad Apostolorum traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sinè dubitatione faciendum.* Hinc apparet principiũ Cypriani non esse malum, sed illud esse malum, quod ex hoc principio educere conabatur. Argumentatur enim in hunc modum.

Quod in scriptura non præcipitur, hoc non est faciendum. Sed venientes ab hæreticis non Baptizari, non præcipitur in Scriptura. Ergo venientes ab hæreticis non sunt nõ baptizãdi.

Hìc verò errabat Cyprianus non in Maiore, nam illa est verissima: sed in Minore. Deinde dicit Bellarminus *Augustinum refellere hanc Epistolam lib. 5. cont. Donatist.* Hoc verum est κατά τι. Sed Augustinus tantùm Minorem prædicti Syllogismi refellit,

maiorem verò approbat, vt antè demonſtraui. Hoc cùm videret Bellarminus, redit ad ſuum coccyſmũ: nempe Cyprianum *non in genere dixiſſe, de omni re non ſcripta, ſed tantùm de aliqua re non ſcripta*. Verùm hoc indignum eſt, cui tam ſæpe reſpondeatur, & oſtendit, quemadmodum iam dixi, ſe non poſſe ad argumentum reſpondere.

Tertius Teſtis eſt Hieronymus. Ille in Matth. cap. 23. *Quod de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Argum. tale.

Quod de Scriptura non habet auctoritatem, hoc eadem facilitate contemnitur qua approbatur. Sed Traditiones. Ergo.

Bellarminus cùm nihil poſsit reſpondere, dicit *locum hunc infideliter allegatum eſſe*. Sed hoc non docet. Deinde repetit veterem Coccyſmum; *nempe hoc non in genere, ſed tantùm de vna re, nempe de Sacharia accipiendum eſſe.* Verùm, aut hoc falſum eſt, aut Hieronymus diſputat ex puris particularibus. Quæſtio enim eſt; num Sacharias pater Iohannis, ſit ille, qui occiſus eſt inter Altare & Templum. Hieronymus hoc negat. Medium, quo vtitur, eſt, quia illud non habet de ſcriptura auctoritatem. Argumentum tale. Quod de Scriptura non habet auctoritatem, hoc eadem facilitate contemnitur, qua approbatur. Sed an Sacharias ille, fuerit pater Iohannis, de ſcriptura auctoritatem non habet. Ergo eadem facilitate contemnitur, qua approbatur. Si aliter format Hieronymus, admittit paralogiſmum ex puris particularibus, & eſt ineptus. Hoc ita eſſe nunquam refutabit Bellarminus. Idem dicit in 1. cap. Aggæi, *quæ abſque*

auctoritate & testimonijs scripturarum, quasi traditione Apostolica, sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei. Argumentum tale. Quicquid absque auctoritate & testimonijs scripturarum cōfingitur, illud gladio Dei percutiendum est. Sed Traditiones papisticæ absque auctoritate & testimonijs scripturarum confictæ sunt. Ergo gladio Dei percutiendę. Respondet Bellarminus, hoc tantùm intelligendum esse de ijs, *qui ipsi aliquid confingunt, & tamen volunt illud esse ex Apostolica Traditione*. Sed hoc nobis sufficit. Talia enim sunt Papistica, quę nos oppugnamus, vt Ieiuniorū certa tempora, & variæ obseruationes; humi dormitiones, tres quadragesimæ, ξηροφαγία, & similia. Deinde illud *solùm* non est in Hieronymo, sed à Bellarmino appositum. Hieronymus enim agit in genere. Quicquid de scripturę auctoritate, & Testimonijs non est, illud gladio Dei percutiendum. Sed Ieiuniorum certa tempora, ξηροφαγία, humi dormitiones, & alia non sunt ex Scripturæ auctoritate. Ergo gladio Dei percutienda. Idem docet in Psal. 86. *Vt exceptis Apostolis quicquid postea aliud dicetur, non habeat auctoritatem, abscindatur.*

Quicquid aliud est, quàm illud, quod dixerunt Apostoli, abscindendum. Sed Traditiones Papisticæ sunt aliud, quàm illud, quod dixerunt Apostoli. Ergo abscindendæ.

Bellarminus cùm non possit respondere, iterat veterem coccysmum, nempe Hieronymum velle, *vt nihil contrarium scripturis doceatur*. Hoc quidem verum est, sed non solùm. Non enim tantùm vult, vt nihil contrarium doceatur: Sed etiam, *vt nihil*

aliud, quemadmodum antè ostendimus.

Quartus testis est Augustinus. Is lib. 2. de doct. Christ. cap. 9. *In ijs enim*, inquit, *quæ apertè in Scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresq́ue viuendi, spem scilicet, atque charitatem.*

Quæ fidem & mores viuendi continent, illa continent perfectam doctrinam salutis. Sed scriptura fidem, & mores viuendi continet. Ergo Scriptura continet perfectam salutis doctrinã.

Bellarminus respondet ad Minorem, & dicit *scripturam continere omnia ista dogmata, quæ omnib. hominibus simpliciter necessaria sunt.* Sed hoc est satis.

Nam quod continet illud, quod omnibus hominibus simpliciter necessarium est ad salutem, hoc continet perfectam salutis doctrinam. Sed scriptura. Ergo.

Minor est Bellarmini, Maior est vera. Nam quod omnibus hominibus simpliciter necessarium est ad salutem, hoc sufficit omnibus hominibus ad salutẽ. Si igitur scriptura hoc continet, quod omnibus hominibus ad salutem sufficit, manifestum est, plenam & perfectam doctrinã salutis esse in scriptura. Quid igitur contradicunt? Deinde, si scriptura ista omnia continet, quæ omnibus hominibus sunt simpliciter ad salutem necessaria, hoc est, per quæ omnes homines salui fieri possunt, Sequitur Traditiones nullis hominibus esse simpliciter necessarias ad salutem; sequitur item omnes homines absq; Traditionibus saluos fieri posse. Imò, sine quo omnes homines salui fieri possunt, hoc non est ad salutem necessariũ. Sed sine Traditionibus. Ergo. Quorsum igitur Traditiones?

tiones? Nos illud, quod hic Bellarminus regessit, libenter recipimus, neque opus fuisset probatione. Quoniam tamen probationem attulit, nos eam expendemus. August. lib. 2. cap. 36. dicit. *Credo quòd etiam hinc diuinorum eloquiorum clarissima authoritas esset, si homo illud sine dispendio salutis ignorare non posset.* Ergo infert non *omnia ex scriptura sumi posse, sed opus esse Traditione.* Illud prius cōcedimus. Sed addit Augustinus, *illa sine dispendio salutis ignorari posse*. Hoc posterius negamus. Nam & illa ex Traditione cognoscere non possumus. Docet enim Augustinus in eodem capite, *vbi enim de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum scripturarum certis clarisq; documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando*. Quod non dixisset, si existimasset nos ea ex Traditionibus discere posse, quæ ex scriptura discere non possumus. Relinquitur igitur, omnia ad salutem necessaria ex scriptura disci posse. Idem August. dicit lib. 3. contra litteras Petiliani cap. 6. *Si quis siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam si nos, sed quod Paulus adiecit, si Angelus è cœlo vobis euangelizaverit, præterquam quod in scripturis euangelicis & legalibus accepistis, anathema sit.*

Quicquid prẹter scripturam est, est anathema. Sed Traditiones papisticæ sunt præterquam illud, quod scriptum est. Sunt igitur anathema.

Bellarminus cùm non posit respondere, dicit se ante docuisse *præterquam esse idem quod contra.* Verùm mi Iesuita; Præterquā est aliud, quàm cōtra. Deinde

in scriptura non tantùm illud, quod contrarium est damnatur: Sed etiam illud, quod *aliud* siue *preter* est, quemadmodum antè prolixè ostendimus. Idem docet de bono viduitatis. cap. 1. *Sancta scriptura nostra doctrina regulam figit, &c.* Et paulò post. *Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi doctoris exponere, & de ijs, quod Dominus dederit, disputare.* Bellarminus cùm nihil posit respōdere, iterat veterem coccysmum, & dicit hoc *non in genere, sed tantùm de viduitate intelligendum esse.* Sed illud refutauimus iam sæpè. Nam Augustinus aut loquitur in genere, aut argumentatur ex puris particularibus, quod est ineptire. Hoc cùm videret Bellarminus, affert nouam solutionem, *nempe esse intelligendum de ijs, qui nouas doctrinas effingunt.* Hoc est verum Bellarmine. Omnis n. doctrina, quæ non est in Scriptura, est noua doctrina. Verùm hoc modo flagellas omnes Traditiones papisticas. Illæ enim, quoniam non sunt in scriptura, sunt nouæ doctrinæ, ac proinde abijciendæ. Idem dicit lib. 3. cont. Maximin. cap. 14. Sed nunc *nec ego Nicœnum, nec tu debes Ariminense, tanquam praiudicaturus præferre concilium. Nec ego huius auctoritate, nec tu illius teneris. Scripturarum auctoritatibus non quorumcunque proprijs, sed vtrique communibus testibus, res cum re, caussa cum caussa, ratio cum ratione certet.* Argumentum tale.

Quod controuersum, alterius partis proprium, & non vtrique parti commune est; illud non potest principium esse. Sed Traditiones papisticæ sunt controuersæ, alterius partis propriæ & non vtrique parti communes. Ergo Traditiones

tiones non possunt esse principium alicuius dogmatis.

Bellarminus cùm non posit respondere, *negat hoc dicto oppugnari Traditiones.* Verùm iudicet posteritas, an hoc argumento impugnentur Traditiones papisticæ. Ad hęc dicta, cùm neque Bellarminus, neque quisquam papista potuerit respōdere, non existimo necesse esse plura adiungere. Multa enim sciens & volens prætereo. Deinde dicit de hac re, quam hoc loco tractat Augustinus, *exstare illustria testimonia in sac. Scriptura.* Sed hoc implicat contradictionem. Nam antè negauit, *patres potuisse Arrianos ex scriptura conuincere, ideo coactos fuisse ad Traditiones confugere.* Hîc verò dicit contrarium. Quod verò addit, hoc sapit plus quàm iuuenilem arrogantium. Primùm dicit, *se duplo plura Testimonia patrum pro Traditionibus allegasse, quam nos*, Quasi in multitudine allegationũ sita sit veritas, & non potiùs expendendum, quàm appositè fuerint allegata. Deinde dicit, nos *cogi fateri, esse aliquas Traditiones.* Quasi verò nomen Traditiones non sit ὁμώνυμον, & nos propterea papisticas Traditiones agnoscamus, quòd veras agnoscimus. Deinde ex hac re nostra ingenuitas iudicari potest. Quæ enim scimus vera esse, ea libenter admittimus. Postremò dicit *se non posse adigi ex vlla parte, vt affirmet traditiones non esse necessarias.* Modestus homo. Paulus dicit *sacras literas posse nos sapientes reddere in salute.* Idem dicit *eas reddere hominem Dei perfectè instructum ad omne opus bonum.* Athanasius dicit *sanctam Scripturam sufficere ad veritatis instructionem.* Basilius dicit *nos debere ea, quæ scripturis consona sunt*

recipere, & quæ aliena sunt reijcere. Idem dicit *infidelitatis & superbiæ argumentum esse aliquid eorum quæ scripta sunt, abijcere, & eorum quæ scripta non sunt introducere*. Idem dicit *ex peccato esse, quod est extra diuinitùs inspiratam Scripturam*. Idem dicit *Scripturam diuinitùs inspiratam esse arbitrum constituendum, & apud quem inuenta fuerint dogmata diuinis sermonibus concordantia, ei veritatis suffragium accedere debere*. Cyrillus dicit *omnia illa, quæ ad fidē, mores & dogmata sufficiūt, scripta esse*. Origines dicit *omne verbum, quod ad Deum pertinet, discuti ab vtroque Testamento*. Theophilus dicit *Diabolici Spiritus esse extra diuinarum Scripturarum auctoritatem aliquid diuinum putare*. Hieronymus dicit, *quod de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate posse repudiari, qua admittitur*. Idem dicit *gladium Dei percutere ista, quæ absque testimonijs Scripturæ quasi Apostolica traditione recipiuntur*. Augustinus dicit, *in ijs, quæ apertè in Scriptura posita sunt, inueniri omnia illa, quæ continent fidem moresque viuendi*. Idem dicit *anathema esse quicunque de Christo, siue de Ecclesia, siue de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, euangelizauerit præterquam quod Euangelicis & legalib. Scripturis traditum est*. Et tamen Bellarminus dicit *se nulla ex parte adigi posse, vt affirmet traditiones*, nempe eas, de quibus nos contendimus, *non esse necessarias*. Estne hoc insigne exemplum Iesuiticæ modestiæ?

Capvt xvi.

Idem à ratione probatur.

Capite superiore ostendimus ex patribus Latinis, verbo Dei scripto comprehensam esse perfectam

fectam doctrinam salutis; Sequitur vt idem aliquot rationibus ostendamus. Prima ratio est: Quia absq; scriptura traditiones tam diu cōseruari nō potuerūt.

Quod non est scriptum, id tam longo tempore conseruari non potest. Sed traditiones nō sunt scriptæ: Ergo tam longo tempore conseruari non potuerunt.

Bellarminus negat Maiorem. Et dicit, *Deus longiore tempore conseruauit Ecclesiam. Ergo etiam Traditiones à tempore Apostolorum, vsque ad hac tempora conseruare potuit.* Sed est magna differentia. Ecclesiæ enim conseruationem promisit Deus; Traditionum verò conseruationem promisit nusquam. Deinde Ecclesiam Deo curæ esse, certum est; Traditiones verò ei curæ esse inter nos cōtrouersum est. Dicere igitur, Traditiones conseruari, quia Deo curæ sunt, est illud petere, quod est in principio. Postremò dicere, Deum posse Traditiones conseruare. Ergo conseruauit, non est magni momenti. A posse enim ad esse non valet consequentia. Deus potest facere, vt Bellarminus fiat Papa Romanus. Ergo fiet Papa. Non sequitur, opinor; & si Bellarminus sibi hoc persuasit, hallucinabitur. Deinde dicit. *Sicut Deus potuit seruare Traditiones ab Adamo ad Mosen, & Scripturam à Mose ad Christum, ita potuit & Traditiones conseruare à Christo vsque ad nostram ætatem.* Sed illud est longè diuersum. Traditiones enim ab Adam ad Mosen sunt Dei verbum, quod perire non potest. Traditiones verò Papisticæ, de quibus nos contendimus, sunt doctrinæ hominum. Deinde Traditiones ab Adam ad Mosen non semper integræ conseruatæ

sunt, Gen. 4, 26. *Tunc cœptum est inuocari nomẽ Iehouæ,* hoc est, quemadmodum Vatablus explicat, *tunc cœpit restitui cultus diuinus, qui propter impietatem penè interierat,* Genes. 6, 12. *Omnis caro corruperat viam suam super terram.* Deinde post diluuium posteri Sem corruperunt Traditiones Dei, adhuc Noa viuente. *Nachor enim & Thare seruiuerunt Dijs alienis.* Ios. 24, 2. Et Laban iurat per *Deos Nachor.* Gen. 31, 53. Quin ipsi filij Iacob coluerunt idola cùm essent in Ægypto. Ezech. 20, 8. Et vt Colophonem addam. Cùm Moses esset in monte, & acciperet legem Domini, totus populus Traditiones corrupit, & coluit idola. Exo. 32, 1. Vnde apparet, Traditiones ab Adam ad Mosen non fuisse integrè cõseruatas. Deinde Deus subinde aliquem excitauit ante Mosen, qui collapsum Dei cultum restitueret, vt Set, Enoch, Noach, Abraham. Post Apostolos verò *non fuisse nouas reuelationes concedit Bellarminus.* Deinde, si iudicasset Deus Traditiones commodè seruari potuisse, non scripsisset, sed quoniam videbat verbum suum viua voce traditum, non tam facile conseruari posse, ideò scripsit, & scribi iussit, Exod. 17, 14. *Scribe hæc ad monumentum in libro,* Psalm. 102, 19. *Scribatur hoc ad memoriam posterorum,* Luc. 1. *Visum est mihi hæc omnia scribere, vt habeas earum rerum, quas auditione accepisti ἀσφάλειαν.* Concludimus igitur, Traditiones non scriptas difficulter conseruari posse. Hoc cùm videret Bellarminus, excogitauit aliam responsionem; & dicit, *Traditiones in patrum libris scriptas esse.* Sed quod est in patrum scriptis, hoc non habet eandem auctoritatẽ, quàm illud quod est in Scriptura diuina. Nisi igitur Bel-

larminus

larminus probet eandem auctoritatem esse Scriptorum Patrum, & Canonicorum, frustrà laborat. Nam quod Apostoli dicunt, *se à Domino accepisse*, *hoc est verum*, non enim potuerunt mentiri. Sed non quicquid dicunt patres, verum est. Ezech. 20. *Instatutis patrum vestrorum nolite ambulare*, Psal. 106. *Errauimus cum patribus nostris.* Augustin. *Multa huiusmodi propter nonnullorum sanctorum, vel turbulentorum scandala deuitanda liberiùs improbare non audeo.* Hieronymus cont. Heluid. dicit *se rhetoricatum esse, & in morem declamatorium paululùm lusisse.* Quid verbis opus est, hoc docet antilogia, quæ sæpè est in patribus. Nam quod vnus pater dicit, hoc alter negat; imò sæpè accidit, vt vnus & idem, quod in vno loco negauit, illud in alio loco approbet. Hoc cùm videret Bellarminus, excogitauit aliam respõsionem, & dicit *Traditiones in continuo vsu positas esse.* Sed hoc est falsum. Multæ enim Traditiones paucis cognitæ sunt, & nisi rarissimè vsurpantur, neque nunc & olim eędem sunt, neque eodem modo obseruatæ, quemadmodũ suo tempore demõstrabimus. Quod verò de linguis vulgaribus addit, est ridiculũ. Illæ enim sunt omnib. hominib. in vsu. Traditiones nõ sunt omnib. hominib. in vsu. Deinde implicat contradictionẽ. Nunc n. dicit *linguas vulgares cõseruari*; antè dixit *eas singulis ætatibus immutari.* Cap. 15. lib. 2. Argum. 6. Conciliet ista Bellarminus. Hoc cùm videret Bellarminus, excogitauit aliam responsionem, & dicit *Traditiones esse antiquis monumentis incisas*: & exemplum profert de *ara Baleoli in Flandria destructa.* Hoc exemplum quidem mihi ignotum est. Intereà certum est tempore

Christi, Apostolorum, & primorum patrum non fuisse aras, quicquid dicat Bellarminus. Origen. lib. 4. cōtra Celsum. *Obijcit nobis, quòd non habeamus imagines, aut aras, aut templa.* Arnob. lib. 4. cont. gentes, *Accusatis nos, quòd nec templa habeamus, nec aras, nec imagines.* Hoc cùm videret Bellarminus, excogitauit aliam responsionem, & dicit, *quoniam multæ semper hæreses fuerunt, ideo etiam semper docti viri excitati sunt, qui Traditiones è tenebris eruerent, vt per eas hæreticos refellerent.* Sed hoc est ridiculum. Nulla enim vnquam hæresis per Traditionem non scriptam refutata est; neque Bellarminus vllum exemplum producere potest. Deinde multi errores, per Traditiones in Ecclesiam introducti sunt, vt Imagines, earū cultus, mortuorū inuocationes, ἐθελοθρησκεῖαι & similia. Postremò nulla hæresis per Traditionem non scriptam refutari potuit. Euseb. lib. 5. cap. 24. *Neque enim aut Anicetus Polycarpo persuadere potuit, vt non obseruaret ea, quæ nouerat Iohannem discipulum Domini nostri, vel cæteros Apostolos, cum quibus semper fuerat, obseruasse; neque rursus Polycarpus Aniceto persuasit ea deserere, quæ ille dicebat à se maiorum more obseruari.*

Secundum Argumentum; Quia Scriptura est regula fidei, & quoniam est opus Dei, & omnia opera Dei sunt perfecta, est regula perfecta.

Omnis regula est regulato adęquata. Sed verbum scriptum est regula, fides regulatū. Ergo verbum scriptum est fidei adæquatum. At quod est fidei adæquatum, hoc sufficit ad fidem gignendam & conseruandam. Sed verbum scriptum. Ergo.

Bel-

Bellarminus primùm negat Minorem, & dicit, *non esse Scripturæ proprium, vt sit regula.* Nos more nostro eius rationes priùs expendemus, deinde sententiam nostram probabimus. Prima eius ratio. *Quia Scriptura multa continet, quæ non sunt necessariò credēda*, hoc est, *quæ per se non pertinent ad fidem.*

Quod continet aliquid non pertinens ad fidem, hoc non est fidei adæquatum. Sed Scriptura continet aliquid non pertinens ad fidē. Ergo Scriptura non est fidei adæquata.

Respondeo ad Minorem, & dico fidem dupliciter considerari: vno modo, quatenus fides fit, generatur, augetur, & confirmatur: altero modo, quatenus per fidem meritum Christi apprehendimus, & Iustificamur. Si secundo modo accipis fidem, tum concedimus esse multa in Scriptura, quæ simpliciter ad fidem non pertinent. Intereà tamen illa omnia, quæ ad fidem hoc modo acceptam simpliciter pertinent, sunt in Scriptura, quemadmodum nos antè ostendimus, & Bellarminus affirmauit lib.4.cap.11. in Resp. ad dictū Irenæi. Si verò fidem primo modo accipis, tum Minor falsa est. Quicquid enim scriptū est, facit ad fidem generandam, augendam & confirmandam. Atque hoc modo sacra Scriptura non tantùm est fidei regula, sed est etiam regula omnis doctrinæ, ex qua fides nascitur. Huc pertinet illud ad Roman. 15. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, 2. Tim. 3, 16. *Tota Scriptura est diuinitùs inspirata, & vtilis ad doctrinam, redargutionem, institutionem & correptionem.* Et tantum abest, vt hæc Testimonia

ſtimonia faciant proBellarmino,vt noſtram ſententiam omnino confirment. Omnis enim correptio, redargutio,inſtitutio,& doctrina, debet ad ſcripturam,tanquam ad regulam accommodari,cum qua ſi congruit, eſt proba, Si non congruit,eſt mala. Hinc concludimus,omnem & ſolam ſcripturam eſſe regulam doctrinæ fidei.Quicquid enim eſt in Scriptura, pertinet ad fidei doctrinam, & quod non eſt in ſcriptura, hoc non pertinet ad fidei doctrinã. Secunda ratio. *Quia multa pertinent ad fidem, quæ non ſunt in Scriptura.*

Quod non continet omnia illa, quę ſunt ad fidem neceſſaria, hoc non eſt fidei regula. Sed ſcriptura non continet omnia illa, quæ ſunt ad fidem neceſſaria. Ergo Scriptura non eſt fidei regula.

Bellarminus non probat Minorem, ſed relegat nos ad priora, in quibus ſe eam probaſſe dicit.Ergo & nos nunc tantũ negamus Minorem. Et quoniam iſta priora ſunt à nobis ſatis refutata, non eſt neceſſe plura verba de hac re facere, niſi Bellarminus ſcripturarũ inſufficientiã alijs argumentis probet,atque hactenus fecit.

Tertia ratio. Quia *Scriptura non eſt opus continuum.*

Omnis regula eſt continua. Scriptura non eſt continua. Ergo ſcriptura non eſt regula.

Nos reſpondemus primùm,Maiorem veram eſſe, de regulis Mechanicis, de alijs non item. Corpus enim ciuile eſt regula Iuris ciuilis, & tamen non eſt hoc modo continuum. Continet enim & hiſtorias quaſdam, & res ſacras. Deinde & Minor eſt falſa.

Sacra

Sacra enim scriptura, hoc est, Vetus & Nouum Testamentum non tantùm continet cōtinuam doctrinam, sed etiam eandem. Act. 26, 22. Quòd verò in illa sint quædam historiæ, conciones, carmina, vaticinia, leges, promissiones, & similia, illa omnia ad vnum scopum referuntur, nempe vt *spem habeamus* Rom. 15. Hæc sunt Bellarmini argumenta, quibus negat sac. Scripturam esse regulam. Nunc immotis rationibus ostendemus, eam esse regulam. Ac primùm ipsa Scriptura dicit se esse regulam, Psalm. 119. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Psal. eod. vers. 132. *Dirige pedes meos in sermone tuo.* Ios. 1. 7. *Serua legem meam, neque decliua ab ea, neque ad dextram, neque ad sinistram.* Deut. 12, 32. *Quod præcipio tibi, hoc facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.* Argum. tale.

Ad quod omnes gressus .i. actiones nostras dirigere, & ad quod omnes actiones nostras accommodare, & à quo non discedere debemus, illud est regula. Sed verbum scriptum. Ergo.

Maiorem nemo negabit, qui mentem habet, minor est in allegatis textibus. Deinde omnes doctores, Græci & Latini à tempore Apostolorum vsque ad hanc ætatem vocarunt scripturam *Canonicam*, neque quisquam fuit ante Bellarminum, qui dixerit istam appellationē esse malā. August. cont. Crescon. lib. 2, cap. 32. *Ego huius epistolæ auctoritate non teneor, quia litteras Cypriani non vt Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis diuinarum scripturarū auctoritati congruit, cum laude eius recipio, quod autem non congruit, cum pace eius respuo.* Idem in Epist. 29. ad Hieronymum; *Ego solis eis Scripturarum libris, qui iam*

Canonici

Canonici appellantur, hunc timorem & honorem didici deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam, alios autem ita legam, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; polleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserũt, sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a veritate nõ abhorreret, persuadere potuerunt. Idem in Epist. 112. ad Paulinum. *Si diuinarum Scripturarum, earum sc. quæ Canonica in Ecclesia appellantur, perspicua aliquid firmatur auctoritate, sine vlla dubitatione credendum est. Alijs verò testibus & testimonijs, quibus aliquid credendum esse suadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantũ ea momenti ad faciendam fidem vel habere, vel non habere perpenderis.* Atque hoc modo omnes Ecclesiæ vnanimiter omnibus temporibus & locis sac. Scripturam appellarunt. Si iam vera est ista Maxima, quam posuit Bellarminus lib. 2. cap. 15. *Illud verum esse, quod vniuersa tenet Ecclesia*, tum Bellarmini hæc responsio falsa est. Deinde Bellarminus se hîc implicat contradictione. Nam istic dixit, *omnem vniuersalis Ecclesiæ obseruationẽ esse veram.* Hîc verò negat sac. Scripturam esse Canonem fidei, cùm tamen hoc vniuersa teneat Ecclesia. Tertio ratio, Quia omnes ferè patres non tantùm vocant Scripturam Canonicam, sed etiam Canonem. Tertullian. contra Hermogen. dicit *sac. Scripturam esse regulam veritatis*. Basilius dicit *sacram Scripturam esse normam rectitudinis, & normam veritatis.* Cyprianus in Symbolo. *Hæc sunt quæ patres in Canonem concluserunt*. August. cont. Cresco. lib. 2, 31. *Nos nullam facimus Cypriano iniuriam, cùm eius quaslibet litteras à Canonica diuinarum scripturarum auctoritate*

ritate distinguimus. Neque enim sine caussa, tam salubri vigilantia canon Ecclesiasticus cōstitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorū libri pertinent, quos omnino iudicare non audemus, & secundum quos de cæteris litteris vel fidelium, vel infidelium iudicamus. Thom. in 1. ad Timoth. 6. lect. 1. *Doctrina Prophetarum & Apostolorum Canonica dicitur, quia est quasi regula intellectus nostri.* August. de bono Viduitatis, cap. 1. *Sancta scriptura nostræ doctrinæ regulam præfigit.* Chrysost. in 2. ad Corinth. Homil. 13. *Cùm habeamus omnium exactissimam regulam & normam, diuinarum legum assertionem, oro vos omnes, vt relinquatis, quid huic vel illi videatur, & de his ex Scripturis hæc omnia inquirite.* Huc pertinent & testimonia ad superiorem rationem allegata. Deinde hoc implicat contradictionem. Hìc enim dicit, *non esse scripturæ proprium, vt sit regula,* & lib. 1. cap. 2. docuit *Propheticos & Apostolicos libros esse certam & firmam regulam fidei.* Hoc cùm videret Bellarminus, concedit Scripturam esse fidei regulam, Sed adijcit *eam esse tantùm partialem regulam, non integram.* Integrám regulam esse dicit verbum Dei. Hoc verō esse duplex; aliud scriptum, aliud non scriptum. Hinc infert, *verbum scriptum non esse totalem regulam, sed tantùm partialem.* Sed nos antè docuimus, idem esse verbum, quod traditum est, & quod scriptum est. Ergo hoc frustra est. Deinde partialem regulam statuere absurdum est. Regula enim vel κανὼν (vt rectè ex Varino docuit Chemnitius) ἐστὶ μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον. Chrysostom. Homil. 13. in 2. ad Corinth. docet *hanc regulam esse exactissimam.* Oecumenius in 3. ad Philip. *Fides est in-*

ſtar Canonis. Quemadmodum ſi à Canone aliquid abſtuleris, vel ei aliquid addideris, totum canonem corrupiſti; ſic etiam in fide. Theophylact. ibidem. *Regula neque appoſitionem habet, neque ablationem.* Aut igitur ſac. Scriptura nō eſt regula, aut eſt pfecta regula, & talis, cui nihil addi, neque quicquam detrahi debet. Sed eſt regula. Ergo perfecta regula, neque ei quicquam addi, nec detrahi poteſt. Cùm igitur ſac. Sciptura ſit regula, & talis regula, cui nihil addi vel detrahi poſsit, ſuperuacuæ ſunt omnes Traditiones. Tertia ratio. Quia ex Traditionibus nihil certi cognoſci poteſt. Pugnāt n. inter ſe. Tertullianus n. in libro cōtra Pſychi. laudat ξηροφαγίαν. Hieronym⁹ eam vituperat, in 1. cap. Agg. Tertull. lib. cont. Iudæos c. 8. Et Clemens 1. Stromat. dicunt *Chriſtū mortuū eſſe, Anno 30 ſuæ ætatis.* Irenæus lib. 2. cap. 40. dicit eum *Anno ætatis ſuæ quinquageſimo* mortuum eſſe. Vtrumq; falſum. De Paſchate docuiſſe Romanos & Aſiaticos contrariū & vtroſq; ſuam ſententiam defendiſſe *ex Traditione*, docet Euſeb. lib. 5, 24. *De quadrageſimis*, ibidem. Et apud Socratem. Baſilius *ex traditione docet Zachariam inter Templum & aram occiſum eſſe patrē Iohannis*. Hieronymus hoc ridet in 23. cap. Matth. Tertull. de corona, dicit *nefas eſſe Sabbatho ieiunare*. Ignatius dicit, *Sabbatho ieiunare, & Chriſtum occidere, idē eſſe*, ad Philipp. At aliud Paſsim obſeruatur. Hieronym. Serm. de Natiuitat. Chriſti, dicit, *ſiue hoc die natus ſit Chriſtus, ſiue baptizatus, diuerſa fertur hominum opinio.* At vtrumque nunc ſine vlla dubitatione aſſeritur. Nunc omnes cum ſumma aſſeueratione ſtatuunt, *corpus Mariæ cum ſummo honore aſſumptum* eſſe.

esse. Sed Hieronymus illud inter ἀπόκρυφα refert, lib. de Assumptione Marię Virginis ad Paulam & Eustochium. Et Epiphanius dicit se hoc ignorare in hæres. Antidicom. Basilius dicit *inter Pascha & Pentecosten stando precandum esse* de Spir. S. cap. 27. At hoc nunc negligitur. Tertullianus docet, *infanti recens nato, mel & lac dandum esse*, de corona, sed & hoc nunc contemnitur. Quid? quod ipsæ Traditiones non ab hæreticis, sed & ab ipsis orthodoxis patribus positę, sint sæpè falsæ. Vt illa *de Zacharia* apud Basilium. de Spir. sancto cap. 27. Et illa *de morte Domini*, apud Clement. Stromat. 1. Et apud Tertull. cont. Iud. cap. 5. & apud Irenæū lib. 2. cap. 4. & multa Similia. Quod verò dicit, in scriptura idem fieri posse, falsum est. Scriptura enim se suis notis manifestat, & illustrat, quod non faciunt Traditiones. Deinde Scriptura in se habet, per quod ab adulterinis distinguitur. Hoc in Traditionib. non habet locum. Nam sæpè ambæ, licet contrariæ sint, falsæ sunt. Fateor tamen, facilè Traditiones probas à prauis distingui posse, nempe quando ad regulam sacrarum Scripturarum examinantur. Quod verò dicit, *Ecclesiam posse falsas Traditiones à veris distinguere*, si de Romana Ecclesia loquitur, tum petit illud, quod est in principio. Romana enim Ecclesia nobis falsas Traditiones inuexit, & adhuc obtrudit. Ergo earum iudex esse non potest. Quod verò dicit *Ecclesiam nunquam falsam Traditionem vel librum pro Canonicis accepisse*, si intelligit de Ecclesia Romana, est falsum. Illa enim epistolas Decretales recepit inter Canonicas; & obseruat certa tempora Ieiuniorum, quod Patres dicunt ab hære-


ticis excogitatũ esse,& esse cõtra morẽ primitiuę Ecclesię. Quinta ratio. Quia verbũ Dei scriptũ est *Testamentũ Dei*. Sed ad hoĩs Testamẽtũ cõfirmatũ addere nihil licet, Gal.3,15. Basil. de fidei cõfess. Ergo ad Dei Testam. confirmatũ aliquid addere, vel ab eo aliquid detrahere, graue facinus esse arbitramur. Sexta & vltima ratio. Quia hæretici, *cùm ex scripturis cõsistere non poßent*, docuerũt *Christũ docuisse quadã palàm, quadã occultè*. Iren.1,23. Basilid. Et 1,24. Carpocrat. Idẽ docet Tertul. de pręscript. Resp. Bellarm. *hæreticos esse orthodoxorum simias, itaq; & suas Traditiones occultare, quemadmodum orthodoxi faciunt. Sed illorum occulta differre fine. Quæ n. ab orthodoxis occultantur, ideo occultari, quia Laici illorum nõ sunt capaces, quæ verò ab hæreticis occultãtur, ideo occultari, quia sunt turpia*. Et adducit exemplũ de Manichęis ex Augustino, de Hęresib. cap. 26. Verùm si quis diceret Papistas propter eandẽ causã suas Traditiões occultare, ille fortè nõ aberraret, sũt n. qui affirmãt hostiã papisticã cõfici ex *adipe canino*, quod si verum est, sanè nõ est multò melius. Sed vt vt sit, sacra Christiana nõ sunt occultãda. Christus n. disertè dicit, Math. c. 10. vers. 17. *Quod dico vobis in tenebris, hoc dicite in luce; & quod dixi vobis in aurem, hoc prædicate sup tecta*. Hoc est vt Hieron. interp. *quod audiuistis abscõditè, publicè loquimini; quod audiuistis in paruulo Iudææ loco, hoc vos in vniuersis vrbib⁹, & in toto mũdo audacter dicite*. Eodẽ modo hoc explicat Tertull. de præscript. cap. 26. *Dominus palã dixit, sine significatione taciti Sacramẽti, si quid in tenebris, & in abscõdito audissẽt, in luce & in tectis prædicarent*. Et Theophyl. ad dictum locum, *quæ ex me audiuistis, ea dicite cum summa liber-*

tate, &

*tate,& summa vocis claritate,vt omnes audiant.*Deinde implicat contradictionē.Hic n. vult Traditiones nō pertinere ad oēs; & antè voluit Traditiones defendere per istū locū,*Tenete Traditiones*. At hoc dictum ptinet ad oēs fideles,vt antè ostensum est.Aut igitur hoc, aut illo loco errat Bellarm. Ego eum in vtroq; errasse existimo.Cùm igitur Traditiones tam longo tempore conseruari nō possint,& verbū Dei scriptū sit,vt esset fidei & morū regula ; Deinde cum verbū scriptū sit Testam.Dei,cū deniq; ipsę Traditiōes sint sæpe falsę,& heretici iactēt occultas Traditiōes,cùm ex Script.cōsistere nō possunt.Manifestū est nō Traditiōes,sed verbū Dei scriptū esse regulā oīs Christianæ religionis, & ob eā causā cōtinere ista oīa,q̄ sunt ad salutē necessaria, ob eandemq; causā cùm papistę aliquod controuersum dogma ex Traditionib.probant, tum petunt principiū,& quod controuersum est,probant per illlud, quod æquè cōtrouersum est.

CONCLVSIO.

Principia Christianorū dogmatum sunt certa,extra omnem controuersiam posita, indubitata, vera, & diuina.Sed Papisticæ Traditiones sunt incertę,in controuersia positæ,dubiæ,ridiculæ,ineptæ,falsę,& humanę.Ergo papisticę Traditiones nō possunt esse principiū Christianorū dogmatū.Soli autem viginti duo libri V.T. Hebraicè scripti,& viginti septē libri N.T.gręcè scripti,sunt certi,indubitati,extra cōtrouersiam positi,immediatè veri,& diuini.Ergo hi viginti duo V.T. & viginti septē libri N.T.sunt principiū Christianorum dogmatum. Ac proinde ex iis tantùm firmæ & immotæ rationes in dogmate controuerso peti possunt. FINIS.



Primus numerus paginam, alter lineam significat.

FINIS.

Errata, quæ inter excudendum admissa sunt, sic corrige, reliqua ipse facilè videbis.

Pag 12. lin.12. lege,Caueant, l. 26. Accusatori. pag.13.lin.1. Dele non. *l.16.Post postremò,lege,et,4.quæst.4. C.contra. 28.31.eos. 32.20,at. 39,25. dele,illi. 45.11.post qui, lege, ante Augustinum vixerunt,&. 67,13.post esse,lege,non. 105.11.dele,*Lactantij & Clementis. *l. 23. petiuerunt, l.27. Concilium. 138.4. legitur. 149.18.indicant. 169.18 vtique. 189. 25.congruat. 204.11.* כרי. 208.21. תפנה. 209.13. כרים. *210.7. possunt. 218,15.* שבתים. *227.9.habuerit. 258.4.Noui Testamenti. 313.7.gratas. 355. 20,densissimam. 365.14.scripta. 385.11.fuerit. 387.13. velata. 423.l.7.lege 8. 425. 15. quicunque. 439. 8. Paulò post enim ostendemus. 444. 18.reorum. 452.22.dele,* incertum. *458.14.possunt. 466.1.esse. 468. 2.quam. 486.11.δηλῶσαι. 488. 29.pro Sozomenus lib.6.cap.2. lege Socrates, lib.4.cap.11. 492. 22.pro, Bonifacium, lege, Cælestinum. 500. 23. ex. 509.19.recta. 526.10.Apostolica. 517.post subiectum,adde,consequentis. 698.24. παράγγελμα. 613. 20. pro Num.lege Ios. 617,23. docent. 619. 25.pro Iustificatio,lege,satisfactio. 659.30,pro,sextus, lege, Tertius. 660. 21. τῷ τὸν. 693.19.38. 696. 10. communem. 719. 29. dicit. 724. 29. continent. 728.29. dele, ex. 738, 5. salutem. 740. 17. doctoribus.*

Porrò ad huiusmodi scriptiones opus est ingenti Bibliotheca, tali verò ego destituor, itaque sæpe alienis libris, iisq; de eadem re varijs, vti coactus sum, prout igitur illi variant, ita sæpe numerus capitum, in Testimoniorum citationibus variat, hoc te etiam, lector, scire volui.

FINIS.

